7
1-c
12

9
3 DM
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7.-1.c.12

64 61
A 6
39

65.6.21

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPORUM
MEDIOLANENSIUM
SERIES HISTORICO-CHRONOLOGICA


AD CRITICÆ LEGES,
ET VETERUM MONUMENTORUM FIDEM
ILLUSTRATA.

JOSEPH ANTONII SAXII

SS. AMBROSII ET CAROLI OBLATI,
COLLEGIO ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTI

OPUS POSTHUMUM.

TOMUS SECUNDUS.



MEDIOLANI, MDCCLV.

IN REGIA CURIA.

Superiorum permiſſu.

INDEX CHRONOLOGICUS

ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM,

Qui in hoc ſecundo Volumine continentur.

LÆTUS. - - - - pag. 257.
THOMAS. - - - - pag. 259.
PETRUS I. - - - - pag. 264.
OLDEPERTUS. - - pag. 273.
ANSELMUS I. - - - pag. 276.
BONUS. - - - - - pag. 279.
ANGILBERTUS I. - pag. 281.
ANGILBERTUS II. - pag. 283.
THADO. - - - - - pag. 296.
ANSPERTUS. - - - pag. 300.
ANSELMUS II. - - - pag. 310.
LANDULPHUS I. - - pag. 314
ANDREAS. - - - - pag. 317.
ATTO. - - - - - pag. 321.
GARIBERTUS. - - pag. 326.
LAMPERTUS. - - - pag. 328.
HILDUINUS. - - - pag. 335.
ARDERICUS. - - - pag. 342.
ADELMANUS. - - pag. 347.
VALPERTUS. - - - pag. 353.
ARNULPHUS I. - - pag. 359.
GOTHIFREDUS. - - pag. 362.
LANDULPHUS II. - - pag. 365.
ARNULPHUS II. - - pag. 381.
HERIBERTUS. - - pag. 398.
WIDO. - - - - pag. 419.
GOTHOFREDUS. - - pag. 430.
ATHO. - - - - - pag. 434.
THEDALDUS. - - pag. 438.
ANSELMUS III. - - pag. 443.
ARNULPHUS III. - - pag. 449.
ANSELMUS IV. - - pag. 456.
GROSSULANUS. - - pag. 466.
JORDANUS. - - - pag. 478.
OLRICUS. - - - - pag. 487.
ANSELMUS V. - - - pag. 495.
S. BERNARDUS. - - pag. 509.
ROBALDUS. - - - pag. 516.

OBER-

INDEX CHRONOLOGICUS.

OBERTUS. - - - pag. 537.

S. GALDINUS VALVASSORIUS de SALA. - pag. 556.

ALGISIUS. - - - - pag. 591.

UBERTUS I. CRIBELLUS. - - - - - pag. 599.

MILO de CARDANO. pag. 608.

OBERTUS II. de TERTIAGO. - - - - pag. 620.

PHILIPPUS I. de LAMPUGNANO. - - - pag. 624.

UBERTUS II. PIROVANUS. - - - - - pag. 630.

GERARDUS de SESSA. pag. 638.

HENRICUS I. SEPTALA. - - - - - - pag. 640.

GULIELMUS RUZZOLIUS. - - - - pag. 682.

LEO VALVASSORIUS de PEREGO. - - pag. 696.

OTTO MAGNUS VICECOMES. - - - - pag. 716.

RUFINUS FRIXETUS. pag. 759.

FRANCISCUS I. PARMENSIS. - - - - pag. 761.

CASSONUS TURRIANUS. - - - - - pag. 769.

AYCARDUS ANTIMIANUS. - - - - - pag. 780.

JOANNES II. VICECOMES. - - - - - pag. 793.

ROBERTUS VICECOMES. - - - - - pag. 813.

GUILIELMUS PUSTERLA. - - - - - - pag. 819.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM,

Qui in hoc ſecundo Volumine continentur.

A

ADELMANUS. - pag. 347.
ALGISIUS. - - - pag. 591.
ANDREAS. - - - pag. 317.
ANGILBERTUS I. - pag. 281.
ANGILBERTUS II. - pag. 283.
ANSELMUS I. - - pag. 276.
ANSELMUS II. - - pag. 310.
ANSELMUS III. - - pag. 443.
ANSELMUS IV. - - pag. 456.
ANSELMUS V. - - pag. 495.
ANSPERTUS. - - pag. 300.
ANTIMIANUS AYCARDUS. - - - pag. 780.
ARDERICUS. - - pag. 342.
ARNULPHUS I. -- pag. 359.
ARNULPHUS II. - pag. 381.
ARNULPHUS III. - pag. 449.
ATHO. - - - - pag. 434.
ATTO. - - - - pag. 321.

B

S. BERNARDUS. - pag. 509.
BONUS. - - - - pag. 279.

C

de CARDANO MILO. pag. 608.
CRIBELLUS UBERTUS I. - - - - pag. 599.

F

FRIXETUS RUFFINUS. - - - - pag. 759.

G

S. GALDINUS VALVASSOR. de SALA. pag. 556.
GARIBERTUS. - - pag. 326.
GOTHIFREDUS. - pag. 362.
GOTHOFREDUS. - pag. 430.
GROSSULANUS. - pag. 466.

H

HERIBERTUS. - pag. 398.
HILDUINUS. - - pag. 335.

I

JORDANUS. - - pag. 478.

LÆ-

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS.

L

LÆTUS. - - - pag. 257.
LAMPERTUS. - - pag. 328.
de LAMPUGNANO PHILIPPUS I. - - - pag. 624.
LANDULPHUS I. - pag. 314.
LANDULPHUS II. - pag. 365.

O

OBERTUS I. - - pag. 537.
OLDEPERTUS. - - pag. 273.
OLRICUS. - - - pag. 487.

P

PARMENSIS FRANCISCUS I. - - - pag. 761.
de PEREGO VALVASSORIUS LEO. -- pag. 696.
PETRUS I. - - - pag. 264.
PIROVANUS UBERTUS I. - - - - pag. 630.
PUSTERLA GUILIELMUS. - - - - pag. 819.

R

ROBALDUS. - - pag. 516.
RUZZOLIUS GUILIELMUS. - - - - pag. 682.

S

SEPTALA HENRICUS. - - - - pag. 640.
de SESSA GERARDUS. pag. 638.

T

de TERTIAGO OBERTUS II. - - - - pag. 620.
THADO. - - - - pag. 296.
THEDALDUS. - - pag. 433.
THOMAS. - - - pag. 259.
TURRIANUS CASSONUS. - - - - pag. 769.

V

VALPERTUS. - pag. 352.
VICECOMES OTTO MAGNUS. - - - pag. 716.
VICECOMES JOANNES II. - - - pag. 793.
VICECOMES ROBERTUS. - - - - pag. 813.
WIDO. - - - - - - pag. 419.

LÆTUS.

LÆTUS.

STabili ſucceſſit Lætus Anno DCCXLV., poſt quinque menſes vacantis Sedis, menſe ſcilicet Majo. Ughellus eum tradit ordinatum Anno DCCLV.; ſed infeliciter docet conſecrationis annum, & Pontificem Maximum Stephanum IV., ſub quo illam, ùt ipſe ait, accepit: Ordo namque annorum hucuſque a nobis digeſtus decennii moram ad Læti electionem minimè patitur; Stephanus autem IV. Pontificiam Sedem non obtinuit, niſi Anno DCCCXVI.. Neque condonari hic error Typographo poteſt; ſiquidem etiamſi impreſſiſſet IV. pro III., adhuc longè diſtaremus, cùm hic poſtremus renunciatus tantùm fuerit Summus Pontifex Anno DCCLXVIII.

Addit inſuper idem Ughellus, obitam fuiſſe Legationem a Læto ad Pipinum, nomine memorati Stephani IV., accepiſſe verò in præmium optimè geſtæ rei Epiſcopatum Mediolanenſem. Sed cùm nos annum jam deſignaverimus electionis utriuſque Summi Pontificis, compertiſſimum eſt, hac largitione tam nobili non potuiſſe Lætum ab alterutro honeſtari. Quod attinet ad Legationem, nobis gloriæ non modicæ adſcriberemus, quòd inter Viros dignitate ac doctrina inſignes ſors obeundi provinciam adeò illuſtrem noſtro Antiſtiti contigiſſet: Hiſtoriæ tamen, dum in ea perturbatione referunt utrinque Legationes Summorum Pontificum & Regum Galliæ, nullum verbum de Læto proferunt. Hac in re ni-

mis faciles fuere etiam Bollandiſtæ ad præſtandam Ughello fidem, nam ad diem IV. Aprilis, *in Prætermiſſis* ejuſdem periodos ferme integras recuderunt; idque teſtatus eſt etiam Papebrochius *in Exegeſi* inquiens, *ſe optare, ut excerpta ab Ugbello circa hunc Antiſtitem, in Bollandiano Aprili emendarentur*.

Cùm a pluribus Scriptoribus noſtris aſſeratur, fuiſſe hunc Mediolanenſem Præſulem titulo *Beati* inſignitum, optimè animadverterunt eruditiſſimi Patres Bollandi Sectatores, ejus nomen nuſquam reperiri in Breviariis, Calendariis, & Liturgicis Libris Eccleſiæ Ambroſianæ; quamobrem e re ſua cenſuere, Lætum omittere. Primus *in Martyrologio Ambroſiano* inter alios Sanctos hunc inſeruit Petrus Paulus Boſca: Fatetur nihilominus etiam ipſe, id tantummodo Traditione ad Poſteros derivaſſe; addens ad hoc confirmandum tum Scriptorum auctoritatem, tum pium morem Societatis Sanctæ Crucis, ſub tutela Sancti Syri erectæ extra Portam Vercellenſem noſtræ Urbis, quæ Beati Læti imaginem in Supplicationibus erigit, eumque colit tamquam Patronum. Deum rogamus, ut vetuſtiora documenta emergant, ad augendum numerum Sanctorum Antiſtitum, & decus Eccleſiæ Mediolanenſis. Ceterum Lætus *Vir fuit*, teſte Galeſinio, *omni pietatis officio inſignis, & admirandâ præſertim erga pauperes caritate*.

Annis XIII. & menſibus XI. Epiſcopalem curam geſſit, ſublatus e vivis Anno DCCLIX. Pridie Nonas Aprilis, & ſepultus in Baſilica Sancti Ambroſii.

THO-

THOMAS.

Defuncto Læto evectus eſt ad Epiſcopalem hanc Sedem Thomas Civis Mediolanenſis Anno DCCLIX., IX. Calendas Octobris, juxta calculum Papebrochii. Eum ſub Adriano Pontifice Maximo ordinatum fuiſſe ſcribit Galeſinius; ſed repugnat ordo a nobis hactenus ſervatus, cùm Adrianus treſdecim poſt Thomæ electionem annis Pontificalem Cathedram adierit. Itaque cùm Thomas conſecrationem accepit, Paulus I. jam ad Romanum Solium aſcenderat.

De Ritibus Ambroſianis optimè eſt meritus; Siquidem cùm Carolus Magnus Officii Romani uſum in omnes Occidentis Eccleſias inferre contenderet, ac propterea Ambroſianum etiam prorſus abolere, Thomas unà cum Sancto Eugenio intrepidè obſtitit, nobiſque perennem hanc gloriam ſumma cum omnium laude ſervavit. Narratur quoque miraculum, procul dubio Sancti Ambroſii Patroni precibus a Deo peractum; quo inſpecto Imperator, qui Ambroſianos Codices inflammari juſſerat, miniſque ac etiam carcere cogebat, hujus Ritûs Sacerdotes Liturgicos ſuos Libros abjicere, ùt tradunt Durandus & Pagius, a concepto deſtitit voto. Puricellus *in Vita Sancti Laurentii I.*, Epiſcopi Mediolanenſis, Cap. ultimo plura congeſſit teſtimonia hanc rem confirmantia.

Præterea ſcribit Ughellus, ab hoc noſtro Antiſtite Carolum Magnum coronatum fuiſſe ferreo diademate Modoëtiæ,

Digitized by Google

& conſecratum in Regem Langobardorum Anno DCCLXXIV. Equidem haud dubium eſt, decerpta iſta fuiſſe a Sigonio, qui eadem tradit ad annum memoratum Libr. IV. *de Regno Italiæ*. Verùm a quo antiquo Scriptore Sigonius hauſerit genuinam memoriam tantæ celebritatis, ignotum nobis prorſus eſt. Imò ex ſilentio ipſo veterum Chartarum, quas plurimas hoc ævo a tenebricoſo Archivorum carcere in lucem eduxere Viri eruditi, oppoſitum omnino evincitur; & Cointius Gallicus Scriptor id negat; Muratorius verò Tom. II. *Anecdot.* Cap. V. ulteriùs progreſſus, nullum ex Francis Regibus aut Mediolani, aut Modoëtiæ coronatum affirmat. Et ſanè mirum foret, ſi, cùm ſuſceptam Romæ ab eodem Cæſare Imperii Coronam ferme omnes enarrent, ſolam hanc Modoëtiæ peractam inaugurationem oblivione conſepultam tacuiſſent; præſertim quia Sigonius paulò poſt deſcribit ſummam celebritatem, quæ adhibebatur in Italica conferenda Corona. Sed hæc fuſiùs jam attulimus in Annotationibus ad eumdem Sigonium, loco ſupradicto.

Proſequitur Ughellus affirmare, alteram celebritatem a Thoma fuiſſe renovatam Anno DCCLXXXI. Modoëtiæ, in Ferrea Corona imponenda Pipino Magni Caroli Filio, quem Pater Italiæ Regem declaraverat. Etiam huic errori, ut in illum impingeret, præluxit Sigonius. Verùm quæ ſuperiùs jam memoravimus, hujuſmodi opinionem non tam enervant, ſed etiam prorſus evertunt.

Demum ſubjungit, collatum fuiſſe a noſtro Antiſtite Baptiſmalis lavacri Sacramentum Gislæ, ejuſdem Caroli Magni Filiæ; atque hoc veritati conſentit, cùm de Gislæ Baptiſmo a Me-

Mediolanenſi Epiſcopo ſolemniter tradito meminerint Annales Francorum, Eginardus, Regino, aliique vetuſti Scriptores, in quorum tamen monumentis ne verbum quidem occurrit Coronæ Italicæ, a Pipino Modoëtiæ ſuſceptæ.

Sigonius ad eumdem Annum DCCLXXXI. addit, Carolum Magnum poſt Natalem Domini Papiæ celebratum, cum Thoma Epiſcopo ſeſe convertiſſe ad res Regni conſtituendas, ac Leges, quæ nunc quoque in Codicibus extant, condidiſſe. Lapſus eſt tamen in Epocha hujus Conventûs deſignanda; Balutius namque, Pagius, aliique Francici Scriptores ſilent omnino de illius convocatione a Cæſare indictâ hoc anno Papiæ. Clariſs. Muratorius *in Annotationibus ad Leges Caroli Magni*, recuſas Tom. I. *Rer. Italicar.* Part. II. credendum ait, habitum fuiſſe iſtud Concilium in Francia Anno DCCLXXIX., qui erat undecimus Regni Francici ejuſdem Caroli; ac deinde ejus Decreta Langobardicarum Legum Corpori inſerta fuiſſe ex illius præcepto: Conventui autem iſti interfuiſſe Italicos quoque Epiſcopos & Proceres veriſimile cenſet.

Titulum *Sancti* huic noſtro Præſuli attribuunt Mediolanenſes Scriptores, & meritò: Quamvis enim Eccleſia Ambroſiana univerſim ejuſdem Feſtum diem minimè agat, Collegium tamen Canonicorum Baſilicæ Laurentianæ in hac Urbe, ad Calendas Octobris illum peculiari Officio colit, atque in ejus honorem Sacra a remotis uſque temporibus celebrat. Nec deſunt teſtimonia Virorum eruditione inſignium, hanc laudem confirmantia, quæ in Elenchum redacta enumerat Puricellus Cap. ultimo *Vitæ Laurentii I.* Mediolanenſis Epiſcopi.

ſcopi. Quinimo Sanctus Carolus, necnon etiam Cardinalis Federicus Borromeus in Decretis editis, dum Paſtoralem Baſilicæ memoratæ Viſitationem peragerent, Thomam nomine *Sancti* compellarunt, teſte Puricello, eodem Loco Cap. XXXII. num. VIII.

Obdormivit in Domino Calendis Octobris Anni DCCLXXXIII., poſt annos XXIV. regiminis, ut adnotat Papebrochius. Ughellus, qui Thomam electum ſcripſerat Anno DCCLXX., cùm videret, differri non poſſe mortem ejuſdem ultra annum octuageſimum tertium illius Seculi, ob Chartam genuinam ab ipſo relatam in Petro Succeſſore, coactus eſt, XII. tantùm annos Sedis Thomæ aſſignare. Nos tamen cum Papebrochio adnotatos XXIV. annos facilè complectimur, ut Chronologicus ordo rectiùs diſponatur.

Catalogi antiqui quos nos ſequimur, ſepultum aſſerunt Thomam in Ambroſiana Baſilica, iiſdemque conſentit Papebrochius: Quo autem anno Sacrum ejuſdem Corpus inde translatum fuerit ad Laurentianam, nemo nos docet. Negari tamen nequit, a multis jam Seculis illud ibidem quieſcere. Diu nihilominus in eadem quoque Laurentiana Baſilica inexploratum latuit, donec Anno MCDXCVII. repertum, in decentiori Loculo reponeretur. Anno autem MDLXVII., dum illud Sancti Petri Sacellum, ubi jacebat, in elegantiorem formam redigeretur, Sancto Carolo jubente iterum in lucem eductum eſt e Capſula marmorea, in qua olim reconditum fuerat, inſculpta fronti hac Inſcriptione: *Inventio Sancti Thomæ Archiepiſcopi Mediolani, Decimo Junii, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo*. Joannes Antonius Caſtillio-

ſtillioneus in Libro edito Mediolani Anno MDCXXII., inſcriptoque: *Gli Onori del Sagro Tempio di Santa Cattarina al Ponte de' Fabri ec.* Cap. VI. narrat miraculum, in hac poſtrema Sacri illius Corporis Recognitione a Deo peractum, quod a digniſſimis fide Teſtibus, eidem tunc præſentibus ſibi relatum affirmat, videlicet Sacerdotem Sacello memorato inſervientem, qui partem reperti Sacri Corporis abſtulerat, ſtatimque correptus fuerat a ferventiſſima febri, mox reſtitutâ eâdem loco priſtino, illico convaluiſſe.

PE-

Digitized by Google

P E T R U S I.

IN locum Thomæ defuncti ſuffectus eſt Petrus Civis Mediolanenſis, delectus in Archiepiſcopum noſtræ Eccleſiæ Anno DCCLXXXIV., poſtquam Sedes iſta viduitatem quinque menſium habuiſſet, quemadmodum adnotavit Papebrochius.

Fuiſſe illum Adriani Pontificis Maximi familiarem, atque ab ejuſdem Secretis dicitur ab Ughello. Sanè ab hoc Pontifice miſſus eſt in Gallias ad Carolum Magnnm, ut ſolicitaret expeditionem in Langobardos Anno DCCLXXII., quemadmodum teſtatur Aimoinus Monachus Libr. IV. *de Geſtis Francorum* Cap. LXIX., ſeu Anno DCCLXXIII., ùt adnotat Adelmus (aliis Ademalus) Monachus Benedictinus *in Annalibus Francorum*: Legationem autem hanc optimè implevit, nec ſine periculoſi itineris labore, cùm viæ omnes ſuſpectæ forent, Langobardorum eas infeſtantium perfidiâ.

Eximium monumentum religioſiſſimæ pietatis in hoc Archiepiſcopo ferventis extat in noſtra Metropoli, nempe Cœnobium a fundamentis ab ipſo erectum, atque opulentis latifundiis ditatum, in honorem Sanctorum Ambroſii, Protaſii, & Gervaſii Tutelarium Mediolanenſium; utque Deo laudes quotidie canerent Monachi Sancti Benedicti in eo degentes, adjectum illud voluit Eccleſiæ ac Sepulcro eornmdem Sanctorum. Legitur Diploma a Petro expeditum in Puricello & in Ughello, ſub Annum DCCXC. Nicolaus Sormanus, Biblio-

thecæ

thecæ Ambroſianæ Doctor, Vir in antiqua eruditione eximius, in Libro inſcripto: *Allegata ad Concordiam in Cauſa Praeminentiæ* &c. pag. XXXVII. num. VI. evincere conatur, Tabulas memoratas valde nutare, ac vitiatas eſſe ab aliquo recentioris temporis Scriptore, occaſione litium, quæ tunc maximè inter Canonicos & Monachos ferbuere: Noſtra tamen non attinet, rebus hiſce definiendis calamum apponere.

Hæreticos ſummopere inſectatus eſt hic Præſul, adeò ut Ughellus afferat, illum a Carolo Magno appellatum fuiſſe *Malleum hæreticorum*: Id autem deſumpſit a Libro inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ*. Verùm, cùm Eugenius Cattaneus plura huic Codici addiderit, miſcens ſua cum verbis Auctoris, & primus ipſe hoc Elogium noſtro Antiſtiti tribuerit, Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXXVII. num. III. ait, ſe optare, ut aliquem tantæ rei teſtem in medium protuliſſet; quamvis refragari nolit huic laudi, quam certè Petrus promeritus fuit. Siquidem interfuit Concilio Francofordienſi, celebrato in præſentia Caroli Magni, & Miſſorum Adriani Papæ Anno DCCXCIV., in quo condemnata fuit tertiâ vice Hæreſis Felicis & Elipandi. Inter Acta hujus Synodi extat Libellus Epiſcoporum Italiæ, a Labbeo relatus Tomo VII. Conciliorum, in quo hæc leguntur: *Ego Paulinus Aquilegienſis Sedis, H ſperiis oris a cinctæ, cui Deo auctore deſervio, nomine, non merito Præſul, una cum Reverentiis* (Bollandus in Vita ejuſdem Sancti Paulini ad diem XI. Januarii legit *Reverendiſſimo*) *& omni honore digno Petro Sedis Mediolanenſis Archiepiſcopo, cunctiſque Collegis Fratribus* &c. Plura enunciare proſequitur ad

B hoc

hoc Concilium ſpectantia idem Bollandus loco ſupradicto.

Cùm hactenus nomine tantùm *Epiſcopi* uſi fuerimus in referendis rebus geſtis Antiſtitum, qui Mediolanenſem Eccleſiam rexêre, monendus eſt Lector, id conſultò actum eſſe, quia in Catalogis antiquis hoc ſolummodo nomine deſignati fuerunt Præſules noſtri. Præterea Papebrochius in Vita Sancti Senatoris, relata ad diem XXVIII. Maji *in Actis Bollandianis*, refellens quædam Documenta, quæ Septallia Illuſtris Familia, tamquam Seculo VI. ſcripta, protulerat, inter alia menda, quæ in iis occurrunt, illud etiam adnotavit, Mediolanenſes Antiſtites vocari *Archiepiſcopos*, cùm nomen iſtud adhiberi non cœperit, niſi Seculo VIII. Mabillonius verò animadvertit Libr. II. *de Re Diplomatica* Cap. II. num. XIII., ſeriùs etiam invaluiſſe in Galliis hunc Titulum, *nam licèt Archiepiſcopi nomen* (ut ipſe ait) *ſæpiùs legatur apud Francos Seculo VI., pauciſſimi tamen inveniuntur, qui hoc vocabulum ſibi tribuerint ante Seculum IX.* Hanc autem ob cauſam Titulum hunc *Archiepiſcopi* nos Petro nunc primùm imponimus, cùm in veteribus Chartis eumdem ab ipſo uſurpatum videamus.

Ughellus in laudem noſtri hujus Archiepiſcopi tradit, eumdem Arianos, qua ſcriptis, qua ferro plurimùm exagitaſſe; eo tamen contentus verbo *aſſeritur*, nullum inſolitæ iſtius armorum ſtrepitu peractæ concertationis Scriptorem antiquum refert. Et fanè inſigne exemplùm Arianos perſequendi dedit magnus Paſtor Ambroſius, qui orando, non bellum gerendo, illos perdomuit. Dolemus etiam, quòd nulla ad nos pervenerint Scripta, quibus Hæreticorum errores convellere conatus eſt Petrus. Ad-

Addit memoratus Ughellus, collectos ab eodem fuiſſe Libros Magni Gregorii, qui per ſummum dedecus fuerant diſſipati, atque ejus laudes fuiſſe carminibus expreſſas. In Editionibus tamen Operum tanti Pontificis, quas diligentiſſimè curarunt Viri ſumma eruditione præſtantes noſtræ ætatis, nihil de hoc ſtudio Mediolanenſis Antiſtitis adnotatum reperimus, cùm multas Petro gratias agere deberemus, ob ſervata nobis pretioſa adeò monumenta. Item Galeſinius affirmat, compoſitos ab ipſo fuiſſe Sermones *de Sanctis*, inter quos præcipuus ille eſt *de Sancto Barnaba*, primo Mediolani Epiſcopo. Porro optandum eſſet, ut illi in lucem prodiiſſent; fortaſſe enim ex iis dignoſci plura potuiſſent, quæ ſecuriùs Traditionem noſtram firmarent. Verùm Puricellus, Vir accuratæ indagationis, nullum ſibi ad oculos de hiſce Sermonibus perveniſſe teſtatur.

Tradit etiam Galeſinius, Epiſtolas permultas de rebus gravibus Petrum exaraſſe, interque eas illam *de Translatione Corporis Sancti Auguſtini e Sardinia Papiam*, ad Carolum Magnum. Hæc ſanè extat, jam ſæpius vulgata; reliquæ injuriâ temporum periere.

Inſulſâ protſus eſt Coronatio Bernardi in Regem Italiæ, quam idem Galeſinius ait, fuiſſe peractam a noſtro hoc Antiſtite. Siquidem Pipinus Pater poſt obitum Petri per quinquennium ſupervixit; Carolus autem Magnus, mortuo Pipino Filio, triennium expectavit, antequam Italiæ Regno Nepotem Bernardum donaret, quemadmodum Pagius docet.

Demum Ughellus teſtatur, Petrum iterum profectum

ſuiſſe in Gallias unà cum Leone III., ac deinde reverſum, Romæ interfuiſſe tunc quando Pontifex ille Summus Carolum Magnum Imperatorem acclamavit, atque ab eodem Carolo retuliſſe Diploma, quo donabatur politico Mediolani Principatu; aſſerens quoque Chartam conceſſi hujus Privilegii. De hujuſmodi profectione in Gallias & ſubinde Romam, ſilent Hiſtoriæ; ſicuti etiam de liberalitate, quam Carolus dicitur exercuiſſe erga Mediolanenſem Eccleſiam, Petrum & Succeſſores omnes inſtituendo Dominos Mediolani. Papebrochius *in Exegeſi*, vocatâ ad examen criticum Chartâ prædictâ, nullius fidei eam eſſe profitetur, cùm nec ſtylus nec forma, Caroli Diplomatibus congruant, & inſuper *præter Carolinæ ætatis uſum, ad nomen Petri inveniatur poſitum cognomentum* Oldradi; *nemini enim Erudito perſuaderi poſſe* ait, *quòd jam tum inter Eccleſiarum Antiſtites notus fuerit uſus cognominum*. Quamobrem illam putat *merum figmentum*, compactum circa Seculum X.

Summâ neceſſitudine ferebatur Petrus in magnum illum Bedæ Diſcipulum, & Caroli Cæſaris præceptorem Alcuinum, recepitque ab eo plenam reverentiæ & pietatis Epiſtolam, quam iterum poſt multas Editiones Epiſtolarum illius doctiſſimi Viri intulit *in Nazarianam Diſſertationem* Puricellus Cap. LXXVII. num. V., noſque hoc loco recudimus, ne Lectores ejuſdem viſendæ cupidos cogamus, alibi illam perquirere, cùm verè digniſſima lectu ſit non tantùm ob ſummam animi demiſſionem in tam docto Viro effulgentem, quàm ob ſingularem reverentiam, laudemque Paſtoralium virtutum Antiſtiti noſtro præſtitam a celeberrimo illo Scriptore. Ea autem ita exorditur. „ Di-

„ *Dilectiſſimo in Chriſto Patri, Petro Archiepiſcopo*
„ *Albinus æternæ beatitudinis Salutem.*

„ Memor dulciſſimæ humilitatis & dilectionis veſtræ, in-
„ gemiſco abſentiam illius, cujus caritatis flamma in corde
„ ardeſcit filii. Quanta eſt hujus Seculi infelicitas, quæ
„ tam caros disjungit amicos, quæ filium ſeparat a Patre?
„ O ſi pennas aquilæ habuiſſem, ut altitudines Alpium ve-
„ locior Euro tranſvolare valuiſſem; quàm citò ante pater-
„ nos ſtetiſſem pedes, ut refrigerarem ex paterna viſione
„ pectoris mei ardorem! Sed quia hoc fieri non valet,
„ induamur nos duplicis caritatis pennis; ſimus in Chriſto
„ ſemper præſentes, qui ſumus in Seculo abſentes. Quid
„ eſt caritas, niſi unitas animorum? dicente ipſa Veritate
„ (*Joannis XVII.*) dum pro ſuis oraret ad Patrem: *Pa-*
„ *ter, conſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint*
„ *unum, ſicut & nos unum ſumus.* Ego verò filius tuus
„ obſecro te per ejus miſericordiam, qui hæc dixit, ut in
„ ſanctiſſimo paternæ memoriæ theſauro, filii tui Alcuini
„ nomen habeas reconditum, & inter digniſſimas Deo obla-
„ tiones orationum tuarum vel ſemel ore proferas. Quanta
„ tibi, Pater optime, apud pietatis remuneratorem Domi-
„ num Chriſtum remanet merces, ſi me peccatorum pon-
„ deribus prægravatum, paternæ miſericordiæ precibus ſub-
„ levare coneris! Fateor, me tantæ auctoritatis degenerem
„ eſſe filium. Tamen junioris filii, qui a Patre in longin-
„ quam receſſit regionem (*Lucæ XV.*) roboratus exemplo
„ au-

„ audeo dicere: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te;*
„ *Ideo non ſum dignus vocari filius tuus*. Et te credo, pa-
„ ternæ memorem pietatis, lætis revertenti occurriſſe am-
„ plexibus; prudentiam quoque tuam recordari Beatiſſimi Job
„ (*ejuſdem Job Cap. I*) pro filiis devotionis (*aliter* di-
„ lectionis), qui quotidie pro illorum proſperitate Deo ſa-
„ crificia offerre ſtuduit; valde deſiderans quos ſeculo ge-
„ nuit, Deo enutrire. Ideo in omnibus tentationibus, tam-
„ quam aurum in fornace probatus, inventus eſt. Laus
„ enim patris in ſalute extat filiorum; & merces paſtoris
„ in multiplicatione gregis adcreſcit. Nam & ipſe Princeps
„ Paſtorum poſt reſurrectionis gloriam Beato Petro, ob con-
„ feſſionis trinæ in ſuo amore ſoliditatem, paſcendas Oves,
„ quas redemit ſanguine, commendavit. Tuum eſt, Pater
„ Sancte, abſentes precibus adjuvare, præſentes verbis eru-
„ dire, exemplis confortare, ut paterna pietas & paſtora-
„ lis devotio omnibus proſit in ſalutem. Patres igitur filiis
„ theſaurizare ſolent. Tu verò beatitudinis theſauros tuis
„ relinque Nepotibus, ut per longas Eccleſiaſticæ eruditio-
„ nis ſeries Cœleſtis Regni gloria tibi ſemper augeatur.
„ Opto, ſi fieri valeat, quatenus me Tuæ Paternitatis Lite-
„ ris reficias, ut aviditatis meæ oculis legam, quod auri-
„ bus audire voluiſſem, ſi forte fieri valuiſſet. Conceſſum
„ eſt enim humano generi pectoris arcana chartis mandare,
„ & Literis innoteſcere tacentibus, quod lingua non valet
„ loquente. Nam & Beatus Paulus Apoſtolus abſentes filios
„ pietate admonitionis ſæpiùs erudire ſolebat, ut quotidiana
„ Literarum lectio æternam Patris præceptorum mentibus
„ filio-

„ filiorum inſigeret memoriam. Sanctitatis Veſtræ auctorita-
„ tem Divina Pietas, ad exaltationem & gaudium Sanctæ
„ ſuæ Eccleſiæ longæva proſperitate cuſtodire dignetur, Pater
„ dilectiſſime.

Vitâ deceſſit Petrus Anno DCCCV. Idibus Maji, poſtquam adminiſtraſſet Mediolanenſem Eccleſiam per Annos XXII. Porro de anno obitûs varii varia protulere. Ughellus exactos ab hoc Antiſtite in hac Sede XX. annos ſtatuit; XXVII. Galeſinius in Tabula Epiſcoporum. Verùm Papebrochius, cum quo nos etiam idem aſſerimus, omnibus recte perpenſis, huic Præſuli annos XXII. regiminis aſſignat, itaut attigerit Annum DCCCV.

Sepultus eſt in Baſilica Ambroſiana, teſte Puricello *in ejuſdem Baſilicæ Monumentis*, num. XXVII.

Negligentiæ notâ inſimulari facilè poſſemus, ſi premere ſilentio vellemus præclarum Metropolis noſtræ decus, quod eidem comparavit pia liberalitas Dathei Archipresbyteri Eccleſiæ Mediolanenſis, Petro Archiepiſcopo eamdem Eccleſiam adminiſtrante. Nemo eſt in Hiſtoria veterum Seculorum adeò peregrinus, qui ignoret, rara admodum fuiſſe Loca conſtructa atque aperta ad excipiendos pueros, ab incertis parentibus natos, expoſitoſque a genitoribus inhumanis. Octavo ſaltem Seculo extructum eſt Brephrotrophium ſeu Domicilium Mediolani iis colligendis ac enutriendis, prope Eccleſiam Sancti Salvatoris, quæ adhuc extat in meditullio Civitatis, nuncupata *in Xenodochio*. Sæpius laudatus Muratorius Tom. III. *Antiquit. Ital. Med. Ævi* colum. DLXXXVII. integrum Documentum recitat, conditum a memorato Datheo

Anno

Digitized by Google

Anno DCCLXXXVII., ex quo conſtat, emptam ab ipſo fuiſſe domum, ut patêret prædictis parvulis colligendis alendiſque. Statuit autem, ut ipſum Exſenodochium in poteſtate & jure foret Sancti Ambroſii, ſeu Pontificis Mediolanenſis, qui pro tempore fuerit. Subjungit verò methodum, qua nutriri debeant uſque ad annum ætatis ſeptimum; & dotem ex proprio cenſu aſſignat, ut mercede conductæ Nutrices in illud inducantur, victuſque ac veſtitus infantibus præbeatur. Subſcripta eſt hæc Charta ab ipſo Datheo Archipresbytero Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, aliiſque Metropolitani ſui Collegiis Presbyteris ac Diaconis. Erecta poſtmodum fuere Xenodochia, & Noſocomia, ac demum Hoſpitale Majus, ubi hoc caritatis officium præſtatur, cùm eidem adnexa ſint Pontificiâ auctoritate Pii II. cetera omnia Pia hujuſmodi Loca, olim per Urbem diſperſa.

OL-

OLDEPERTUS.

PEtro mortuo ſubſtitutus eſt Oldepertus in Epiſcopum Mediolanenſem Anno DCCCV. Variis nominibus appellatus fuit Antiſtes iſte, prout cuilibet de illo ſcribenti libitum fuit, itaut octo diverſa nomina de eo legamus videlicet *Olibertus*, *Alibertus*, *Oldepertus*, *Oldibertus*, *Oldobertus*, *Odbertus*, *Edelbertus*, & *Alipertus*. Nos cum Puricello *in Monument. Baſilicæ Ambroſ.*, num. XXX. Oldepertum dicimus, cùm hoc nomine ſeipſum ſubſcripſerit in Charta Donationis, quæ ibidem a Puricello recitatur, & etiam ab Ughello, confectâ Anno DCCCVI.

Operæ pretium eſt indicare, quænam fuerit iſta Donatio, cùm Charta memorata proximè aliquid ad Hiſtoriam Mediolanenſem ſpectans contineat. Oratorium Sancti Vincentii *in Prata*, ùt olim appellabatur, nunc verò *in Prato*, juris erat Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ. Oldepertus illud dono conceſſit, Arigauſo Abbati Monaſterii Sancti Ambroſii cum prædiis adnexis; eâ tamen conditione appoſitâ, ut eodem pro libito uteretur, fructuſque perciperet uſque ad obitum ſuum; ſublato autem ipſo e vivis, *ad jura & gremium Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ cum omni integritate ſua, ùt ipſi conceſſum erat, reverteretur*. Hinc verò ediſcimus, nondum eo tempore conſtructum ibidem fuiſſe Monaſterium; de Monachis enim apud illud degentibus Charta

Digitized by Google

hæc prorſus ſilet. Quis autem poſtea Cœnobium *in Curte Prata* condiderit, & quando Mediolanenſis Eccleſia jus ſuum liberè Monachis ceſſerit, noſtra non eſt indagare. Joannes Antonius Caſtillioneus nonnullos recentioris ævi Scriptores profert *in ſuis Antiquitatibus Baſilicæ Vincentianæ*, pag. CLIX., qui auctorem ejuſdem Cœnobii faciunt Deſiderium, Regem Langobardorum; ſed cùm nullo veterum Documentorum teſtimonio aſſertionem hanc firmet, ipſum ejuſdem vadem relinquimus. Certum eſt, ſub Angilberto II., Mediolanenſi Archiepiſcopo, Monachos in Sancti Vincentii Monaſterio jam inductos fuiſſe; ex eo namque Angilbertus extraxit Gaudentium Abbatem, ut illum præficeret Monachis Sancti Ambroſii, quorum nemo tunc idoneus erat regendæ Sacræ eidem Familiæ, quemadmodum inferiùs dicemus.

Cùm Galeſinius obvias habuerit diverſas hujus Antiſtitis a nobis memoratas appellationes, duos ex uno Mediolanenſes Epiſcopos fecit, nempe OLDOBERTUM quemdam *Marinium Eugubinum*, quin ullum de eo verbum proferret, nec annos quibus ſederat indicaret, illumque præpoſuit Petro; alterum autem poſt iſtum recenſuit in ordine noſtrorum Præſulum, ſub nomine *Aliberti*: Atque ita Tabulam ſuam vitiavit, cùm prorſus expungi debeat primus, & ſecundus verè Petro ſucceſſerit. Fallitur etiam hic Scriptor in aſſignando Pontifice Maximo, ſub quo delectus fuit Oldepertus ad hanc Sedem, inquiens, ejus inaugurationem incidiſſe in tempora Stephani V. (ſeu IV. juxta Pagium). Siquidem Stephanus Pontificatum non iniit, niſi Anno DCCCXVI., poſtquam Deceſſor Leo III. viginti & amplius annos ſediſſet; adeòque ſub iſto etiam regendam Eccleſiam Mediolanenſem accepit Oldepertus. Ughel-

Ughellus tradit, exceptum fuiſſe Pipinum, Caroli Magni filium ab hoc Præſule, atque ab eo adjutum, ut ſecuriùs ſpiritum Deo commendaret. Sanè Regius iſte Princeps, cùm rediret a bello contra Venetos acto, Mediolanum acceſſit, ibique in gravem morbum incidens deceſſit VIII. Idus Julias Anno DCCCX., atque in ſepulcrum, Veronæ ab ipſo magnificè conſtructum, translatum eſt illius Corpus: In hoc autem conſentiunt Sigonius aliique. Non ita verum eſt quod Ughellus ſubjungit, redimitum fuiſſe Italici Regni Coronâ Modoëtiæ Bernardum Pipini filium; de hac enim Celebritate veterum Scriptorum calamus ne minimam quidem mentionem in Hiſtoriis reliquit, cùm apertè memoraverint actam Romæ a Summo Pontifice Leone III. ejuſdem Coronationem.

Excelluit hic noſter Antiſtes etiam doctrinâ, ſacrâque præſertim eruditione, cujus præclarum ſpecimen dedit ſub Carolo Magno. Cùm enim Cæſar ille experimentum capere vellet Antiſtitum ſub ditione ſua præſidentium bono Animarum, encyclicas Literas ad illos dedit, in quibus proponebantur interrogationes nonnullæ circa Baptiſmum, a quolibet eorum diſſolvendæ, inſtabat namque tempus Paſchale. Inter primos fuit Oldepertus qui Cæſareis juſſis parêret, miſſo ad illum integro Libello, in quo dilucidè quidquid petitum fuerat, explanavit. Memorant hunc Libellum cum laude Mabillonius, Martene, Echardus *in ſua Hiſtoria Franciæ Orientalis*, aliique.

Vitam clauſit Anno DCCCXIV. Regiminis tempus extendit Ughellus ad IX. annos; ſed in antiquis Catalogis VIII. tantùm anni, & VII. menſes Oldeperto adnotantur. Sepulcrum habuit in Baſilica Ambroſiana.

ANSELMUS I.

SUcceſſorem habuit Oldepertus Anſelmum I. Mediolanenſem, electum Anno DCCCXIV., non tamen ſub Paſchale Summo Pontifice, uti retulit Galeſinius in Tabula noſtrorum Antiſtitum; hic enim Pontificia Dignitate inſignitus non fuit, niſi Anno DCCCXVII.

Fuit Anſelmus eximiæ erga pauperes caritatis, teſte eodem Galeſinio; parùm tamen prudens fuit in regimine ſui ipſius, ac triſte exemplum reliquit. Ob quaſdam ſimultates conceptas a Bernardo Rege Italiæ contra Ludovicum Pium Imperatorem Patruum ſuum, molitus eſt Anno DCCCXVII. Bernardus conjurationem adversùs Ludovicum; pluresque Proceres, Clericos, & Epiſcopos in ſuam partem pertraxit. Inter hos præcipui numerabantur Anſelmus Mediolanenſis, Wolfoldus Cremonenſis, & Theodulphus Aurelianenſis. Pervênit ad aures Ludovici conſpiratio iſta; quamobrem motis ſtatim armis, validoque exercitu contracto, uſque ad Cabillonem ſe contulit Imperator: Quo intellecto Bernardus, ſe imparem pugnæ inſpiciens ob militum penuriam, & defectionem eorum qui participes erant initi conſilii, ad Imperatorem avolavit, ejuſdem pedibus ſe abjiciens ac veniam implorans. Et ſanè, omnibus Aquiſgranum captivis traductis, dimminuta eſt Bernardo pœna, quam Judices capitis dixerant; nam contentus Imperator mitiore ſupplicio, eumdem excœcavit; Epiſcopos

ſcopos verò depoſitos a Sede quam tenuerant, Monaſterio mancipavit. Dolore tamen tactus, quòd pœna Bernardo non poſt multos dies peperiſſet vitæ jacturam, a qua ipſe abſtinuerat, inclementiam ſuam confeſſus eſt in Conventu Generali Antiſtitum Imperii ſui, apud Theodonis Villam Anno DCCCXXI. coacto; ibique etiam *ſingularem pietatem oſtendit ſuper eos, qui cum Bernardo Nepote ſuo in Italia, contra caput ac Regnum ſuum conjuraverant; quibus ſibi ad præſentiam venire juſſis, non ſolùm vitam & membra conceſſit, verùm etiam poſſeſſiones judicio Legis in Fiſcum redactas, magna liberalitate reſtituit*, ùt referunt Annales Laureshamenſes.

Hujus indulgentiæ occaſione Mediolano ſe reſtituit Anſelmus, ſecumque detulit Corpus Bernardi, ùt opinatur Baronius, cùm certè illius Sepulcrum in Ambroſiana Baſilica adhuc extet conſpicuum. Siquidem, cùm, referente Calcho, qui tunc Hiſtoriam ſuam ſcribebat, effoderetur tellus Anno MCDXCVIII., ut Cœnobium illi adjacens magnificentiùs extrueretur, jubente Ludovico Maria Sfortia Duce Mediolani, reperta eſt Arca funebris, in cujus Tabula ſuperiore ſculpta erat Inſcriptio a Puricello & aliis relata, & ſignata Indictione X., quæ annum obitùs Regis illius infelicis referebat, ideſt Annum DCCCXVII., non autem ſequentem, ùt plures tradunt Scriptores, quos refellere conati ſumus in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ*, pag. CCLXXI.

Etiam de Coronatione Lotharii in Regem Italiæ, Modoëtiæ a noſtro hoc Antiſtite peractâ, quam aſſerunt concordes Galeſinius & Ughellus, elingues ſe præſtitere vetuſti Scriptores; cùm tamen hujuſmodi Celebritates, ùt moris eſt,

ma-

magno ſtrepitu apparatuum fiant, adeòque abſque turpis ſilentii notâ præteriri ab ipſis minimè potuiſſent. Præterea Pagius tradit ex Eginardo, Lotharium regio Serto redimitum fuiſſe Romæ a Paſchali I., Pontifice Maximo Anno DCCCXXIII., quo jam Anſelmus obierat.

Mortales exuvias depoſuit Mediolani Anno DCCCXXII., poſt annos V. incompletos regiminis. Porro admodum obſcura eſt hoc tempore Chronologia Mediolanenſium Archiepiſcoporum; Puricellus namque *in Monumen. Baſil. Ambroſ.*, num. XLI. nullum fuiſſe ſubſtitutum Anſelmo depoſito & in Cœnobium retruſo tradit; Catalogi autem noſtri ſtatim poſt captivitatem Anſelmi, & indictam eidem pœnam, promotum fuiſſe ad Mediolanenſem Sedem Bonum, ſeu Donum affirmant Anno DCCCXVIII. An verò receptâ libertate, clavum iterum Eccleſiæ noſtræ poſt mortem Boni rexerit Anſelmus, incertum prorſus eſt. Puricellus quidem hoc fidenter tradit, ſed caret ſolidâ veterum Annalium baſe, cui ſecurè poſſit inniti. Id certum eſt, poſt reditum ab Aquiſgranenſi Urbe paucis tantùm menſibus ſuperfuiſſe in vivis Anſelmum: Anno enim, ut ſupra diximus, DCCCXXII. deceſſit V. Idus Maji, ſepultus in Baſilica Ambroſiana, & in eodem Tumulo, in quo conditus fuerat Bernardus: Id namque cenſuere qui, cùm amovendus eſſet Tumulus a Loco in quo extabat, recluſum eumdem viderunt Anno MDCXXXVIII., & in illo bina Cadavera, alterum Regiis Inſigniis ornatum, alterum verò Mitrâ & Paſtorali virgâ inſignitum compererunt. Deſcribit diligentiſſime Puricellus ibid. num. XL. ſingulas veſtes ac ornamenta, quibus amiciebantur.

BO-

Digitized by Google

BONUS.

ANſelmo depoſito a Sede Mediolanenſi delectus eſt in Antiſtitem Bonus, ſeu Donus, non Anno DCCCXXII., ut Puricellus & Ughellus cenſuere, ſed Anno DCCCXVIII, quemadmodum tradit Papebrochius ex antiquis Catalogis.

Præſulem hunc fuiſſe acerrimum Eccleſiaſtici juris defenſorem Galeſinius & Ughellus teſtantur, nec nos quidquam refragamur. Id tantùm in votis noſtris extitiſſet, ut aliquid innuiſſent de occaſione & Auctore contentionis in ipſum excitatæ; invenire namque in Hiſtoriis noſtris minimè valuimus, quod tunc temporis tranquillam Eccleſiæ pacem violaverit.

Adnotat etiam Ughellus, cum Puricello, ſtipatum fuiſſe hunc Antiſtitem in ſolemni Mediolanenſis Metropolis ingreſſu Nobilibus Viris e Familia Confaloneria, & collocatum in Sede Archiepiſcopali, Equo cui Præſul inſidebat ipſis dimiſſo; eumque primum fuiſſe, qui honore iſto donatus in Catalogis legatur. Quo verè tempore inceperit mos iſte, & a quo datum fuerit hoc Privilegium Confaloneriis Gentilibus, prorſus ignoramus; ſiquidem vetuſti Catalogi nihil memorant de origine hujus prærogativæ. Id certum eſt, a longævo tempore conſueviſſe Confalonerios rubeis veſtibus indutos comitari Antiſtitem Mediolanenſem, cùm primùm hanc Metropolim ingreditur, & Cathedram conſcendit, eoſ-

que

Digitized by Google

que etiam in præſens ævum in hoc eorumdem Familiæ decore perſeverare.

Obiit Bonus Anno DCCCXXII., VIII. Calendas Februarii; errant enim Puricellus & Ughellus, qui annum mortis DCCCXXII., electionis fecerunt; adeòque etiam ejuſdem exitum ab hac vita protraxere ad Annum XXVI. Seculi IX.; rexit namque Bonus Eccleſiam Mediolanenſem per annos IV., ùt concordes Catalogi tradunt.

Sepultus eſt in Ambroſiana Baſilica cum aliis noſtris Epiſcopis, qui, ùt ſupra vidimus, ibidem tumulari voluere, creſcente in dies cultu erga Locum, in quo Sacrum Sancti Ambroſii Corpus jacebat, ob excitatum recenter Monachorum Cœnobium, qui ad Sancti noſtri Patroni gloriam augendam diu noctuque laudes perſolverent; quemadmodum animadvertit Puricellus *in Monument. Baſil. Ambroſ.* num. XLII.

AN-

Digitized by Google

ANGILBERTUS I.

VIces regendæ Eccleſiæ Mediolanenſis poſt Bonum accepit Angilbertus I. Anno DCCCXXII. *Angelbertum* Galeſinius in Tabula hunc Antiſtitem vocat; ſed contra fidem veterum Catalogorum, & etiam recentium, qui eum conſtanter appellant Angilbertum. Inſuper iſtum tradit, electum fuiſſe ſub Gregorio IV., qui Sedem Pontificiam adiit quinquennio poſt, ideſt Anno DCCCXXVII.; verè autem tunc ſedebat in Romana Cathedra Paſchalis I. Nec minus fallitur Ughellus, qui ſcribit, promotum fuiſſe Angilbertum I. ad Epiſcopalem Dignitatem Anno DCCCXXVI.; tolerabili tamen anachroniſmo, ob malè ſtatutum annum obitûs in Bono Deceſſore.

Uterque ex hiſce Scriptoribus ad augendam Angilberti laudem aſſerit, Corpus Sancti Monæ olim Epiſcopi noſtri tranſlatum ab eo fuiſſe in locum decentiorem; Galeſinius verò etiam locum Tranſlationis deſignat, nempe Eccleſiam Sancti Michaëlis *ad Domum*. Attamen, ſi Hiſtorias noſtras conſulamus, defoſſum legimus Corpus Sancti Monæ ab Heriberto de Intimiano Archiepiſcopo Mediolanenſi, Anno MXVIII. electo, ac depoſitum fuiſſe in Eccleſia Sancti Vitalis, a qua traductum eſt in Metropolitanam Baſilicam a Sancto Carolo Borromeo, ùt jam diximus, cùm de Sancto Mona mentionem egimus.

Vitam explevit Anno DCCCXXIII., VII. Idus Octo-

bris, non Septembris, ut ſcripſit Galeſinius; poſt menſes XIV., & dies XXII. regiminis: in quo erravit Ughellus, ſeptem tantùm menſes Sedis Angilberto I. attribuens. Sepulcrum habuit in Baſilica Sancti Ambroſii.

AN-

Digitized by Google

ANGILBERTUS II.

ANgilberto I. alter Angilbertus ſucceſſit, deſignatus in Archiepiſcopum Anno DCCCXXIV.; atque in hoc certum eſt, errare Galeſinium & Ughellum, quorum primus ait, conſecrationem recepiſſe Angilbertum II. ſub Gregorio IV., qui tamen ſedere minimè cœpit in Apoſtolica Cathedra, niſi Anno DCCCXXVII.; alter verò ad hanc Sedem promotum tradit eumdem Angilbertum Anno DCCCXXVII.. Papebrochius autem *in Exegeſi* affert Lapidem adnotatum a Bonaventura Caſtillioneo, & etiam Grutero *in Appendicula* adjectâ magno Volumini *de antiquis marmoreis Tabulis*, Legioduni in Mediolanenſi Diœceſi poſitum, jubente hoc Angilberto, in quo ſignantur *Calendæ Auguſti*, & *anni regiminis* ejuſdem, ideſt *XXIII.* Iſti verò ſi conjungantur cum Anno mortis DCCCLX., dilucidè oſtendunt, Lapidem hunc pertinere ad Annum DCCCXLVI.; adeòque confirmant, Angilberti II. electionem Anno DCCCXXIV. menſe Junio contigiſſe, ab hac enim Epocha ad Annum DCCCXLVI. vigeſimus tertius Angilberti annus inchoatus numerabatur.

Porro ſummopere miramur, Ughellum ſtatim ab initio invectum acerbè fuiſſe in hunc Archiepiſcopum, eidem exprobrando, quòd primus contra Eccleſiam Romanam vexillum explicaverit, ac Schiſma conflaverit, quod peſſimo illius exemplo Succeſſores ſui a Romani Pontificis obedientia di-

vulſi per ducentum annos fœda rebellione conſervavere. Putidum hoc Commentum cœco calamo credulus excepit Ughellus ab Erycio Puteano, Sigonio, Ripamontio, aliiſque. Sed illud prorſus exſuffiavit Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. CX., noſque etiam anilibus fabulis adſcripſimus hanc Angilberti defectionem tum in Adnotationibus *ad Vitam Stephani IX.*, inſertam Tom. III. *Rerum Italicar.*, tum in *Vindiciis de Adventu Mediolanum Sancti Barnabæ Apoſtoli*, in quibus Papebrochium quoque refellere conati ſumus, aſſerentem, hoc Schiſma non *poſitivum*, ſed *negativum* fuiſſe, ideſt non in deneganda obedientia Summo Pontifici, ſed in pertinacia non petendi Archiepiſcopale Pallium ab ipſo; Conſtat enim ex *Hiſtoria Leodienſium Epiſcoporum* a Chapeaville vulgatâ, tranſmiſſum fuiſſe a Summo Pontifice, per Ratherium Veronenſem Epiſcopum, Româ Pallium ad Hilduinum Archiepiſcopum Mediolanenſem, centum ferme annis ante Heribertum, qui dicitur a Papebrochio primus fuiſſe in hoc fictitio Schiſmate abolendo. Et ſanè, quis credat Præſulem ſingulari pietate conſpicuum, & religionis operibus addictiſſimum, quem etiam Galeſinius reſtatur, pauperum viduarumque Patrem fuiſſe tunc temporis appellatum, quis inquam credat, voluiſſe impudenti ſuperbiâ caput erigere contra Chriſti Vicarium, illudque filialis reverentiæ vinculum, quo Summi Pontificis Solio nectebatur, tam indigno auſu confringere?

Sub primos regiminis Angilberti menſes felix illi occaſio contigit edendi publicum ſpecimen ſuæ erga rectum Eccleſiarum ordinem ſolicitudinis. Cùm enim, frequenti Barbarorum irruptione in Italiam, confuſa fuiſſent Epiſcoporum jura, fau-

ſto

ſto omine effectum eſt, ut Eugenius II. Pontifex Maximus Concilium indiceret Mantuæ celebrandum Anno DCCCXXVII. Quocirca Maxentius Patriarcha Aquilejenſis Libellum obtulit in eo Epiſcoporum Conſeſſu, quo expoſcebat, ut Eccleſiæ a Gradenſi Patriarcha, ſeu aliis Epiſcopis occupatæ, ad ipſum antiqua juriſdictione ſpectantes reverterentur; quemadmodum etiam Synodali ſententiâ decretum fuit. Inter Antiſtites autem Mantuæ collectos adfuit quoque Angilbertus Archiepiſcopus, qui ſimul cum ceteris Præſulibus pro juſtitia ſtetit, ut conſtat ex Charta, quam refert Ughellus *in Additamentis ad Epiſcopos Aquilienſes*, Tom. X. Venetæ Editionis, noſque ad laudem noſtri Archipræſulis partim hoc loco recudimus.

„ Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto in perpetuum. „ Anno Pontificatus SSmi & univerſalis Papæ Eugenii quarto, „ & imperantibus piiſſimis, catholicis, & Dei cultoribus Chlo„ dovico & Chlotaro Impp. Anno ſeptimodecimo, per Indi„ ctionem quintam, octavo Idus Junii, ſecundùm Dei gra„ tiam, & ſanctionem eorum congregata Synodus, in qua ad„ fuerunt Vir venerabilis & ſanctiſſimus Benedictus Epiſcopus, „ & Leo Reverendiſſimus Diaconus Bibliothecarius, Legati vi„ delicet Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, habentes locum Beatiſſimi „ Papæ Eugenii, Sichardus palatinus Presbyter, & Vir ſpecta„ bilis Theoto, a præfatis Auguſtis directi, Petronaſque Ra„ vennatis Reverendiſſimus Archiepiſcopus, atque Angelpertus „ Sanctiſſimus Mediolanenſis Archiepiſcopus, Provinciæ Æmi„ liæ Andreas Ferrarienſis Epiſcopus &c. Reſidentibus igitur „ in hac Synodo Reverendiſſimis Epiſcopis, adſtantibus Dia„ conibus & cetero Clero, veniens Vir Sanctiſſimus Maxen„ tius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

„ tius Aquilejenſis Patriarcha, precum Libellos pro diſper-
„ ſione ſuæ Aquilejenſis Eccleſiæ obtulit, ut ſuæ Provinciæ
„ Eccleſias, quas Barbarorum incurſus a ſua Matrice ſegre-
„ gaverat, authoritate Canonum jam pacis tempore percipere
„ mereretur ad propria &c. „ Memorat Concilium hoc, ab Eugenio II. convocatum in memorata Urbe Anonymus Scriptor *in Vitis Aquilejenſium Patriarcharum, editis* Tomo XVI. *Rerum Italicarum*, colum. LXXXII.

Quanto autem religionis erga Deum conſervandæ deſiderio ſuccenderetur Angilbertus, ſatis ſuperque docet Concilium Ticinenſe, celebratum Anno DCCCL., in quo editi ſunt XXV. Canones, ad inſtaurandam Eccleſiaſticam diſciplinam, inſtante Ludovico II. Imperatore; necnon alterum quoque ibidem coactum Anno DCCCLV., ut in Epiſcopis, Clero, & populo, pietatis integritas refloreret. Præterea in Sancti Ambroſii, Patroni Eccleſiæ Mediolanenſis, honorem ſummo impendio Altare aureum in Ambroſiana Baſilica condidit, quod etiam in præſentia oculis Chriſti fidelium exponitur; Monachis verò, qui in Cœnobio contiguo laudes Deo ac Sancto huic Doctori perſolvunt, plura largitus eſt dona, ut ferventiùs illi Baſilicæ inſervirent, adhuc Chartis, in eorumdem Archivo teſtantibus tam pii Præſulis liberalitatem.

Occaſionem circumcingendi argenteis aureiſque laminis ac gemmis Altare memoratum tradit Ughellus, ex Galvaneo Famma, Scriptore Seculi XIV. aliiſque, fuiſſe hujuſmodi: Cùm enim ex peculiari amore erga Sanctum Ambroſium ſubduxiſſet Angilbertus ex ore Sacri Corporis dentem, illumque incluſum annulo ſecum geſtaret, fortè oculos intendens, den-

dentem evanuiſſe conſpexit; quamobrem diligenti indagatione ſcrutabatur, ubinam foret; donec admonitus a quadam vetula, quæ ait: *dentem invenies, ubi abſtuliſti*, illum verè loco ſuo reſtitutum comperiit. Tunc, ne de cetero aliquid de Corpore Sancti Ambroſii auferri poſſet, ipſum ſub terra occultavit, atque Aram ſuper illud erexit pretioſiſſimè exornatam. Attamen in Vita Sancti Bernardi Cardinalis & Epiſcopi Parmenſis, a contemporaneo Auctore conſcripta, & Romæ edita Anno MDCXII. Cap. XLVI. legimus, Beatum hunc Virum, cùm Mediolani Pontificium Legatum ageret Anno MCXXX, acceſſiſſe ad Tumulum Sancti Ambroſii, ut Oſſa ipſius veneraretur, & non ſine miraculo vota ejuſdem impleta fuiſſe; idque adſcriptum Divinæ fuit providentiæ, ne aliò aſportaretur Sacrum Pignus in ferali excidio, quod inflicturus erat Mediolanenſi Urbi eodem Seculo Federicus Ænobarbus. Siquidem exinde neminem unquam in Sanctam Arcam oculos immiſiſſe retulerunt Hiſtoriæ, occluſo etiam quolibet cuniculo, ſi fortè relictus eſſet ab Angilberto, ut Puricellus opinatur.

Corpus Sancti Caloceri Brixienſis, de Albigauno ubi Martyrium pertulit, dicitur Angilbertus tranſtuliſſe ad Monaſterium de Clivate. Bollandiſtæ hanc Tranſlationem adnotavere ad XV. Calendas Maji ex Martyrologio Adonis MS.to, & aucto apud Brixienſes circa Annum MCLXX., in quo legitur, Sanctum Calocerum ſepultum priùs fuiſſe Albigauni; eo autem tempore tranſlatum fuiſſe illius Corpus ad Clavaſium Monaſterium. Vox iſta *Clavaſium* ingenium Henſchennii torſit, ubinam eſſet hæc Civitas aut Oppidum; proinde

Digitized by Google

inde verò arbitratus eſt, eſſe Oppidum illud Pedemontii, nunc etiam appellatum *Chivaſſo*, decem milliaribus Taurino diſtans, Lucem afferunt huic dubio Annales noſtri, qui Sanctum Calocerum ſepultum tradunt *in Monaſterio de Gyvate*, ſive *Clivate* Diœceſis Mediolanenſis, quòd conditum dicitur a Deſiderio Langobardorum Rege, & in quo adhuc degunt Monachi Montis Oliveti.

In Annalibus Benedictinis Tom. II. Cap. XXX. narratur ad Annum DCCCXL., ex Franciæ partibus Mediolanum adventaſſe Leudgarium Abbatem, & Hildemarum Monachum, quos, ut Monaſticam diſciplinam in Ambroſiana Diœceſi redintegrarent, Angilbertus II. apud ſe detinuit; mox verò, Ramperto Epiſcopo Brixienſi eos enixè petenti, ad erudiendos Monachos Sanctorum Fauſtini & Jovitæ in ea Urbe degentes, libentiſſime dimiſit. Teſtatur benignam hanc conceſſionem Rampertus ipſe in Conſtitutione ſua, edita Anno DCCCXLI., & inſerta *Bullario Caſinenſi* Tom. II. pag. XXV. his verbis, quæ placet huc transferre, cùm ex iis plurimum laudis huic noſtro Antiſtiti accreſcat: „ Denique cùm noſtrorum Fidelium & maxime Sacerdotum, ad hoc multorum ſaluti profuturum provocaremur Opus, petere a Sanctiſſimo Viro Domino Angilberto Fratres curavimus, quibus hujus Officii curam noſtra committere poſſet ſagacitas: Ipſe verò, ùt Vir doctiſſimus, multorum affatim illuſtrationem deſiderans, & non ſua, ſed quæ ſunt Jeſu Chriſti per omnia quærens, conceſſit nobis Fratres, ex partibus Franciæ advenientes, quoſque ob illumiuationem ſuæ Eccleſiæ inſolubili ſibi ſociaverat vinculo, Leudgarium videlicet Abbatem,

„ batem, & Hildemarum Monachum, quatenus ita nobis „ præſtarent adjutorium, quemadmodum illi nunc præſtant, „ & ſemper præſtabunt, quorum vitâ atque doctrinâ plu- „ rimi hoc in Regno illuſtrati eſſe noſcuntur &c. „ Videat Ughellus, an excitati tam turpis diuturnique Schiſmatis reus accuſandus ſit Præſul iſte, tot rebus ſanctè geſtis illuſtris, ac tot laudibus ab Antiſtite coævo decoratus.

Maximum Angilberti elogium eſt, quod refertur ab Agnello, *in ſua Epiſcoporum Ravennæ Hiſtoria*, & a Joanne Georgio Ecchart *in Commentariis Franciæ Orientalis*, videlicet excitatas fuiſſe inter Lotharium filium, & Ludovicum Pium, ejuſdem Patrem, contentiones quaſdam, non parvo Parentis dolore. Pœnituit demum turbarum, quas ipſe conflaverat, Lotharium: Quamobrem advocavit Angilbertum Mediolanenſem Archiepiſcopum, ut pacem a Patre conſequeretur. Annuit ille æquam adeo rem petenti Lothario. Verùm cùm admiſſus ad colloquium ejuſdem, ſolâ capitis inclinatione & ſalutatoriis verbis uſus fuiſſet in primo ingreſſu, Lotharius ſubiratus ait: *Sic te geris, quaſi Sanctus Ambroſius eſſes*. At repoſuit Angilbertus: *Nec ego ſum Ambroſius, nec tu Dominus Deus*; profectuſque ad Imperatorem Ludovicum, Filium Patri reconciliavit.

Galeſinius in Tabula Epiſcoporum Mediolanenſium adnotavit, Synodum Provincialem celebratam fuiſſe ab hoc Angilberto, atque in ea confirmatam inſtitutionem, a Ramperto Epiſcopo Brixienſi factam in eadem Urbe Cœnobii Sanctorum Fauſtini & Jovitæ. Hujus Synodi nulla occurrit mentio in Labbeo, neque in aliis noſtris Hiſtoriis: Galeſinius

tamen optimâ fide laudem hanc adſcripſit Archiepiſcopo Angilberto. Occaſionem præbuit eamdem convocandi ipſemet memoratus proximè Rampertus Brixienſis Antiſtes, immortalis apud Cives ſuos nominis. Cùm enim expetiiſſet, ut inſtitutio Cœnobii apud Eccleſiam Sanctorum Martyrum Fauſtini & Jovitæ ab ipſo erecti, aliquo Metropolitani ſui Scripto roboraretur, ſatisfecit abundè ejuſdem votis Angilbertus; atque ad majorem conciliandam prædictæ Inſtitutioni auctoritatem, Synodum Provincialem coëgit Anno DCCCXLII., in qua omnium Suffraganeorum Patrum conſenſu Præceptum edidit, quod ad ſe tranſmiſſum ex Archivo illius Cœnobii Clariſs. Muratorius inſeruit Tomo V. *Antiquitat. Ital. Med. Ævi*, col. CMLXXXV. in hæc verba:

„ ✠ Angelbertus humilis beatæ Mediolanenſis Eccleſiæ „ Antiſtes. Notum eſſe cupimus cunctis Chriſti Dei noſtri „ cultoribus, quod Confrater atque Coëpiſcopus noſter Ram„ bertus cum ſuorum Sacerdotum aliorumque fidelium con„ ſenſu, in loco ubi Sanctorum Fauſtini & Jovitæ Marty„ rum Corpora quieſcunt, Monachorum ædificavit Cœno„ bium. Super cujus perpetuo ſtatu inſtitutionem facere, ip„ ſamque nobis, ut noſtro roboraretur Præcepto, curavit „ offerre. Et quia officii noſtri eſt, non extinguere bono„ rum, ſed magis magiſque accendere ſtudia, alacri devo„ tione inſtitutionem, quam jam prædictus Deo gratus Epi„ ſcopus, nobis verò cariſſimus, ideo edidit, ut ſalva ma„ neret intentio res ſuas Deo dicantium, & in Eccleſia „ nobili omnibus canonicis horis divinum perſolveretur offi-

„ cium,

„ cium, & ut nullam quis pateretur tarditatem ad Domi-
„ num convertendi: firmare ac roborare hoc noſtræ auсto-
„ ritatis Præcepto curavimus. Eo videlicet modo, ut nil
„ amplius ab ipſa Congregatione quàm Libra requiratur ar-
„ genti. Liceatque ei abſque ſuperimpoſitione ſuſceptum Deo
„ perſolvere votum: habeantque nihilominus licentiam de
„ ſe ipſis ſemper Abbatem creandi. Et ſi umquam aliqua
„ inquietudo eis illata fuerit, quidquid ab hac die ipſis da-
„ tum fuerit, vel adquirere quolibet modo vel arte potue-
„ rint, in ipſorum ſit poteſtate, quatenus his liberè uten-
„ do, & quem voluerint defenſorem habendo, quietiùs Deo
„ valeant militare. Ut igitur inſtitutio Sancti Coëpiſcopi no-
„ ſtri prædicti Ramberti a nullo Succeſſorum ejus poſſit ali-
„ quo modo corrumpi, ſed firma & inconcuſſa atque in-
„ violata permaneat, per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum
„ eam firmare curavimus, canonice proclamantes, ut ſi quis
„ eam violare temptaverit, anathema ſit.

„ Quod etiam Andream Eccleſiæ noſtræ Notarium ſcribere
„ juſſimus, propriaque manu ſubſcripſimus Anno Dominicæ
„ Incarnationis DCCCXLII. Anno etiam Imperii Chriſtianiſſimi
„ Lotharii Imperatoris Viceſimo Tertio, Indictione quinta.

„ Angelbertus indignus Epiſcopus confirmans ſubſcripſi.
„ Ego Aldigiſius Epiſcopus conſenſi, & ſubſcripſi.

„ ☧ gratia Dei Hagamo Epiſcopus huic Sacre Sy-
„ nodali pragmatice manu mea ſubſcripſi.

„ ✠ Pancoardus Epiſcopus ſubſcripſi.

„ Ermenfredus Epiſcopus ſubſcripſi.

„ Walfericus Epiſcopus ſubſcripſi.

„ ✠ Ercanbertus Epiſcopus ſubſcripſi.

„ Verendarius Curienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Non minorem ſolicitudinem eâ quam oſtenderat in adjuvando Ramperto ad Monaſticum inſtitutum Brixiæ condendum adhibuit Angilbertus, ut inducti a Prædeceſſore ſuo Petro in Ambroſianum Cœnobium Mediolanenſe Monachi Sancti Benedicti, ad omnes clauſtralis diſciplinæ leges componerentur. Deciderant non parùm a primævo fervore qui ſua ætate Cœnobium illud incolebant Alumni Sancti illius Patriarchæ; quamobrem animum adjecit emendandis eorumdem irreligioſis moribus, quibus & Profeſſionis illorum ſplendor, & Divini cultûs integritas plurimùm imminuebantur. Ac primò accitum e Vincentiana Baſilica Gaudentium, Virum integerrimum, Abbatem illis præfecit Anno DCCCXXXII., quemadmodum Puricellus jam adnotaverat *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. XLIV., & nos ſuperiùs innuimus *in Olderti Vita*. Felicem tamen eum exitum, quem optaverat Angilbertus, minimè ſortitum eſt ſalutare hoc conſilium; quocirca, redeunte forſitan ad primam Sedem Gaudentio, Archipresbyterum ſuum Metropolitani Maximi Templi, illius Monaſterii Abbatem conſtituit Anno DCCCXL., expeditâ Chartâ, quam Puricellus aut non vidit, aut conſultò omiſit.

ſit. Sed eam publica luce donavit Clariſs. Muratorius Tom. V. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. CCCLXXVII., extractam e Tabulario ipſo Cœnobii Ambroſiani, noſque eamdem hoc loco recudimus, cùm inde comperta omnibus reddatur Paſtoralis cura & fervens in Archiepiſcopi noſtri corde amor erga res ſacras reſarciendas, & Dei gloriam procurandam. Ita autem ſe habet:

„ ☧ Angilbertus beate Mediolanenſis Eccleſie humilis Archiepiſcopus. Noverit . . . . præſentium
„ ſcilicet & futurorum, adeo nos Beati Ambroſii patronis
„ noſtri Cœnobium dili . . . . voluiſſe, ut etiam Ar-
„ chibresbiterum Eccleſie noſtre ibi cum electione omnium
„ ordinaremus Abbatem . . . . Et quia idem Abbas jam or-
„ dinatus noſtram ſolertiam poſtulare curavit, ut per noſtre
„ auctoritatis . . . . . . quo Villas & Caſtella, que nunc ha-
„ bet, vel adepturus eſt idem locus cum omni integritate
„ . . . . . diminutione vel inquietudine eidem & Succeſſoribus
„ ejus poſſidere liceret ad Dei . . . . ob Dei & Beati
„ Ambroſii amorem, per conſenſum Sacerdotum noſtrorum,
„ per hanc noſtram . . . . . . aliquis Succeſſorum noſtrorum
„ jam predicto Abbati aut Succeſſoribus ejus ullam contrarie-
„ tatem . . . . . . in rebus diminutionem. Concedimus etiam,
„ ut poſt obitum ipſius Abbatis de ipſa Congregatione Pater
„ eligatur, ſi idoneus ad hoc opus . . . . . inſtitutio melior
„ habeatur ſubter eam propria manu firmare . . . .
„ Andream Notarium Eccleſie noſtre ſcribere juſſimus.

„ An-

Digitized by Google

„ Angelbertus indignus Epiſcopus in hoc Precepto ſub-
„ ſcripſi.

„ Andreas Archidiaconus ex juſſione Domni Angelberti
„ Archiepiſcopi in hoc precepto ſubſcripſi.

„ Adoaldus Diaconus in hoc precepto ex juſſione Domni
„ Angilberti ſubſcripſi.

„ Gunzius Diaconus in hoc precepto ſubſcripſi.

„ Pemo indignus Presbiter ſubſcripſi.

„ Angilbertus humilis Presbiter ſubſcripſi.

„ Hermenſredus humilis Diaconus ſubſcripſi.

„ Liuprandus Presbiter in hoc precepto ſubſcripſi.

„ Deuſdedit humilis Presbiter ſubſcripſi.

„ Walpertus humilis Presbiter ſubſcripſi.

„ Cellus humilis Presbiter ſubſcripſi.

„ Ermenaldus indignus Presbiter ſubſcripſi.

„ Petrus Diaconus ſubſcripſi.

„ Adroaldus Presbiter ſubſcripſi.

Interfuiſſe Angilbertum Concilio I. Romano, coacto a Leone IV. Summo Pontifice Anno DCCCLIII. conſtat ex *Charta Judicati*, quam refert Clariſs. Muratorius Tom. VI. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. CCCLXXXIX., cuique Angilbertus ſubſcripſit tamquam unus ex Miſſis Ludovici II. Imperatoris.

Ughellus tradit, obtentam fuiſſe per Angilbertum Mediolanenſi Eccleſiæ confirmationem a Ludovico Pio privilegiorum, quæ Carolus Magnus illi conceſſerat. Verùm cùm

plu-

plurimùm nutet Diploma Caroli, quemadmodum in Petro Archiepiſcopo animadvertimus, ruere videtur etiam hæc Confirmatio; præſertim quia Ludovici Diploma ab Ughello non profertur. Tradit quoque, extare Epiſtolam ſcriptam ab hoc Antiſtite ad Ludovicum Imperatorem, *de Statu rerum Eccleſiaſticarum*: Hæc tamen, jubente ipſo Ludovico, data eſt nomine totius Synodi Ticinenſis, ut conſcius fieret Imperator de moribus Epiſcoporum, Sacerdotum, Monachorum, &c., eamque referunt cum Ughello Labbeus & Sigonius, qui Reſcriptum ejuſdem Ludovici recitat in Hiſtoria *de Regno Italiæ*, ad Annum DCCCLV.

Supereſt exſolvendus nodus admodum implexus, quanto videlicet tempore Eccleſiam hanc adminiſtraverit Angilbertus; Galeſinius namque ſediſſe illum tradit annis XXV.; vitâ expletâ Idibus Decembris: Ughellus autem varias aliorum de hac re Scriptorum opiniones enumerat, ſuam minimè enuncians, contentus diem deſignare, quo e vivis exceſſit, ideſt Idus Decembris Anni DCCCLXI. Nos cum Papebrochio ſtatuimus annos XXXVI. acti regiminis, mortem figentes Anno DCCCLX.

Sepultus eſt in Baſilica Sancti Nazarii.

THA-

THADO.

POſt Angilbertum II. ad regendam Mediolanenſem Eccleſiam aſſumptus eſt Thado Anno DCCCLXI., tranſactis undecim menſibus Sedis vacantis, cùm juxta calculum Papebrochii conſecratio ejuſdem inciderit in diem IX. Novembris.

Hunc Ughellus ſcribit, *meliori mente conſilioque* commiſſum ſibi munus adminiſtraſſe, itaut a Nicolao I. Summo Pontifice appellatus ſit & habitus *Sanctiſſimus Frater*. Quamobrem neſcimus, qua de cauſa tam cito receſſerit a ſententia in Angilbertum II. ab ipſo lata, tamquam in Auctorem defectionis a Romana Sede, per ducentum annos in Eccleſia Mediolanenſi vigentis. Sanè Nicolaus I. ſingulari benevolentiâ Thadonem proſequebatur: Cùm enim Engeltrudes Boſonis Comitis Uxor, relicto proprio Viro, cum adultero in Gallias profecta eſſet, Summus Pontifex juſſit, Mediolani Epiſcoporum Concilium colligi, ad quod vocata Engeltrudes, ſi certo tempore non adfuiſſet, ab eo ſacrato Collegio vinculis anathematis innodaretur; quemadmodum etiam peractum eſt, Nicolao Epiſcoporum ſententiam confirmante. In Concilio quoque Romano III., celebrato Anno DCCCLXIII., Canone II. mentionem Thadonis agit idem Pontifex Maximus, ita exordiens: *Sententiam, quam a Sede Apoſtolica in Engeltrudem Uxorem Boſonis Sanctiſſimus Frater noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus Thado, & ceteri Coëpiſco-*

pi

Digitized by Google

pi noſtri petierant emittendam, & nos Divino ſuccenſi zelo ſub anathematis obteſtatione canonicè protuleramus &c.

Extat in Decreto Gratiani (*a*) Reſcriptum datum ab eodem Nicolao huic noſtro Antiſtiti, quærenti quomodo ſe gerere deberet cum percutientibus aut etiam occidentibus Preſbyteros prædonibus, qui a Judicibus minimè coërcentur: Atque in eo reſpondet Summus Pontifex, fraterno amore illos admonendos ſecundò ac etiam tertiò, ut reſipiſcant; ſin autem contumaces fuerint, ab Eccleſia ſub anathematis vinculo reſecandos.

Tanta in hoc Præſule eluxit ingenii præſtantia, ac rerum Divinarum eruditio, ut non alio quàm *Sapientis* agnomine appellaretur. Nec minori erga Deum pietate excellebat, quemadmodum teſtantur ornamenta quamplura, quæ largitus eſt Baſilicæ Sancti Ambroſii, in reverentiam Corporis ibidem jacentis ejuſdem ſancti Mediolanenſis Eccleſiæ Patroni, ut etiam adnotavit Ughellus. Diploma quoque expedivit in favorem Monachorum, quod cùm Ripamontius *in Hiſtor. Eccleſ. Mediol.* ſuſpectum ſaltem haberet, illudque acri aliquo ſcommate ad apocrypha amandaſſet, Ughellus pari ſtylo vindicandum ſuſcepit. An verò hic pugnandi modus ab eruditis Viris laudem conſequatur, prætereundum potiùs, quàm excutiendum cenſemus.

Demum Beroldus, Scriptor Seculi XII., editus a Clariſs. Muratorio *Diſſertat. LVII. Antiquit. Ital. Med. Ævi*, refert, Feſtum diem Exaltationis Sanctæ Crucis fuiſſe inſtitutum Mediolani in Baſilica Sancti Ambroſii, primo Sabba-

F to

(a) *XVII. quæſt. IV. De Presbyteror. flagellator.*

to Octobris, a Thadone Archiepiſcopo noſtro, aſſignatis etiam prædiis Abbati illius Cœnobii Ambroſiani, ut ex eorumdem fructibus dignè hæc Celebritas perageretur. Veretur Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXXXII., num. II., ne Beroldus a ſimilitudine nominis deceptus fuerit. Siquidem alter Thado Notarius, in Teſtamento a ſe condito, quod idem Puricellus recitat *in Monum. Baſil. Ambroſ.* ad Annum Chriſti MLIII., num. CCLII., plura bona reliquit Monaſterio Sancti Ambroſiii, ut Exaltationis Sanctæ Crucis Feſtivitas, in aliis Eccleſiis jamdiu celebrata, peculiari veneratione in perpetuum quotannis Mediolani recoleretur: Rem autem in incerto relinquit, ſententiam ſuam minimè profeſſens.

Extra omnem dubitationem eſt quod narrat Clariſs. Mabillonius, Vir memoriæ immortalis, in Opuſculo *de Sanctis incognitis, & eorum cultu*, inter Opera poſthuma ejuſdem edito Pariſiis Anno MDCCXXIV., Tom. I. pag. 274. §. XXI.; ſiquidem poſt allata nonnulla ad rem ſuam ſpectantia, iſta ſubjungit: „ Ex his illuſtrari poteſt Nicolai I. Epiſtola, „ nondum edita, ad Thadonem Archiepiſcopum Mediolanenſem. Hic Pontifici ſcripſerat, in Diœceſi ſua, ideſt in „ Auguſtana, quæ tunc ſui juris erat Eccleſia, *non eſſe „ Sanctorum Corpora, niſi Chriſti Martyris Affræ, matriſque „ ejus Hilariæ, ſeu puellarum earum, ſcilicet Dignæ, Eunimiæ, & Eutropiæ: eſſe tamen plura, quæ ſpecialibus in„ diciis ac nominibus minimè clareant: quorum nonnulla nimi„ rum integra manere feruntur: quæ quidem auctoritate Apo„ ſtolica, præmiſſis jejuniis & orationibus, aliorum Sanctorum*

„ *apta-*

„ *aptatis nominibus in Baſilicis recondere* in animo habebat, „ ſi modò ei per Pontificem liceret. Aſt id non probavit „ Nicolaus, immo fieri vehementer inhibuit. Sufficere quip- „ pe ait invocationem Sanctorum nominatorum; etiam ubi „ Corpora deſunt, Fidelibus ad ſalutem; indignumque eſſe, „ *nondum divinitus per glorioſos agones Corporibus revelatis*, „ *Sanctorum imagines nominaque aptari. Quæ, licèt fortè* „ *Sanctorum ſint, operæ pretium eſt, tamdiu in incerto ſuæ* „ *conditionis manere, quamdiu eos Dominus more ſolito reve-* „ *lando, ad ſummam Sanctorum provexerit libertatem*.

Non modicum Hiſtoriæ noſtræ lumen affert ſupradicta Epiſtola, quam neſcimus, an eruta poſtmodum e tenebris in publicam lucem prodierit. Primò enim diſcimus, ſaltem uſque ad Thadonis ætatem Mediolanenſes Antiſtites antiquam in utramque Rhetiam & Auguſtam Vindelicorum juriſdictionem ſartam tectamque ſervaſſe, cùm Thado Auguſtam appellet *Diœceſim & Eccleſiam juris ſui*. Subinde verò opportuna nobis offertur occaſio arguendi, quanto animi fervore inſudaverit Præſul noſter, ut Dei ac Sanctorum cultum in hac Metropoli promoveret, cùm tam ſolicitus fuerit pro inferendis in Auguſtanas Baſilicas Sanctorum Corporibus, nondum publicæ venerationi expoſitis, quorum paucis ſolummodo ditabatur ea Civitas.

Obiit Thado Anno DCCCLXIX., VII. Calendas Junii, poſt octo annos incompletos regiminis; ſepultus in Eccleſia Sancti Ambroſii.

ANSPERTUS.

THadone e vivis ſublato, Anſpertus promotus eſt ad Cathedram Eccleſiæ Mediolanenſis Anno DCCCLXIX., non verò DCCCLXXV., ut malè Sigonius tradit. Etiam huic Præſuli injuſtam perfidiæ notam contra Romanam Sedem appingit Ughellus aſperis hiſce verbis: *Hic Puſterlæ* (Angilberti II.) *ſecutus exemplum, cum Apoſtolica Romana Sede ubique & ſemper implicitus litibus ſuperbiſſimè decertavit; tum denique pertinax ac rebellis, a Joanne VIII. excommunicatus, Archiepiſcopali Dignitate privatus eſt in Synodo* (Romæ habitâ) *Idibus Octobris Anno DCCCLXXIX.* Ad arguendum enim falſi hoc decretorium effatum *ubique & ſemper*, ſufficit Concilium Ticinenſe, ab Anſperto coactum Anno DCCCLXXVI., ut Carolus Calvus in Regem Italiæ inauguraretur, in quo primus Canon ſic jacet: „ Ut Sancta Romana Eccleſia, ſicut eſt Caput omnium „ Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur & veneretur; ne„ que quiſquam contra jus & poteſtatem ipſius aliquid inju„ ſtè agere præſumat: Sed liceat ei debitum tenere vigo„ rem, & pro univerſali Eccleſia Paſtoralem exhibere cu„ ram, atque ſacris precibus omnium pro omnibus interpel„ lare Auctorem „. Poſtmodum ad ſtatuendum deſcendit, quis honor debeatur Pontifici Maximo, tunc ſedenti in Apoſtolica Cathedra, his verbis: „ Ut honor Domno ſpiritali „ Patri noſtro Joanni Summo Pontifici & univerſali Papæ

„ ab

„ ab omnibus conſervetur, & quæ ſecundùm ſacrum mini-„ ſterium ſuum auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſum-„ ma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi „ obedientia in omnibus conſervetur „. Editum eſt hoc Concilium integrum ex MS.to Codice Bibliothecæ Ambroſianæ in Parte II. Tom. II. *Rerum Italicarum*. Quid clarius ad eluendam turpem maculam, qua Anſperti famam denigrat Ughellus, aſſerens numquam interruptis litibus ſervatam ab ipſo fuiſſe contra Romanam Eccleſiam ſuperbiæ pervicaciam? Fatemur quidem, reſtitiſſe Anſpertum contumaci inobedientiâ repetitis mandatis Summi Pontificis Joannis VIII.; verùm culpa hæc fuit ſolummodo Archiepiſcopi, cujus rea non fuit Eccleſia Mediolanenſis, de qua commentitium Schiſma ducentum annorum decantatur; ùt patet ex Epiſtola ad Clerum Mediolanenſem miſſa, qua illi injungebat Joannes VIII. Pontifex Maximus, ut alium eligeret in Epiſcopum, poſt depoſitum ab hac Sede in Synodo Romana Anſpertum, ſeque miſſurum ſpondebat Legatos, qui nomine ſuo novæ Electioni intereſſent.

Præterea dubium eſſe non poteſt, reſipuiſſe Anſpertum, ac præſtitâ Joanni ſatisfactione pro contemptu præterito, reſtitutum fuiſſe Archiepiſcopali ſuæ Dignitati; legitur namque in Labbeo Epiſtola ejuſdem Joannis VIII., ſub num. CCLX., in qua Pontifex confirmat Joſephi Epiſcopi Aſtenſis Ordinationem, qui aliàs contra Canones Vercellenſis Eccleſiæ fuerat Antiſtes conſtitutus; de qua re Anſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus Sedem Apoſtolicam conſuluerat: In decurſu autem Epiſtolæ hæc leguntur: *Ideo his omiſſis de prælibati Joſeph*

ſeph iterata creatione Sanctitas Tua *in nullo penitus hæſitet, quia hanc & nos approbatam admittimus, & ab omnibus admittendam eſſe mandamus.* Data eſt XV. Calendas Martii, Indictione XIV., ideſt Anno DCCCLXXXI., vix elapſis anno & quatuor menſibus a Pontificia & Synodali Depoſitionis Anſperti ſententiâ. Quinimo in altera ejuſdem anni Joannes Summus Pontifex, ſub pœna excommunicationis præcipit Anſelmo Archidiacono Mediolanenſi, ut *Anſperto Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Reverendiſſimo Archiepiſcopo* obedientiam præſtet. Gerebat igitur Archiepiſcopale munus Anſpertus: proinde verò perculſus exauthorationis fulmine collum ſubjecerat obſequio & venerationi Sanctæ Sedis, ſummâque Joannis beneficentiâ hujus Metropolis Infulâ donatus iterum fuerat.

Coronâ Regiâ redimitum ab Anſperto fuiſſe Carolum Calvum in Urbe Ticinenſi Anno DCCCLXXVI., & Carolum Craſſum Anno DCCCLXXX. referunt Ughellus & Galeſinius. Id tamen miramur, minimè adnotatum fuiſſe a coævis Scriptoribus, a quibus electio horum Principum ad Regnum Italicum, peracta ab Archiepiſcopo noſtro Anſperto & Optimatibus Italiæ, diſertis verbis exprimitur, quin aliquid de Coronatione innuatur. Extat in Parte II. Tom. II. *Rerum Italicar.* Concilium ipſum Ticinenſe, auctum ex MS.to Codice Bibliothecæ Ambroſianæ, quod prorſus ſilet de hac Caroli Calvi inauguratione. Idem ſilentium de Corona Regni Italici, Carolo Craſſo impoſita ab Anſperto, in veteribus Hiſtoriis occurrit; ſique hoc etiam contigiſſet, non Anno DCCCLXXX. tribuendum eſſet, ſed præcedenti, quemadmodum

ſum in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* compertum fecimus ad eumdem Annum DCCCLXXX.

Ceterùm eximiæ virtutes floruere in noſtro hoc Antiſtite, quas niſi Pontificiarum juſſionum pertinaci contemptu plurimùm defœdaſſet, Prædeceſſorum gloriam non tam æquare, ſed etiam vincere potuiſſet, Siquidem cùm annonæ caritas omnem Italiam, & Mediolanenſem in primis populum rabidâ fame torqueret, ſimulque fœderata egeſtati lues Nobilium & Plebejorum vitas inexorabili falce demeteret, benigniſſimus Paſtor, Gregis ſui miſeratione tactus, non tam horrea & ærarium aperuiſſe narratur ad ſublevandam communem inopiam; ſed etiam ſeipſum in morientium ſolamen tradidiſſe, Sacramenta & cibum propria manu illis ſubminiſtrando. Religionem quoque ſummam erga Deum in ſemetipſo vigentem oſtendit, plures reficiendo Sacras Ædes, ac condendo a fundamentis Eccleſiam, Sancto Satyro dicatam, ſimul cum Monachorum Cœnobio, quibus prædia ſua & cenſus ultimis Tabulis reliquit, ùt ex Sepulcrali Epigrammate inferiùs apponendo colligimus.

Præclarum aliud teſtimonium eximiæ in ejus corde ferventis caritatis erga Deum & proximum, eſt Xenodochium, quod extrui prope memoratam Sancti Satyri Eccleſiam poſtremis Tabulis mandavit. Eas Anno DCCCLXXIX. conditas, ſed nondum editas, luce donavit Clariſs. Muratorius in Tom. IV. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, pag. DCCLXXIII., quarum initium nos tranſcribimus, in piiſſimi hujus Archiepiſcopi glorioſam ac perennem memoriam.

„ In

„ In nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu „ Chriſti. Karlomannus Divina providentia ordinante Rex Lon„ gobardorum in Italia, Anno Regni ejus ſecundo, X. die „ menſis Septembris, ingrediente Indictione Tertiadecima: „ Ego in Dei Omnipotentis nomine Anſpertus humilis Archie„ piſcopus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, & filius bone me„ morie Albucii de Blaſſono qui vixit Lege Longobardorum, „ (præſens) præſentibus dixi. Sacerdotalis Dignitas convenit, „ ut ad exemplum aliorum ſuis rebus procuret pro remedio „ anime ſue, quatenus dum ſuis rebus bene diſponens apud „ omnipotentem Dominum mereatur inde retributionem pro„ mereri. Et ideo ego qui ſupra Anſpertus Archiepiſcopus „ per hanc paginam ordinationis meæ diſponere & ordinare „ videor omnia pro anime mee remedio, ſeu ſupraſcripti „ Albucii genitoris mei, & Garidrude genetricis mee, ac „ fratris mei Benedicti, & filii ejus Albucii, ſeu reliquorum „ parentum meorum, ut inordinata non relinquam. Primis „ omnium volo & ſtatuo, atque per hunc textum judicati „ mei confirmo pro amore Dei & Domini noſtri Jeſu Chri„ ſti, ut caſas illas tam ſolariatas, quàm & Salas intra „ hanc Civitatem Mediolani, que fuit domus habitationis „ mee, ubi ego in propria clauſura mea in honorem Dei „ & Sanctorum Chriſti Confeſſorum Satyri, & Silveſtri Pape, „ & Beati Ambroſii Epiſcopi Baſilicam a fundamentis edificavi, „ & illas Caſas tam ſolariatas, quàm & Salas, que mihi ex „ commutatione advenerunt da parte Monaſterii Sancti Silve„ ſtri, ſitum Nonantula, que ſecum ad eaſdem Caſas, que „ fuit domus habitationis mee, tenere videntur cum areas, cur-

„ tes

„ tes, hortos, puteos, clauſuras, ac priſtina (piſtrina) omnia
„ una tenentem cum omnibus edificiis inibi conſtructis, cum
„ finibus & acceſſionibus ſuis in integrum, ſit *Senodochium*
„ preſenti die obitus mei in elemoſinis pauperum, & ſu-
„ ſceptione peregrinorum, eo ordine, ſicut hic ſubter ſta-
„ tuero. Et volo, ut habeat ipſum *Senodochium meum*,
„ ut ibi debeat pertinere jam dicta Baſilica a me inibi con-
„ ſtructa, cum omnibus quidquid a me, vel a quacumque
„ perſona collatum fuerit &c.

Reliqua ad dotem aſſignatam ſpectantia omittimus, cùm legi facilè poſſint, loco ſuperiùs indicato.

Non defuit Anſperto animi fortitudo in propugnandis Metropolitanæ ſuæ Eccleſiæ juribus. Cùm enim Ludovicus II. Imperator pridie Idus Auguſti in finibus Brixienſibus vitâ ceſſiſſet, Antonius illius Urbis Epiſcopus Cæſareum cadaver in Eccleſia Sanctæ Mariæ tumulo dederat. Reſcivit hoc Anſpertus, & per Legatum ſuum Archidiaconum monuit Antonium, ut Corpus illud redderet, ad hanc Metropolim deferendum. Sed irrito conatu; refragante Epiſcopo Brixienſi. Quapropter Mediolanenſis Archiepiſcopus mandavit Garibaldo Bergomenſi, & Benedicto Cremonenſi Epiſcopis, ut *cum ſuis Sacerdotibus & cuncto Clero irent, ſicut ipſe Archiepiſcopus faciebat*. Paruere illico memorati Antiſtites, & exhumatum Cadaver mirificè condientes, die quinto poſt tranſitum Ludovici feretro impoſitum cum omni honore, hymnos Deo pſallentes Mediolanum perduxerunt. Narrat hæc Andreas Agnellus, cujus breve *Chronicon* luce donavit Clariſs. Menckenius: Nec de rei veritate dubitare poſſumus, cùm

ipſe Auctor hæc ſubdat: *Veritatem in Chriſto loquor; ibi fui, & partem aliquam portavi, & cum portantibus ambulavi a Flumine, qui dicitur Olco, uſque ad Flumen Adua.* Pergit inde referre iter peractum, ſubjungens: *Adductus igitur in Civitatem cum magno honore & lacrymabili fletu, in Eccleſia Beati Ambroſii Confeſſoris ſepelierunt, die ſeptimana ejus.* Æqui etiam juſtique tenaciſſimus fuit Anſpertus; cùm enim ad ejus Tribunal delata fuiſſet Cauſa Heliberti Comenſis Epiſcopi, qui juriſdictionem injuſtè exercuerat in quibuſdam Eccleſiis Campilioni & Travennæ, ſubjectis Monaſterio Sancti Ambroſii Mediolanenſis, ſententiam protulit contra memoratum Epiſcopum, cujus exemplar intulit Clariſs. Muratorius in Tomum V. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, pag. CMLXXXVII. Opportuna noſtro Inſtituto eſt genuina hæc *Charta Judicati*; ex ea namque compertum fit, Comenſem Eccleſiam IX. etiam ſeculo ſuffraganeam fuiſſe Mediolanenſis Archiepiſcopi, cùm jure proprio Metropolitico litem hanc prolatâ ſententiâ diremerit Anſpertus.

Mediolanenſis quoque Urbis elegantiam auxit & munimenta Antiſtes hic noſter, refectis mœnibus, & Domo Stiliconis, quam Puricellus opinatur fuiſſe illam ab Avis Caſtillioneæ Familiæ ad poſteros ſuos tranſmiſſam; quemadmodum etiam Caſtrum, olim dictum Stiliconis, nunc *Caſtillionum* appellatum. De hiſce omnibus fidem facit etiam in præſentia publicè expoſitus Lapis in Majore Sacello Baſilicæ Ambroſianæ, qui inſculptum gerit metricum Epitaphium, quod infra ex Puricello & Ughello dabimus. Triſtanus Calchus, brevi ſed ſuccoſo Elogio Anſpertum commendavit

ad

ad Annum DCCCLXXIV. his verbis: *Præficitur Eccleſiæ Mediolanenſi Anſpertus, generoſi animi Vir, & qui Sacra pariter & Rempublicam cum laude adminiſtravit*: Hinc patet, Cives hujus Metropolis tunc ſeſe in Reipublicæ ſpeciem compoſuiſſe, cujus Caput Archiepiſcopus erat.

Obiiſſe Anſpertum Anno DCCCLXXXII. concordes cum antiquis Catalogis recentiores tradunt Scriptores, excepto Sigonio, qui illius obitum quinquennio poſt ſignat. Attamen ne hanc amplectamur ſententiam, duo faciunt non levis momenti. Primum eſt, recitari a Labbeo Epiſtolam Joannis VIII. Summi Pontificis, ſub num. CCXCIX., ſcriptam ad Anſelmum Mediolanenſem Archiepiſcopum, & datam menſe Auguſti, Indictione XV., idelt Anno DCCCLXXXII.; Cùmque Anſpertus dicatur vità ceſſiſſe VII. Idus Decembris, in annum ſuperiorem mors illius eſt retrahenda, Succeſſore ejuſdem ab Auguſti ſaltem menſe Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtrante. Alterum eſt, defunctum tradi Anſpertum Indictione XV., quæ jam incœperat a Septembri menſe Anni DCCCLXXXI.; anno autem ſequente, Decembri menſe decurrebat Indictio Prima. Validius robur firmandæ huic Epochæ nobis ſuppeditat Diploma ab Anſelmo Archiepiſcopo Succeſſore expeditum Anno DCCCXCIII., & a Puricello atque Ughello, ubi de Anſelmo loquuntur, recitatum, in quo ipſemet teſtatur, ſe tunc agere annum XI. Pontificatûs ſui. Quomodo autem ineunti calculum conſtare poſſet numerus iſte annorum, niſi mortuus ſub finem Anni DCCCLXXXI. Anſpertus, locum feciſſet electioni in Archiepiſcopum Anſelmi, menſe Martio ſequente? Demum annus ipſe mortis Anſel-

Digitized by Google

mi, quæ, ùt mox videbimus, contigit Anno DCCCXCVI. ſententiæ noſtræ optimè ſuffragatur: Cùm enim Eccleſiæ noſtræ præfuerit hic Antiſtes per annos XIV., menſes VI., & aliquos dies, ùt concordes tradunt antiqui Catalogi, procul dubio Sedis initium peti debet ab Anno DCCCLXXXII.; atque ideo Anſperti obitus ad Decembrem anni præcedentis eſt transferendus.

Quæ hucuſque retulimus, manifeſtum reddunt tempus regiminis, actum in Sede Mediolanenſi ab Anſperto, nempe annos XIII. incompletos, ab Anno videlicet DCCCLXIX., ad Decembrem Anni DCCCLXXXI.

Ejus Corpus jacet in Baſilica Ambroſiana, adjectâ Sepulcrali Inſcriptione in hunc modum.

HIC

HIC JACET ANSPERTUS NOSTRÆ CLARISSIMUS URBIS
ANTISTES VITA, VOCE, PUDORE, FIDE.
ÆQUI SECTATOR, TURBÆ PRÆLARGUS EGENÆ,
EFFECTOR VOTI, PROPOSITIQUE TENAX.
MOENIA SOLICITUS COMMISSÆ REDDIDIT URBI
DIRUTA: RESTITUIT DE STILICONE DOMUM.
QUOT SACRAS ÆDES QUANTO SUDORE REFECIT,
ATRIA, VICINAS STRUXIT ET ANTE FORES!
TUM SANCTO SATYRO TEMPLUMQ; DOMUMQ; DICAVIT,
DANS SUA SACRATO PRÆDIA CUNCTA LOCO,
UT MONACHOS PASCANT ÆTERNIS OCTO DIEBUS,
AMBROSIUM PRO SE QUI SATYRUMQUE ROGENT.

Obiit Anno Incarnationis Domini octingenteſimo octogeſimo ſecundo, ſeptimo Idus Decembris, Indictione Decimaquinta. Rexit Epiſcopatum ſuum annis tredecim, menſibus quinque, diebus duodecim.

PRÆSULIS ANDREAS PRÆFATI CAPTUS AMORE,
HOC LEVITA SIBI CONDECORAVIT OPUS.

AN-

ANSELMUS II.

POſt Anſpertum defunctum Anſelmus II. renunciatus eſt Mediolanenſis Archiepiſcopus Anno DCCCLXXXII., menſe Martio, quemadmodum ſatis ſuperque comprobatum exiſtimamus.

Præſtantiſſimus hic Præſul incidit in ea tempora, quibus concuſſa bellicis tumultibus Italia, a ſuiſmet Principibus miſerrimè lacerabatur: Mortuo namque Carolo Craſſo Anno DCCCLXXXVIII., unuſquiſque ex illis vacuum Regnum Italicum ſibi arrogare fœdiſſimo ſtudio connitebatur. Duo præſertim arma expediere, ut voti compotes fierent. Primò Berengarius Dux Forojulienſis velox fuit ad capeſſendam dominationem Papiæ, Veronâ illuc ſe conferens, ubi eodem anno Regiam Coronam recepit ab Anſelmo: Wido autem Dux Spoletanus copias paravit, ut Berengarium e Sede exturbaret. Itaque commiſſis hinc inde præliis, quorum fortuna deſcribitur in noſtris Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ*, tamdem Wido Papiam intravit, atque illico Synodum ibidem coëgit, ut ab Optimatibus Italiæ & Epiſcopis vel eligeretur, vel confirmaretur in Regem. Extat memoratum Concilium impreſſum Tomo II. *Rerum Italicar.*, & deſcriptum e MS to Codice Bobienſis Cœnobii, in quo valde veriſimile eſt, coronatum fuiſſe etiam Widonem, quamvis nullum de hac inauguratione verbum in illo legatur. De Berengarii Coronatione teſtis eſt Anonymus Auctor *Carminis*

pane-

panegyrici, *de Laudibus Berengarii*, ab Hadriano Valeſio commentariis illuſtrati: Atque hæc prima eſt Coronatio, cujus veritas Coævorum teſtimonio firmetur; cùm reliqui veterum temporum Scriptores nullam Italicæ Coronæ mentionem fecerint, Romanæ autem omnes. An verò prima hæc fuerit inſtitutio, definire minimè audemus; ſicuti quoque abſtinuimus a proferenda hujuſmodi ſententia in Notis ad Sigonium, loco ſupradicto, ideſt Libro VI.

Si ſtandum eſſet opinioni eorum, qui defunctum Anſpertum Anno DCCCLXXXII., & electum Anſelmum anno ſequenti tradiderunt, emendandi eſſent Galeſinius *in Tabula Archiepiſcoporum Mediolani*, & Ughellus *in Italia Sacra*, qui promotum ad Ambroſianam Sedem ſub Joanne VIII. Pontifice Maximo Anſelmum affirmant; cùm memoratus Joannes jam ante electionem hujus noſtri Antiſtitis migraviſſet ad Dominum, defunctus Anno DCCCLXXXII., die XV. Decembris. Verùm cùm nos oſtenderimus validis (ùt putamus) documentis ſuperiùs allatis, tum Anſpertum obiiſſe Anno DCCCLXXXI., tum Anſelmum anno ſuccedente adiiſſe Mediolanenſem Sedem, verè Joannes Pontifex ſedebat in Apoſtolica Cathedra, tunc quando Anſelmus renunciatus eſt Archiepiſcopus.

Id procul dubio cenſuram meretur, quod Galeſinius aſſerit, nempe Anſelmum creatum fuiſſe Archiepiſcopum ab eodem Joanne, cùm e Gallia Romam rediret. Siquidem illuc profectus eſt Anno DCCCLXXVIII., verùm eodem ipſo anno Italiam repetiit, poſt celebratum Trecenſe Concilium, ùt Pagius pluribus allatis teſtimoniis eruditè confirmat. Baronius quidem ſcribit, Joannem meditatum fuiſſe alterum in Gallias iter;

iter; certè tamen votum hoc non implevit, morte præventus, ùt ipſemet fatetur. Non potuit igitur eligi Anſelmus in reditu e Galliis Summi Pontificis.

Statim ac Anſelmus Archiepiſcopale Solium conſcendit, Joannem Summum Pontificem per Literas rogavit, ut Privilegia Eccleſiæ Mediolanenſis confirmare dignaretur. Annuit benignè Pontifex Maximus, ſimulque hortatus eſt per Epiſtolam datam menſe Auguſto, Indictione XV., ideſt Anno DCCCLXXXII., ut obedientiam & obſequium præſtaret Romanæ Sedi, caveretque (fortaſſe ob contumaciam Deceſſoris ſui Anſperti) ne reluctaretnr præceptis illius Eccleſiæ, quæ Caput eſt omnium, & pro omnibus Deum exorat. Demum narravit dolorem a ſeipſo conceptum ob barbaras Saracenorum deprædationes, & crudelia Chiſtifidelium quorumdam facinora, ſubjungens, recentiſſimè hominem Widonis Spoletani, nomine Langobardum, cùm octoginta tres viros Pontificiæ ditionis cepiſſet, omnibus manus amputaſſe tantâ feritate, ut plerique interierint: quamobrem tot ingruentibus malis opem eſſe a Deo implorandam.

Munificus etiam fuit Anſelmus erga Cœnobium Ambroſianum, elargiendo Monachis quamdam portionem agrorum, iis adjacentium: Item concedendo, ut mortuo Abbate Succeſſorem eligerent e ſinu Congregationis propriæ, atque ita quietiùs inſervirent Deo, & Sanctis Patronis noſtris Ambroſio, Protaſio, & Gervaſio. Datum eſt hoc Diploma Anno XI. Pontificatus Anſelmi, nempe Anno DCCCXCIII.

De anno mortis Anſelmi, recentioris ævi Scriptores conſentiunt, aſſerentes, eam contigiſſe Anno DCCCXCVII.. Repugnat

pugnat tamen *Placitum* pergamenum, quod aſſervatur in Tabulario Monachorum Sancti Ambroſii Mediolani, habitum *in Laubia Domus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, Anno Imperii Lamberti quinto, menſe Octobris, Indictione XV.*, atque ideo Anno DCCCXCVI., in quo reſidebat unà cum Amadeo Comite Palatii, & aliis Judicibus Landulphus Archiepiſcopus Mediolani. Inſtitutus igitur fuerat Anſelmi Succeſſor menſe Octobri, anni præcedentis; propterea emendandus eſt etiam Papebrochius *in Exegeſi*, qui Anſelmum tradit obiiſſe Anno DCCCXCVII.. Tempus etiam Sedis adminiſtratæ ab hoc Antiſtite, Epochæ a nobis ſtatutæ plurimùm favet; Cùm enim antiqui Catalogi annos XIV., menſes VI., & dies XXII. eidem aſſignent, ſpatium iſtud ab electione ad obitum adamuſſim impletur, nempe a die VI. menſis Martii, Anni DCCCLXXXII., ad XXVII. Septembris, Anni DCCCXCVI.. Contra verò qui Anſelmum defunctum Anno DCCCXCVII. aſſerunt, protendere ejus regimen anno uno debuere, ut locum facerent memorato numero annorum, menſium, & dierum; certum namque eſt, ùt ſuperiùs oſtendimus, Anſelmum conſcendiſſe Solium Archiepiſcopale Anno DCCCLXXXII.

Sepultus eſt in Baſilica Ambroſiana, ante Sacellum Sanctæ Marcellinæ (non Sancti Marcellini ùt Ughellus ſcribit), Puricello teſte *in Monument.* ejuſdem *Baſilicæ*, num. CXLII.

H LAN-

LANDULPHUS I.

ANſelmo II. ſubſtitutus eſt in Archiepiſcopali munere Landulphus, Anno DCCCXCVI., Octobri ſaltem menſe ineunte, quemadmodum ex ſuperiùs allatis manifeſtum fecimus. Ughellus Landulphi electionem differt ad Annum DCCCXCVIII., ſubjungens etiam Pontificem Maximum, qui tunc ſedebat Stephanum VII.. Verùm admodum fallitur, tum quia Stephanum illum, qui circa hæc tempora Romanam regebat Eccleſiam, Pagius evincit, fuiſſe Stephanum VI.; tum quia hic poſtremus Pontifex jam ante Octobrem anni præcedentis Pontificia Sede dimotus fuerat, eodem Pagio teſte ad Annum DCCCXCVII.. Pejori errore labitur Galeſinius, Landulphum electum in Archiepiſcopum tradens ſub Benedicto IV., qui nonniſi Anno CM. Pontificia Dignitate ornatus eſt.

Quid præclari egerit triennio ſui regiminis hic Præſul, Majores noſtri ad nos minimè tranſmiſere, nec ullum ex vetuſtis Documentis hactenus veſtigium emerſit. Unicum quod antiquæ Chartæ nobis exhibent indicium prudentiæ, aliarumque virtutum hujus noſtri Archiepiſcopi, eſt, delectum eum fuiſſe a Conſiliis Berengarii I. Italiæ Regis; id enim conſtat ex ejuſdem Diplomate, publici juris facto a Celeberrimo Muratorio Tom. II. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. CLVI., quod ita exorditur: „ In Nomine Domini „ Noſtri Jeſu Chriſti, Dei æterni, Berengarius divina faven-

„ te

„ te clementia Rex &c. Omnium fidelium Sanctæ Dei Ec-
„ cleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum
„ noverit induſtria quia Vir venerabilis Leopardus Abbas ex
„ Cœnobio Nonantulenſi per *Landulfum reverentiſſimum Ar-*
„ *chipræſulem*, necnon & Adelardum venerabilem Epiſcopum,
„ *dilectiſſimos Conſiliarios noſtros*, imploratus eſt noſtram ma-
„ gnificentiam, quatenus pro amore Dei omnipotentis, no-
„ ſtræque mercedis intuitu omnia Privilegia Pontificum Ro-
„ manorum &c. noſtra auctoritate vel liberalitate firmaremus
„ &c. „ Data eſt hæc Charta Confirmationis *XIV. Calendas Septembris*. *Anno Incarnationis Domini DCCCXCIX.*, *Domini Berengarii glorioſiſſimi Regis XII.*, *Indictione II.*

Aliquid etiam ex Epitaphio, quod infra dabimus, colligere poſſumus; fuiſſe videlicet Sectatorem pacis turbulentis iis temporibus, & in contentioſa æmulatione Regum Italiæ, qui ſe invicem lacerabant; ſicuti etiam tutaſſe intrepidè Gregem ſuum ab incurrentium luporum voracitate.

Obiit Anno DCCCXCIX., quemadmodum ex Placito Andreæ ejus Succeſſoris certò dignoſcimus. Aſſervatur enim in Tabulario Cœnobii Sancti Ambroſii Mediolani Charta autographa, in qua Andreas memoratus, *Imperialis Miſſus* teſtatur, ſe tunc agere annum VI. ſui Pontificatûs. Actum eſt autem hoc Placitum *in Loco Bilano*, *Anno Imperii Domni Ludovici Imperatoris quinto*, *menſe Julio*, *Indictione VIII.*, ideſt Anno CMV.. Itaque ſi Andreas numerabat eo anno ſextum ſui regiminis, neceſſe eſt, electionem ejuſdem contigiſſe poſt menſem Julium Anni DCCCXCIX., atque ideo e vivis ereptum eodem anno fuiſſe Landulphum illius Deceſ-

 ſorem.

Digitized by Google

forem. In hoc quoque erravere Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXXXIII. num. IV., & Papebrochius *in Exegeſi*, qui defunctum Anno CM. Landulphum tradiderunt ex ejuſdem Epitaphio mox referendo, non advertentes, Indictionem tertiam ibidem ſignatam menſe Novembri, ad Annum DCCCXCIX. pertinere.

Quamdiu Eccleſiam Mediolanenſem rexerit Landulphus, ſi Ughellum audiamus, *duos omnino annos* reſediſſe ipſe teſtatur. Attamen non hoc tradunt antiqui Catalogi, qui ultra duos annos, decem menſes & vigintiduos dies Sedis eidem adſcribunt.

Sepultus eſt in Baſilica Sancti Ambroſii, ante Altare Sanctæ Marcellinæ, eique appoſita eſt ſepulcralis Inſcriptio, quam Editores Veneti in poſtrema impreſſione addiderunt Ughello, & jam Puricellus *in Diſſertatione Nazariana*, loco proximè laudato, num. IV. retulerat in hunc modum:

HIC SACRUM TEGITUR LANDULPHI CORPUS HUMATUM,
PRÆSUL IN HAC ANNIS QUI FUIT URBE TRIBUS.
UNICA SUBJECTIS QUAMQUAM JACTURA FUISSET,
MORTE SUA REGNO PUBLICA DAMNA TULIT.
PACIS ENIM SECTATOR ERAT, FAUCESQUE REPRESSIT
PROTINUS A GREGIBUS IMPROBA PRÆDA SUIS.
SED QUIA MORTALIS NEMO SINE SORDE QUIESCIT;
DA VENIAM FAMULO, DA, PATER ALME, TUO.
OBIIT ANNO INCARNATIONIS DOMINI NONGENTESIMO,
QUARTO NONAS NOVEMBRIS, INDICTIONE TERTIA:

AN-

ANDREAS.

DEfuncto Landulpho electus eſt in Archiepiſcopum Andreas Anno DCCCXCIX., ut ſuperius vidimus, Pridie Calendas Decembris, quemadmodum etiam Papebrochius confirmat, quamvis fallatur uno anno, eum aſſerens in Sede Mediolanenſi collocatum Anno CM., quem in errorem etiam Ughellus impegit.

Lapſus eſt Galeſinius, cùm ait, Leonem V. ſediſſe in Cathedra Apoſtolica tunc quando Pontifex renunciatus eſt Andreas; ſiquidem Leo V. nonniſi Anno CMIII., menſe Septembri Pontificatum inivit, & intra bimeſtre deceſſit.

Etiam de hoc noſtro Præſule muta eſt omnis Hiſtoria; nihilominus aliqua offendimus in Archivis, quorum ope ejuſdem Vitam illuſtrare valeamus. Una eſt Charta Placiti, de qua differuimus in Landulpho, & certiores facti ſumus ſuæ Electionis, peractæ anno a nobis ſtaturo. Data eſt *ea in Loco Belano*, qui olim juris erat Eccleſiæ Mediolanenſis, & poſtremis tantùm hiſce Seculis in alienam ditionem translatus fuit.

Præterea adminiſtrante Mediolanenſem Eccleſiam Andrea, excitata diſſenſio fuerat inter Gaidulphum Abbatem Monaſterii Sancti Ambroſii, & quoſdam Colonos Curtis Lemontæ, qui antiquam libertatem Majorum ſuorum venditabant, ſeque ideo Servos Monaſterii eſſe conſtanter denegabant. Commiſſa eſt hæc Cauſa a Ludovico III. Imperatore Andreæ Archiepiſco-

piſcopo, & Ragifredo Judici, Miſſis ſuis. Itaque Archipræſul noſter diligenti teſtium habito examine, Partiumque altercantium auditis rationum momentis, judicium protulit in Gaidulphi Abbatis favorem. Refert Chartam hujus Placiti, habiti in Vico Belani, Anno CMV. Clariſs. Muratorius *in Antiquitat. Ital. Med. Ævi* Tom. I. colum. DCCLXXIII. Revixit lis iſta ſub Attone Archiepiſcopo, Andreæ Succeſſore, ùt videbimus. Alteram Chartam ſubjungit idem Muratorius Placiti, in memorato Loco, ab eodem Andrea Archiepiſcopo, auctoritate ac jure ſuo indicti, ſed alia de Cauſa. Conquerebantur Servi Monaſterii Mediolanenſis Sancti Ambroſii, in Curte Lemonta de gravibus nonnullis oneribus, contra antiquam conſuetudinem iiſdem ab Abbate Gaidulpho impoſitis. Actum eſt ibidem, nempe in Vico Belani judicium; cùmque conſtaret de injuſtis gravaminibus, Sententia in favorem Servorum prolata eſt ab Andrea, præcepto Monachis impoſito, ne in perpetuum præſumerent ſimilia attentare. Chartas iſtas minimè producimus, cùm uberiori Eccleſiaſtica eruditione vacuæ ſint.

Illuſtrius Archiepiſcopi hujus Documentum, eſt Diploma, quod ad ejuſdem preces expedivit Berengarius I. Italiæ Rex, & refertur a laudato Muratorio Tom. V. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. DCIII., in hæc verba: „ In nomine „ Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei æterni. Berengarius Di„ vina favente clementia Rex &c. Omnium præſentium & „ futurorum noverit induſtria, qualiter Andreas venerabilis „ Archiepiſcopus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, noſter fidelis„ ſimus, obtutibus noſtræ Majeſtatis optulit preceptum noſtra

„ pie-

„ pietate collatum in Richiſindam Abbatiſſam Monaſterii, „ quod dicitur Theodote, ſitum infra Urbem Ticinenſem, „ ſuppliciter poſtulans, ut eodem tenore in Rixindam ejuſdem Neptem, que nunc eſt in eodem Cenobio Abbatiſſa, ſimiliter noſtrum emitteremus preceptum. Cujus „ precibus noſtre Celſitudinis animum inclinantes, hoc immunitatis noſtre preceptum conſcribi juſſimus, per quod „ omnino precipientes jubemus, ut eadem Abbatiſſa degens „ ſub Regula Sancti Benedicti, id Monaſterium &c. poſſideat „ &c. Data eſt hæc Charta confirmationis V. Idus Martii, „ Anno Incarnationis Domini DCCCXCIX., Regni Domini „ Berengarii glorioſiſſimi Regis XIII. Indictione III.

Mirari forſitan Lector aliquis eruditus poterit, quod in hac Charta numeretur XIII. Regni Berengarii annus, cùm ſub eodem Anno DCCCXCIX. in præcedenti Charta, quam innuimus, duodecimus tantùm deſignetur. Difficultatem hanc animadvertit etiam Muratorius, ſed eam minimè diſſolvit, provocans ad Diſſertationem XXXIV. *de Diplomatis*, quam inſeruit Tomo III. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*; atque ideo nos etiam eximit ab onere illam hoc loco diligentiùs enodandi.

Editores Ughelli in Veneta Urbe retulere in Additamentis Epitaphium, quod Antiſtes noſter poſuiſſe dicitur tumulo cujuſdam Morandini, qui ab ejus Secretis fuerat, & ſummopere ab ipſo diligebatur. Sed cùm tanti non ſit hæc memoria, nec aliquid peculiaris laudis noſtro huic Archiepiſcopo inde accreſcat, ab illo recudendo abſtinemus.

Obiit Anno CMVI. Pridie Calendas Martii, non verò Anno CMVII., ut tradidit Papebrochius, qui ob inopiam Do-

Digitized by Google

Documentorum, electioni & morti præcedentium Epiſcoporum annum unum ſupe raddidit. Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. CLIII. nobiſcum ſentit, aſſerens, a ſe inſpectos fuiſſe tres Catalogos Mediolanenſium Antiſtitum, qui eumdem hunc annum morti hujus Archipræſulis ſtatuunt.

Sepultus eſt Andreas in Baſilica Sancti Ambroſii, prope ſuos Prædeceſſores.

AT-

ATTO.

VAcuam Sedem Eccleſiæ Mediolanenſis implevit poſt Andream Atto, ſeu Acho Anno CMVI. De hoc noſtro Præſule tradunt Galeſinius & Ughellus, comitatum eumdem fuiſſe Sergium III. Summum Pontificem cum flore Nobilitatis Mediolanenſis in Gallias, tunc quando proficiſcebatur ad Lotharium, qui ibi regnabat. Eidem refert Catalogus noſtrorum Antiſtitum, inſcriptus *Succeſſores Sancti Barnabæ*, atque ex eo Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.*, num. CLVII., qui tamen non omnino adhæret huic narrationi; animadvertens enim cauſam mortis, quæ aſſignatur Attoni, nempe defatigationem ex itinere & ſenium, veritati minimè conſentire, ſuſpenſum calamum tenet. Siquidem præmortuus eſt Sergius huic noſtro Archiepiſcopo octennio ante, veriùs ſeptennio, ùt Pagius evincit ad Annum CMX. Verùm Papebrochius in *Propilæo* (ubi de Sergio III. agit) reprehendit Platinam, quòd, ſtatim ac retulerit Chriſtophorum dejectum a Sede Pontificia, in vincula tractum fuiſſe ab ipſo Sergio, ſubjungat, hunc *rebus confirmatis Gallias profectum, Lotharii gratia fultum; qui tunc regnabat; in Italiam rediiſſe, atque Chriſtophorum arctiori cuſtodiâ revinxiſſe*: Nullus enim ævo illo aut in Galliis aut in Germania regnabat Lotharius, nulluſque Scriptor eſt, qui hujuſmodi profectionis in Gallias meminerit. Fallaciam autem detegit, inquiens, Tuſchos eo tem-

Digitized by Google

tempore vocitatos fuiſſe *Francos*, forte quia Adalbertus Marchio & alii ejus Terræ Proceres a Francis genus ducerent. Ceterùm Liutprandus illius ætatis Scriptor clarè tradit, *Sergium* ab Urbe & Dignitate Pontificia expulſum *deſcendiſſe in Tuſciam, quatenus Adalberti potentiſſimi Marchionis auxiliis juvaretur, quod èt factum eſt*. Ughellus adeò fidenter amplexus eſt hanc hiſtoriam, ut benignè interpretatus mentem Attonis dixerit, nihil antiquius illum habuiſſe, quàm ut in gratiam rediret Romani Pontificis, obſequiis nempè ac comitate, qua hunc excepit Mediolani, & comitatus eſt in itinere ad Gallias, ac reditu Romam. Verùm corruente fundamento itineris Sergii III. in Gallias, comite Attone Archiepiſcopo Mediolani, in auras dilabitur innixa eidem interpretatio Ughelli, voluiſſe videlicet Attonem hujuſmodi obſequio demulcere iram Summi Pontificis, juſtâ indignatione commoti ob pertinax Schiſma Eccleſiæ Mediolanenſis contra Romanam. Neque enim iraſci poterat Sergius in noſtrum Antiſtitem, etiamſi veritati conſentiret ejuſdem Gallicana profectio; cùm ſæpius ad putida commenta amandaverimus Mediolanenſe Schiſma, adeò ab hoc Scriptore decantatum; & mirandum certè foret, ſi Atto reſtitutus in gratiam Sergii Summi Pontificis, Eccleſiam ſuam Romanæ Sedi minimè reconciliaſſet. Sed ad certiora gradum faciamus.

Indictum fuerat Placitum, habendum in Urbe Ticinenſi, a Berengario I. Rege, ob dirimendam litem inter Gaidulphum Abbatem Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolanenſis, & quoſdam ſuo Monaſterio ſubjectos, qui ſe Aldios & non Servos eſſe contendebant. Ut ſuperiùs proximè diximus, agitata

Digitized by Google

tata hæc Cauſa fuerat coram Andrea Archiepiſcopo Mediolanenſi, Attonis Deceſſore; ſed cùm minimè acquieſcerent Partes, Berengarius Miſſos ſuos Joannem Ticinenſem, & Adelbertum Bergomatem Epiſcopos, unà *cum Attone Archiepiſcopo Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ* delegit, qui Sententiam nomine Regis proferrent, diſcordiæque vigenti finem imponerent. Intulit Chartam hujus Placiti Clariſs. Muratorius in Tomum II. *Antiquitat. Ital. Med. Ævi*, colum. CMXXXIII. Verùm cùm illa plurimùm vetuſtate exeſa ſit, eamdem referre hìc omittimus.

Alterum Galeſinii errorem, quòd videlicet Antiſtes hic noſter juſſerit, ut in Eccleſia Mediolanenſi, primo Sabbato Septembris Veſperarum Officium *de Cruce* ageretur, emendat Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXXXIII. num. VI. Siquidem hoc primùm inſtituerat Thado Notarius, ùt ſupra ex ipſo Puricello retulimus in Thadone Archiepiſcopo; & quidem non primo Sabbato Septembris, ſed Octobris, quemadmodum ex Beroldo patet, qui univerſam eam Celebritatem deſcribit. Id omne attribuit Galeſinius Attoni, ſed citra verum.

Diluenda eſt hallucinatio, quæ ſuboriri aliquibus poſſet, legentibus in Oldoino præſertim, Attonem fuiſſe Cardinalium Collegio adſcriptum; hæc enim, ubi de Alexandro II. Summo Pontifice agit, colum. 841. Editionis Romanæ adnotavit: *Atto Presbyter Cardinalis Tit. S. . . . . . , poſtea ex Panvinio Epiſcopus Præneſtinus creatus eſt: Ferdinandus tamen Ughellus in Serie Epiſcoporum Præneſtinæ Eccleſiæ hunc non numerat; quare nos in hac re dubia nil certi auſi ſu-*

mus affirmare . Is in Gregorii VII. parte tuenda conſtans vixit . Hugo quoque Lugdunenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Mathildem Comitiſſam directa *de Electione Victoris III.* in Summum Pontificem, memorat *Attonem Cardinalem Mediolanenſem*. Eam recitat Philippus Labbeus *in Bibliothec. MSS.* Tom. I., fol. 233.; in Indice autem adnexo appellatur Atto prædictus, *Mediolani Archiep. Cardinal.* Porro error iſte facilè abigitur, ſi tempora conferamus; Electio namque Alexandri II. ad Romanam Cathedram Anno MLXL. a Scriptoribus figitur, Victoris verò III. Anno MLXXXVI., Atto autem Antiſtes Mediolanenſis, de quo loquimur, Anno CMXVIII. extremum diem clauſit, ut mox dicemus. Itaque ne mendacii aut ignorantiæ notam allatis Scriptoribus inuramus, aſſerendum eſt, alterum fuiſſe ejuſdem nominis Cardinalem, ab Alexandro II. Mediolanenſis originis creatum, & fortaſſe ex eadem ſtirpe Archiepiſcopi noſtri progenitum, qui ad conſervandam antiquam Majoris ſui memoriam, Attonis nomen aſſumpſerit.

Annus mortis optimè ab Ughello aſſignatur, nempe decimus octavus ſupra nongenteſimum. Dubium eſt, quo in loco vitam depoſuerit. Laudatus Ughellus cum aliis paſſim Scriptoribus cenſet, extremum diem clauſiſſe Attonem Romana in Urbe, præſertim cùm repertum fuiſſe aſſerat in Hortis Eccleſiæ Sanctorum Bonifacii & Alexii in Monte Aventino marmor, fragmentum Epitaphii, quod mox dabimus, ab eo relatum, ſed pluribus exeſis characteribus, in quo hic Archiepiſcopus enunciatur tamquam Romæ ſepultus:

Diſcat

Diſcat qui neſcit, quòd Epiſcopus hic requieſcit
Attho Oldradus multa pietate . . . .
Sergium qui Papam . . . .
Per mare, per terras ſequitur, per . . . .

Suppoſititium eſſe hoc marmor eruditè ac dilucidè oſtendit Muratorius loco proximè laudato, inquiens: *Quicumque non ignorat, ævo illo nondum inventa fuiſſe cognomina, quæ nunc in uſu habentur, falſi vitio laborare Epitaphium illud continuò intelliget*. Præterea ſocium facit Attonem itinerum Sergii Pontificis Maximi, quo nihil mendacius, ut vidimus.

Catalogus noſter antiquior, eumdem Attonem *in Eccleſia Hyemali* Mediolani tumulatum fuiſſe tradit; alter verò a Puricello allatus *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. CLVII. jacere teſtatur *ad Sanctum Ambroſium*. Itaque laudatus Puricellus, & Papebrochius, ut hæc componant, opinantur, mortuum quidem fuiſſe Attonem Romæ, ſed inde poſtmodum a Mediolanenſibus translatum ejuſdem Corpus in hanc Metropolim.

Tempus Sedis ab omnibus adnotatur, fuiſſe ad XII. annos & aliquot menſes productum, nempe ab Anno CMVI., uſque ad Septembrem menſem Anni CMXVIII., uno diſſentiente Papebrochio, quo ad annum mortis, ob errorem conſuetum unius ſuperadditi anni in aliis Prædeceſſoribus.

GARIBERTUS.

Suffectus eſt Attoni in Sede Archiepiſcopali Mediolanenſi Garibertus Anno CMXVIII., ut rectè adnotavit etiam Ughellus, Papebrochio refragante, & hanc electionem ad ſequentem annum protrahente, ſed falſò, quemadmodum ſuperiùs jam comprobavimus. Non intelligimus tamen, quid ſibi velit Ughellus, cùm ait, Garibertum Attonis ejus Deceſſoris pium exemplum obedientiæ erga Romanum Pontificem minimè ſecurum fuiſſe; nihil enim actum ab ipſo profert, quod inobedientiam ſapiat; ſed tantùm proſequitur referre, fuiſſe ab hoc noſtro Præſule miſſas militares ſuppetias ad Albericum Balbianum, qui in Agro Piceno dominabatur, ut inde Saracenos expelleret. (Galeſinius *in Tabula* ſcribit, ut Saracenos ex Apulia ejiceret, nec cognomen *Balbiani* Alberico tribuit) Unde uterque hoc hauſerit, ignoramus; Ripamontius enim, qui èt ipſe eadem narrat, nullum antiquum profert Auctorem. Ceterùm, ut redeamus ad Ughellum, nihil peccaverat Garibertus contra Sedem Apoſtolicam, mittens ad Albericum auxiliares copias, cùm ipſemet Joannes X. Summus Pontifex, collectis undique militibus, eoſdem Saracenos fregerit depuleritque ab Arce Gariliani, quam occupaverant atque muniverant. Cognomen verò *Balbiani*, quod Alberico adſcribit Ughellus, an rectè appoſitum ſit, peritis rerum antiquarum Viris expendendum relinquimus.

Mi-

Migraſſe ad Dominum Antiſtitem hunc noſtrum Anno CMXX., ex Succeſſoris electione aſſerit Ughellus; ſed verè vitam produxit Garibertus uſque ad Annum CMXXI., & menſe Auguſto ad Superos abiit; Papebrochii opinione non attentâ, qui uno ſemper anno poſteriùs Mediolanenſium Epiſcoporum obitum figit. Sedis annos ad biennium incompletum Ughellus contraxit; Catalogi tamen antiqui ultra biennium menſes octo regimini Gariberti aſſignant; adeoque in hoc etiam emendandus eſt Ughellus.

Sepultus eſt juxta eoſdem Catalogos in Eccleſia Sancti Stephani ad Fontem, quæ olim jacebat media inter Baſilicam Majorem, & Cœnobium Vindelindæ (nunc Sanctæ *Radegundæ*) erecta a Sancto Euſtorgio II. Mediolanenſi Epiſcopo, ut ſeorſim a Viris ſacro Baptiſmate abluerentur Fœminæ, adjecto etiam Puellarum Monaſterio, quæ ad illas detergendas, cùm exirent de lavacro, neceſſaria ſubminiſtrarent, ut magis pudori conſuleretur. Nunc univerſi hujus Ædificii ne rudera quidem ſuperſunt.

LAMPERTUS.

Mediolanenſem Inſulam favore Berengarii Regis recepit Lampertus, ſeu Lambertus Anno CMXXI., non præcedenti, ùt ſcripſit Ughellus, qui duos tantùm annos Deceſſoris regimini attribuit. Etiam Galeſinius lapſus eſt in aſſignando Summo Pontifice, quo ſedente delectus eſt Archiepiſcopus Lampertus; non enim id contigit ſub Joanne XI., qui Apoſtolicum Solium conſcendit Anno CMXXXI., Lamperto jam defuncto; ſed ſub Joanne X., qui ſedit ab Anno CMXIV., ad CMXXVIII., teſte Pagio.

Depingitur hic Antiſtes ab Ughello tamquam *Vir bellicoſus & ferox, noviſque rebus addictus, magis quam pro Epiſcopo*. Non ita acerbe in ipſum inſurgit Galeſinius; quinimo Lampertum vocat *Virum ſolertis ingenii ſummique conſilii*. Et ſanè eximium religionis cultum oſtendit tunc quando, ſeditione contra Berengarium Regem motâ a nonnullis, captus eſt Oldericus Palatii Comes, alter ex Principibus conjuratis, traditusque cuſtodiæ Lamperti. Cùm enim peteretur a Berengario reus iſte, ut juſtâ pœnâ plecteretur, Lampertus intrepidè *negavit, ſe redditurum, indignum eſſe aſſerens, Sacerdotem ad ſupplicium hominem tradere*, prout refert Sigonius *de Regn. Ital.* ad Annum CMXX. In obitu quoque amor hujus noſtri Antiſtitis erga Eccleſiam ſuam eluxit; adnotatum ſiquidem legimus *in Calendario vetuſtiſſimo*, edito a

Cla-

Digitized by Google

Clariſs. Muratorio Tom. IV. *Rerum Italicar. judicaſſe* Lampertum *Cuſtodibus Majoris Eccleſiæ quidquid juris ſui erat in Mandello, vel in ejus territorio*, ut religioſiùs ea Baſilica coleretur. Collegium iſtud XVI. Cuſtodum antiquitus erectum abolevit Sanctus Carolus Borromeus, ſubſtituto *Oſtiariorum* Collegio.

Equidem non inficiamur, plurimis implicitum fuiſſe curis Lampertum; ſed illas exigebat, Dignitatis culmen, quò ipſe conſcenderat: Redactis enim ad plenam veluti libertatem Italicis rebus, Principes & Optimates hujus Provinciæ de Regno Italiæ decernebant, eo delecto, quem paci & tranquillitati magis profuturum, atque illuſtri hoc honore digniorem exiſtimarent. Archiepiſcopus autem Mediolanenſis, utpote inter ceteros auctoritate & potentia conſpicuus, primus in Comitiis habebatur, atque ideo præcipuam veluti ſolicitudinem gerebat, ut rectè omnia dirigerentur. Ob hanc cauſam, cùm inciperent Italici Optimates lividis jam oculis intueri Berengarium, & etiam in Campis Brixienſibus conjurationem excitaſſent, converſo in Rodulphum Burgundiæ Regem animo, Lampertus ad eum Legatos miſit, eidem nomine ſociorum Principum Italicam ſpondens Coronam; quam ille Anno CMXXII. a Lamperto recepit, quemadmodum in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* jam comprobavimus.

Hac occaſione Lampertus ſupplices ad Rodulphum preces dedit, ut dignaretur Regia auctoritate confirmare Abbatiam Sancti Remigii de Berceto, quæ hactenus in jure erat Epiſcopatûs Parmenſis. Rex verò prædictus benignas aures præ-

K buit,

buit, ac Diploma expedivit, cujus exordium exhibemus, deſumptum ex Tomo VI. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, Clariſs. Muratorii, colum. CCCXXV. „ In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Rodulfus Divina favente clementia Rex „ &c. Omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque „ præſentium & futurorum comperiat univerſitas, Domnum „ Lampertum venerabilem Archiepiſcopum, & Adelbertum „ glorioſiſſimum Marchionem, dilectiſſimos fideles noſtros ſuppliciter noſtram exoraſſe clementiam, ut Præcepta noſtrorum Anteceſſorum Regum & Imperatorum, quibus Abbatiam de Berceto, in honore Sancti Remigii conſtructam, „ in Comitatu Parmenſi, cum omnibus ſuis pertinentiis . . . . „ juri & dominio Parmenſis Epiſcopii perpetualiter donantes „ ſubjecerunt, nos quoque pro æterna remuneratione per „ noſtræ conceſſionis & confirmationis paginam roborare dignaremur. Quorum precibus acclinati . . . . . hoc noſtrum „ donationis ac perpetuæ confirmationis Præceptum ſcribi juſſimus, per quod prænominatæ Sanctæ Parmenſi Eccleſiæ „ prætaxatam Abbatiam de Berceto cum omnibus caſis, rebus . . . . . concedimus, & perpetua firmitate roboramus „ &c.

„ Datum Ticini II. Nonas Februarii, Anno ab Incarnatione „ Domini Noſtri Jeſu Chriſti CMXXII, Indictione X., Regnante Domino Rodulfo Rege, Anno in Burgundia XI., „ in Italia I.

Neque ſe amantem novitatis oſtendit Lampertus; quinimo cùm Ermengarda Adelberti Tuſciæ Marchionis Filia, & ſecunda Uxor alterius Adelberti Eporediæ Marchionis Papiam

piam occupaſſet, Rodulpho, qui in Burgundiam diverterat, redeunti auxilium præſtitit, ut illam recuperaret, Sigonio referente ad Annum CMXXV.

Non diu tamen ſereni affulſere dies Rodulpho; pertæſis namque ejuſdem regiminis Italiæ Proceribus, Lampertus Archiepiſcopus, non genio rerum novandarum ductus, ùt eum ſugillat Ughellus, ſed ex ſententia Joannis X. Summi Pontificis & reliquorum Italiæ Principum, ùt ſcribit Sigonius, Nuncios ad Hugonem Comitem Arelatenſem miſit, ut eum invitarent urgerentque ad Italicum Regnum capeſſendum, ipſorum accedentibus auxiliis facillè comparandum. Italorum votis aſſenſum hilariter præſtitit Hugo, utpote qui ejuſdem Regni acquirendi deſiderio jamdiu æſtuabat. Interim Rodulphus, qui in Burgundiam ſeceſſerat, conjurationem Italorum Principum præſentiens, Burchardum Ducem, Socerum ſuum, ad Lampertum legavit; iſque Mediolanum ingreſſus circumire Urbem cœpit, ſpecie quidem inviſendi amplitudinem ambitûs, ſed revera exploraturus mœnium firmitatem, ſibique elabi ab ore has minas idiomate Teutonico permiſit, quod Civibus ignotum putabat, videlicet: *Si omnes Italienſes uno uti calcare tantummodo, informeſque caballicare equos non fecero, non ſum Burchardus*. Admonitus de hac re Archiepiſcopus a pannoſo homine, Germanicæ Linguæ perito, qui hæc audierat, prudenti conſilio notitiam hanc ſilentio contexit, & ſingulari comitate Burchardum excepit. Verùm conſcios de hoſtili animo per Literas fecit Papienſes, nonnulloſque Regni Optimates, qui eum in Burgundiam redeuntem, miſſis aliquibus copiis apud Novariam interfecere: Quod ùt audivit

 Rex

Rex Burgundiæ Rodulphus, Italiam dereliquit. Narrat hæc, præter Sigonium, Auctor *Chronici Farfenſis*, vulgati a Clariſs. Muratorio in II. Parte Tomi II. *Rer. Italicar.*, ſcriptique circa medium Seculi XI.

Igitur hoſte depulſo, Hugo in Italiam advolavit Anno CMXXVI., ſeu præcedenti, quemadmodum in Adnotationibus ad Sigonium, fide plurium documentorum firmare ſtuduimus, exceptus ab omnibus ſummo ſtudio, ac Papiam petiit: Subinde Mediolani coronatus fuit ab Archiepiſcopo Lamperto. Poſtquam in Regno Italico firmatus eſt Hugo Arelatenſis, Antiſtes noſter Lampertus eumdem exoravit, ut Monaſterio Monialium Sancti Xiſti in Urbe Placentina, Privilegia confirmaret. Benignè annuit Rex Hugo, atque ſequens Diploma ſcribi juſſit, quod ex Archivo ejuſdem Monaſterii, nunc ad Monachos Benedictinos tranſlati, eruit Clariſs. Muratorius, ac publica luce donavit Tom. II. *Antiquitat. Ital. Medii Ævi*, colum. CDXI „ In nomine Domini „ Dei æterni. Hugo divina largiente clementia Rex &c. „ Noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorum„ que præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, Lamper„ tum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, nec„ non & Adelbertum Sanctæ Bergomenſis Eccleſiæ Præſulem, „ & Ermengardim glorioſiſſimam Comitiſſam Kariſſimamque „ noſtram, & Giſelbertum illuſtrem Comitem Palatii umili„ ter noſtram exoraſſe Celſitudinem, quatenus per noſtri „ Præcepti paginam quoddam Monaſterium infra Civitate „ Placentina .... in honore Sancti Sixti dedicatum, Ben„ tæ glorioſiſſimæ Abbatiſſæ, conſanguineæ noſtræ, cum

„ omni-

„ omnibus ſuis pertinentiis confirmare dignaremur . . . . .
„ Quorum petitionibus tota devocione faventes, id fieri an-
„ nuimus, hoc noſtrum Præceptum ſcribi jubentes, per quod
„ prælibatæ Bertæ eumdem (ſic) Monaſterium confirma-
„ mus &c. Actum Papia . Anno Dominicæ Incarnationis
„ CMXXVI., tertio Nonas Septembris Indictione XV., Anno
„ Domini Hugonis primo .

Hæc fuſius referre opus fuit, ut fœdam eam labem *bellicoſi* & *feroci*s, quam inſperſit noſtro Antiſtiti Ughellus, abſtergeremus; neque enim ullum in Hiſtoriis veſtigium elucet, eumdem bella geſſiſſe, aut aliquod immitis vel intemperantis animi indicium edidiſſe, quod Epiſcopum dedeceret.

Longè etiam a veritate abludit Galeſinius, qui miſſum ad Genuenſes militare auxilium a Lamperto contra Saracenos enarrat: Baronius namque eam irruptionem, a Liutprando relatam Libr. IV. Cap. II., deſcribens, qua Januenſis Urbs a Saracenis incenſa fuit, deprædatæque opes, ac multâ cæde repleta compita, captis quoque ac abductis ſecum viris fœminiſque, ait, id contigiſſe Anno CMXXXVI., ac proinde quinquennio poſt obitum noſtri Antiſtitis. Licèt autem Pagius hanc cladem retrahat ad Annum CMXXXI., nihilominus difficile eſt intelligere, quomodo Lampertus, qui eo anno obiit, menſe Junio, colligere & expedire potuerit militum copias, ad Januenſium vires augendas. Ceterùm alienis ſubſidiis minimè indiguere Cives illi, ut Barbaros propulſarent; revertens enim in Portum eorumdem Claſſis, quæ aliò fuerat expedita, in Adverſarios vela convertit, eoſque adeò fregit, ut dimiſsâ prædâ coacti fuerint in patrium litus ſeſe recipere. De-

Defunctus eſt Lampertus Anno CMXXXI., die XIX. Junii; atque in hoc errant Ughellus & Papebrochius, quorum primus obitum hujus Præſulis conſignat Anno CMXXX. Calendis Julii; alter vero Anno CMXXXII., juxtà morem ſæpius memoratum.

Eccleſiam hanc rexit, ùt tradunt antiqui Catalogi, annis IX., menſibus VIII., diebus XV.; ſepultuſque fuit in Eccleſia Hyemali.

HIL-

Digitized by Google

HILDUINUS.

Subrogatus eſt Lamperto Hilduinus, natione Belga, Anno CMXXXI., non præcedenti, ùt ſcribit Ughellus, aut etiam Papebrochius, qui ſequenti anno hanc electionem figit, perſeverans in jam admiſſo errore; quemadmodum in hac ſerie Epiſcoporum Mediolanenſium oſtendimus.

Varias vitæ conditiones, nunc proſperas nunc adverſas paſſus eſt noſter hic Præſul: Plura tamen a Galeſinio & Ughello referuntur, vel dubia, vel repugnantia veritati. Uterque enim eum Monachum facit, & quidem Lobienſis Cœnobii; cùm tamen Fulcuinus illius Abbas *in Chronico* apertè aſſerat, Hilduinum fuiſſe Clericum Eccleſiæ Leodienſis, & concordes idem tradant Sammartani Fratres in noviſſima Editione *Galliæ Sacræ*, actâ Pariſiis Anno MDCCXXV. Tom. III., iiſque adſtipuletur Papebrochius *in Exegeſi*, Tomo VII. Maji præfixâ.

Proſequitur Galeſinius eum affirmare, fuiſſe familiarem Stephani IX. Summi Pontificis, & creatum Archiepiſcopum Mediolanenſem ſub Martino III. Sed in hoc extra orbitam prorſus graditur, cùm Stephanus IX. (veriùs VIII. juxta Pagium) nonniſi octennio poſt electionem Hilduini Pontificiam thiaram receperit, multòque ſeriùs Martinus III. (verè autem Marinus II.) Succeſſor Stephani, fuerit eo mortuo creatus Pontifex Maximus Anno CMXLII., menſe Decembri, ùt

pro-

probat Pagius ad Annum CMXLIII. num. I.

Interim Galeſinius omittit referre Hilduinum, inſtante Giliberto Duce Lotharienſium fuiſſe electum Epiſcopum Leodienſem, & etiam conſecratum ab Herimanno, Colonienſi Archipræſule; ſed Parte adversâ refragante & Richarium ſubſtituente, delatam fuiſſe Cauſam ad judicium Joannis X Summi Pontificis, qui ambos Electos unà cum Ordinatore Archiepiſcopo Herimanno Romam advocavit. Verùm Hilduino ſe non ſiſtente ad Pontificium tribunal, favorabilis ſententia ceſſit Richario; expulſo a ſua Sede Hilduino, ac etiam anathemate perculſo, ùt narrat Chronicon Wirdunenſe.

Amotus a Leodienſi Eccleſiâ in Italiam venit, confugitque ad Hugonem Regem, qui exácto aliquo tempore eum promovit ad Epiſcopalem Sedem Veronæ; ac ſubinde mortuo Lamperto, Hugonis ejuſdem favore translatus eſt ad Archiepiſcopalem Mediolanenſem. In hac Sede conſtitutus dicitur a Galeſinio, Regio ſerto præcinxiſſe Hugonem Burgundiæ Ducem, & Ludovici III. Filium. In hoc tamen omnino fallitur; neque enim Hugo Comes Arelatenſis Parentem habuerat Ludovicum, ſed Teutbaldum, ſeu Teobaldum, qui ſibi matrimonio conjunxerat Bertam, Filiam Lotharii Lotharingiæ Regis; quemadmodum ipſemet Hugo teſtatur in Charta, primùm a Boucheo Tom. I *Hiſtoriæ Provinciæ* productâ, dein a Pagio relatâ ad Annum CMXXVI., num. II., ubi ſic habet: *Ego Hugo humilis Comes & Marchio Viennæ* (ideſt Provinciæ) *adjicientes memoriale Patris mei Teutbaldi, & Matris meæ Bertæ, ſimul & Uxoris quondam meæ Villæ, necnon & præſentis Conjugis meæ Hildæ* &c. Ex hac etiam Charta evin-

evincitur, nihil in Burgundia propriè dicta trans Montem Juram, pertinuiſſe ad Hugonem; adeoque malè appellari a Galeſinio ***Burgundiæ Ducem***; præſertim cùm Hugo ipſe in enunciata proximè Charta Comitem & Marchionem Provinciæ tantùm ſe nuncupet. Quod veritati Hiſtoriæ conſonat id eſt, dominationem in eam Burgundiæ provinciam tunc exercuiſſe Rodulphum II., mutato etiam nomine *Ducis* in illud *Regis* a Rodulpho I. ejuſdem Patre. Alterum Galeſinii errorem jam emendavimus, oſtendentes, Hugonem Italicâ Coronâ fuiſſe a Lamperto donatum, non ab Hilduino Regem inauguratum.

Meliùs ſe geſſiſſe videtur Ughellus in deſignando Rege Italiæ, quem Hilduinus Anno CMXXXIII. coronaſſe dicitur in Baſilica Ambroſiana, nempe Lothario Hugonis Filio, a Patre in Regni conſortium aſſumpto Anno CMXXX; quamvis, ſi rem in fonte expendere velimus, juxta Seriem a nobis adornatam Epiſcoporum Mediolanenſium, Hilduinus impoſitæ Lothario Regiæ Coronæ honorem ſibi adſcribere non potuerit. Siquidem memores ſumus, in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* nos duplicem Epocham conſtituiſſe; alteram conſortii in Italico Regno donati Lothario ab Hugone Patre Anno CMXXX., alteram Coronationis Mediolanenſis anno ſequente: quo poſito hæc celebritas peracta fuiſſet a Lamperto Deceſſore, non ab Hilduino, cùm iſte non cœperit paſtorale Eccleſiæ Mediolanenſis Pedum ſuſtinere, niſi Anno CMXXXI., menſe Junio, & Lotharius coronatus fuerit in Paſchali Solemnitate ejuſdem Anni, quo adhuc in vivis agebat Archiepiſcopus Lampertus. Attamen ne vi-

Digitized by Google

deamur, velle nimiùm noſtræ opinioni fidere aut blandiri, ob novam hanc Epocham inductam, ut pugnantia Documenta & Chartas invicem conciliaremus, a proferenda ſententia abſtinemus; donec veritas dilucidiùs emergat.

Proſequens Ughellus res geſtas ab Hilduino recenſere, adhibet verba Chronici MS.ti, cui titulus: *Flos Florum*, ſcilicet: *Hic fuit primus ex Archiepiſcopis Mediolani, qui ſe umquam intromiſit de electione Imperatoris; ipſe enim congregato Conſilio Prælatorum & Baronum in Eccleſia Sancti Ambroſii elegit in Regem Italiæ Hugonem* &c. Superiori autem paginâ hæc leguntur: *Habito diligenti conſilio a Lamperto Archiepiſcopo (dum viveret) rimatiſque Privilegiis ſuis per Beatum Gregorium Papam collatis, determinatum fuit, quòd electio Imperatoris pleno jure ſpectaret ad Archiepiſcopum Mediolani; quod de facto complevit Hilduinus*. Huic laudi de re tam illuſtri, tributæ noſtris hiſce Præſulibus, non ita facilè adducimur, ut ſubſcribamus; de his enim Privilegiis, a Beato Gregorio Eccleſiæ Mediolanenſi conceſſis nullum in Hiſtoriis illius ætatis teſtimonium occurrit, nec ulla ad oculos noſtros tam excelſi muneris in uſum deducti Charta pervênit: Imperatoris autem nomen & auctoritas, quam Hilduinus, primus inter Prædeceſſores ſuos, tribuiſſe dicitur Hugoni & Lothario, inania prorſus vocabula videntur, cùm hæc in pluribus quæ adhuc perennant Diplomatis numquam ab iiſdem uſurpata legantur. Nimiùm igitur credulè hujus Chronici dicta adoptavit Ughellus.

Præterire non poſſumus quod Mabillonius, Pagius, Puricellus, aliique paſſim referunt, & ipſe etiam Ughellus in Epi-

Epiſcopis Veronenſibus, videlicet initium Epiſtolæ a Ratherio Lobienſi Monacho ſcriptæ ad Joannem XII. Summum Pontificem, cui enarrabat calamitates quas paſſus fuerat, cùm ter Veronæ Epiſcopus, bis Leodii creatus Antiſtes, coactus eſt Eccleſias illas dimittere, ob Principum tyrannidem, & invidiam Æmulorum. In ea igitur hæc habet: *Revertor a Romana Sede, peractâ Legatione, ferens privilegium pro jam dicto Domino meo* (Hilduino) *actum, cum Archiepiſcopali Pallio*. Scriptum hoc Ratherii, doctiſſimi ac piiſſimi Præſulis, maculam omnem diluit, qua Eccleſiæ Mediolanenſis decus infecerant Sigonius, Ughellus, aliique aſſerentes, per ducentum annos fuiſſe divulſam a communione Eccleſiæ Romanæ. Imo etiam, ùt ſuperiùs innuimus, Papebrochium refellit, qui mitiori quidem vocabulo, ſed adhuc nobis injurioſo decantatum Schiſma, *negativum* appellat, ſcribens, in hoc fuiſſe Schiſmaticos Antiſtites noſtros, quòd per illud temporis ſpatium petere a Summo Pontifice Pallium obſtinatè renuerint, ab Angilberto videlicet, uſque ad Heribertum, Eccleſiæ noſtræ Paſtorem inſtitutum Anno MXVIII.; hunc enim primum dicit fuiſſe, qui frontem demiſerit Pontificio Solio, ac petierit, ut Archiepiſcopali Pallio inſigniretur. Quid enim clarius ad exſufflandam iſtam ab eruditiſſimo eo Viro excogitatam originem Schiſmatis Mediolanenſis, quàm Ratherium teſtari, a ſe allatum Româ fuiſſe Archiepiſcopale Pallium Hilduino, centum ferme annis ante Heribertum Archiepiſcopo? Sed fuſiùs hac de re diſſeruimus *in Vindiciis de Adventu Mediolanum Sancti Barnabæ Apoſtoli*.

Hunc Archiepiſcopum noſtrum fuiſſe a Conſiliis Hugonis & Lotharii Italiæ Regum, docet Charta a Clariſs. Muratorio evulgata Tom. III. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. LVII., quæ ita incipit: „ In nomine Domini noſtri „ Jeſu Chriſti, Dei æterni. Hugo & Lothatius gratia Dei „ Reges &c. Noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, „ noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurornm univerſitas, „ Dominum Hildoinum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ vene„ rabilem Archiepiſcopum, & Widonem Sanctæ Placentinæ „ Eccleſiæ Epiſcopum, excellentiſſimos fideles ac Conſiliarios „ noſtros, noſtram humiliter exoraſſe Celſitudinem, quatenus „ Annæ, quondam Imperatrici relictæ Divæ memoriæ Be„ rengarii Imperatoris, noſtræ confirmationis Præceptum fieri „ juberemus, per quod duas Cortes, olim de jure Regni „ noſtri pertinentes, quas idem Imperator ei contulit . . . . . „ confirmaremus & corroboraremus. Quorum petitionibus an„ nuentes, prout juſtè & legaliter poſſumus, confirmamus „ & corroboramus ei prædictas duas Cortes cum illarum „ integritatibus &c.

„ Actum Papiæ XVI. Cal. Julii, Anno Dominicæ Incarna„ tionis CMXXXVII., Regni verò Hugonis X., Lotharii V., „ Indictione VIIII.

Si anno in hac Charta adnotato ſtandum eſſet, ad Hilduinum minimè pertineret, qui ſuperiore anno, juxta calculum noſtrum, morti conceſſit. Verùm oculatiſſimus Muratorius jam animadvertit, vitium aliquod huic Epochæ ineſſe, ſicut in duabus aliis Chartis, ſub iiſdem Regibus expeditis jam adnotaverat, cùm minimè componi poſſint Anni Chriſti

cum

cum numeris Indictionum; ſubjungitque, *aut excogitandam aliquam aliam, ignotam hactenus, Indictionis methodum, aut aliam Anni periodum.*

Defunctus eſt Hilduinus Anno CMXXXVI., IX. Calendas Auguſti, ùt rectè adnotavit Ughellus, quamvis aliter ſentiat Papebrochius, ſed perperam, cùm jam in Prædeceſſoribus eum uno anno erraſſe palam fecerimus. Præfuit Eccleſiæ Mediolanenſi annis quinque, & aliquot diebus, juxta antiquos Catalogos; non autem annis ſex, ùt voluit Galeſinius.

Sepulcrum recepit in Eccleſia Hyemali, uti nos docent memorati Catalogi. Sepulcri locum ignoravit Ughellus, qui Antiſtitem iſtum laudat ſatis præclaro Elogio, eumdem appellans *Virum mitis ingenii, paciſque quàm belli* artibus procliviorem.

Scripſiſſe dicitur Hilduinus, teſte Trithemio, *Chronicon Abbatum Lobienſium*; ſed non appoſitè, cùm illud compoſuerit Fulcuinus illius Cœnobii Abbas. Hinc orta eſt confuſio nominis *Fulcuini*, cum *Hilduino*, quæ in errorem traxit etiam Ughellum, ùt animadvertit *in Exegeſi* Papebrochius. Eidem Hilduino adſcribuntur etiam Liber *de peregrinatione Sancti Dionyſii Areopagitæ ac de geſtis Apoſtolorum*, & *Sermones ad Fratres*.

AR-

Digitized by Google

ARDERICUS.

Mortuo Hilduino, Ardericus Civis Mediolanenſis, delectus eſt Anno CMXXXVI. in Archiepiſcopum; non quidem ſub Agapito II. Summo Pontifice, ùt tradit Galeſinius, cùm ille in Solio Pontificio conſedere non cœperit, niſi Anno CMXLVI., menſe Junio.

Porro præcipua Cleri Populique propenſio in Ardericum, ex ſplendore ejus virtutum ut ad tantam dignitatem promoveretur, ſincera erat. Non ita animus Hugonis Regis Italiæ, qui deſignaverat evehere ad Infulam Mediolanenſem filium ſuum Manaſſem. Verùm cùm puerilis ejuſdem ætas tanto oneri ferendo impar foret, curam omnem Hugo impendit, ut communia ſuffragia conſpirarent in Ardericum, ſenem grandævum: Siquidem ſpe alliciebatur, fore ut preſſus annis novus hic Antiſtes, vacuam Sedem citò relinqueret. Diuturna tamen incolumitas ac integritas virium, Hugonis votum irritum reddidit. Quamobrem, ut optatam metam attingeret, facinus indigniſſimum molitus eſt, mortem videlicet Arderico inferendi. Papiæ itaque indicto Concilio Epiſcoporum & Procerum, ſecretas Antiſtiti noſtro inſidias texit, jubens Comitibus ſui Palatii, ut excitatâ inter colloquendum rixâ, in Ardericum irruerent, illumque ferro conficerent. Divinitus factum eſt, ut Præſul noſter opportuno fugæ remedio truculentum Regis conſilium eluderet, caſis nihilominus nonaginta

naginta Nobilibus Viris qui Epiſcopi ſui tutelam ſuſceperant. Perfuſus igitur ſceleris ſui pudore, ac pœnitentiâ ductus Rex Hugo, ut ſacrilegam Archiepiſcopo illatam penſaret injuriam, conſtruxiſſe dicitur ab Arnulpho rerùm Mediolanenſium Scriptore Seculi XI. Abbatiam Nonantulæ in agro Mutinenſi, eamque Mediolanenſi Præſuli dono dediſſe.

In hoc poſtremo, manifeſti erroris Scriptorem memoratum optimè redarguit Ughellus, cùm Nonantulanum Cœnobium ducentis ferme annis ante, a fundamentis erectum fuerit a Duce Anſelmo, qui Monachus ibidem effectus, præfuit eidem tamquam primus Abbas, Aiſtulpho Langobardicum Regnum moderante. Lapſus tamen memoriâ eſt etiam Ughellus, dum Anſelmum Nonantulani Monaſterii conditorem, vocat *Aiſtulphi Regis fratrem*; in Epiſcopis namque Mutinenſibus, ubi agit de Widone illius Urbis Antiſtite, profert Chronicon vetuſtiſſimum Nonantulæ, ubi expreſsè legitur affinitas tantùm Anſelmi cum Rege, ob Sororem ſuam Giſeltrudem, Regio thalamo junctam.

Quid actum ſit de Manaſſe Hugonis Filio, Hiſtoriæ noſtræ non referunt. Intruſus quidem fuit in Cathedram Mediolanenſem MANASSES alter, qui jam ab Anno CMXIV. conſtitutus fuerat Epiſcopus Arelatenſis: Verùm iſte a Sammartanis Fratribus dicitur tantùm *Nepos, ſeu affinis Hugoni* fuiſſe.

Ceterùm, licèt Hugo pœnitentiæ ſigna dediſſet, ob mortem Arderico intentatam, proſecutus tamen eſt exercere tyrannidem in Italos Proceres, eos Dignitatibus exuendo, ut Burgundiones exornaret. Quocirca Ardericus omnium querelis

exci-

excitatus, Berengarium II. accivit, quem privatis ſuaſionibus ſolicitaverant quamplures etiam Optimates, ad iter capeſſendum in Italiam, eoſque a turpi hoc jugo eximendos. Pervênit igitur Berengarius ad Urbem Veronenſem, ubi Legatione Præſulis noſtri acceptâ, tamquam Regem cœpit ſe gerere, quemadmodum Sigonius refert ad Annum CMXLVI., ſeu veriùs præcedentem, ùt in Adnotationibus ad eundem annum innuimus.

Don Bartholomæus Areſius, Abbas Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolani *in Serie* typis editâ *Privilegiorum & Diplomatum* ejuſdem Cœnobii, refert Synodum in illametipſa Baſilica celebratam Anno CMXLV. ab Arderico, aliis Alderico, Oldeiico, Alerico, Olrico &c. Subſcripti leguntur XXII. Epiſcopi, unà cum Legato Apoſtolico Rogerio Epiſcopo, & Legatis Hugonis & Lotharii. In ea autem, poſt abſolutam Liturgiam, perlectæ ſunt coram omnibus poſtremæ Tabulæ Attonis Vercellenſis Epiſcopi ibidem adſtantis, quibus inter alia Legata, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbytero, Cardinalibus, & Presbyteris Decumanis integrum dominium aſſignavit quatuor Vallium Belleniæ, Leventinæ, Biaſchæ, & Intraſchæ. Diploma hoc minimè fuit Muratorio probatum *in Appendice Tomi I. Anecdotor.* Cap. poſtremo; quinimo argumentum præpoſuit his verbis: *Synodus Mediolanenſis . . . . . omnino ficta eſt*. Quid ille in contrarium attulerit, legi poteſt loco laudato; cùm tamen ipſe fateatur, hanc ſe controverſiam levi brachio tetigiſſe, Pater Euſtachius a Sancto Ubaldo, cui Appendicem totam nuncupaverat Muratorius, Synodi ejuſdem patrocinium ſuſcepit in Libro *De Metropoli* Me-

Digitized by Google

Mediolanenſi, num. CCLVII., & ſeqq., dilutiſque omnibus nævis, qui eruditiſſimo illi Viro falſi ſuſpicionem ingeſſerant, eumque etiam impulerant, ut ad apocrypha & Commenta Documentum illud ablegaret, genuinum & ſincerum prorſus eſſe oſtendit Exemplar, quod Areſius vulgavit. Quamobrem celebrati hujus Concilii laus integra manet Archiepiſcopum noſtrum Ardericum ex hujus docti Viri ſententia, quam nos intactam relinquimus, ad alia ſecuriora progredientes.

Inſigni erga Deum & Sanctos religione floruit hic Præſul, cujus in præſentem diem aliqua leguntur veſtigia in Sacello, ab ipſo erecto in Baſilica Sancti Nazarii Mediolani, Sanctoque Lino Papæ dicato. Conſtruxiſſe quoque dicitur Eccleſiam Sancti Andreæ *ad murum ruptum*; quamvis Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXXXIV. num. III. minimè aſſentiatur huic narrationi, aſſerens ex antiquis Documentis, extitiſſe multò jam ante Sacram illam Ædem, eamque potiùs de novo refectam ab hoc noſtro Antiſtite fuiſſe. Ceterùm idem Puricellus ſanctimoniam vitæ Arderici plurimùm celebrat, inquiens adeo excelluiſſe, ut olim in Æde Nazariana, tamquam inter Sanctos relatus coleretur. Pluribus productis Documentis hunc cultum confirmare nititur; attamen in Catalogis Arhiepiſcoporum Mediolanenſium nuſquam hoc Titulo inſignitum illum invenîmus.

Quæ de auctoritate & dominio in hanc Metropolim Mediolanenſis Archipræſulis, tempore Arderici ſubjungit Ughellus ex *Chronico MS.to Flos Florum*, hìc omittere opportunum duximus, nam in Prolegomenis ad Commentaria Ritus Ambroſiani, omnia quæ Archiepiſcopos noſtros condecoravere,

pleno Capite in lucem proferentur.

Deceſſit Ardericus Anno CMXLVIII., III. Idus Octobris, quemadmodum in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* invictis argumentis oſtendimus; neque enim attendendi ſunt Ughellus & Papebrochius, qui ejuſdem mortem in annum ſequentem differunt.

Sedit annis XII. menſibus II., ùt ex antiquis Catalogis conſtat. Qua in re multùm aberrant Galeſinius & Ughellus, qui huic Præſuli octo tantùm regiminis annos attribuunt, dilatâ ad plures annos ejuſdem electione.

Sepulcro datus eſt in Baſilica Apoſtolorum, in memorato Sancti Lini Sacello, ab ipſo conſtructo: Qua autem in parte adhuc ignoratur.

ADEL-

Digitized by Google

ADELMANUS.

Turbulentum admodum regimen contigit Adelmano, ſeu Aldemaro, legitimis Cleri ſuffragiis ad Infulam Mediolanenſem delecto Anno CMXLVIII. Rem totam deſcribit Liutprandus, illorum temporum Scriptor, hæc præmittens Libr. IV. Cap. III. *Hugo Rex, ſe Regnum ſecuriùs obtinere ſperans, ſi affinitate ſibi conjunctis Regni officia largiretur, contra jus faſque Veronenſem, Tridentinam, Mantuanam commendavit Manaſſi, ſeu, quod verius eſt, in eſcam dedit Eccleſias; ac ne his quidem contentus* (Manaſſes) *Tridentinam adeptus eſt Marchiam; quo honore impellente, cùm miles eſſe inciperet, Epiſcopus eſſe deſiit.* Libro autem V. Cap. XII. narrat, Berengarium II. ab Italis Optimatibus accitum, contra Regem Hugonem deſcendiſſe in Italiam e Svevia per Venuſtam Vallem, & applicuiſſe caſtra ſecus Arcem Formicariam, quæ a MANASSE Marchiæ Tridentinæ Domino commendata fuerat Adelardo Clerico ſuo. Hoc Clerico uſus eſt Berengarius, ut MANASSEM alliceret ad favorabilem atque auxiliarem manum ſibi porrigendam contra Hugonem. Quoniam verò probe noverat ambitionem MANASSIS, eidem in præmium pollicitus eſt Infulam Mediolanenſem, juramento etiam firmans promiſſum. Accepto hoc nuncio MANASSES, derelicto Hugone, qui eum tot donis cumulaverat, non ſolùm Formicariæ Caſtrum aperiri Berengario juſſit, ſed Italos omnes ad ejus auxilium

M 2 invi-

invitavit. Acceſſit etiam Legatio Arderici Mediolanenſis Archiepiſcopi, dum Veronæ moraretur Berengarius, Italiæ Regnum eidem offerentis, ut Hugonem Regem inde expelleret: Quamobrem Mediolanum ſtatim conceſſit. Mortuo autem Arderico, Berengarius quod MANASSI ſpoponderat implevit, eumdem in Eccleſiam Mediolanenſem intrudendo.

Ughellus Sigonii veſtigiis inhærens tradit, per multos annos Adelmanum, & intruſum MANASSEM inter ſe diviſam Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtraſſe, atque interim neutrum fuiſſe conſecratum. Porro ſi de MANASSE loquamur, is conſecratione non indigebat, cùm a triginta quatuor annis Eccleſiæ Arelatenſi præſideret. De Adelmano autem nullum in Hiſtoriis reperitur indicium quòd tamdiu Conſecratione caruerit; & valde difficile creditu videtur, eum voluiſſe protrahere titulum illum, quo validiùs invaſori obſiſtere valeret, nempe integram hujus Sedis poſſeſſionem mediâ Conſecratione.

Neque omittendum eſt, erraſſe quoque Ughellum aſſerendo, hunc MANASSEM fuiſſe Fratrem Lotharii, cùm minimè illum diſtinguat ab altero Manaſſe, qui verè Filius erat Hugonis, ſed ob ætatem puerilem minimè ſubſtitutus Hilduino Archiepiſcopo defuncto, ùt ſupra jam diximus in Arderico. Conſtat hoc ex Charta Confirmationis ſive Donationis Villæ Juliaci, ab ipſo Manaſſe peractæ favore Aimardi Abbatis Cluniacenſis, menſe Septembri Anni CMXLIX, in qua non alios Fratres ſuos memorat, niſi Hugonem, Ricardum, & Boſonem. Refertur hæc Charta a Fratribus Sammartanis *in Gallia Chriſtiana*, ad calcem Tomi I. pag. XCIV.

Plu-

Pluribus annis MANASSES Regii patrocinii auſpicio fultus, Mediolanenſi Eccleſiæ incubuit, gregis potiùs Lupus, quàm Paſtor. Abrupit tamen haſce diuturnæ ſervitutis catenas adverſa Berengario fortuna: Captus namque amore Adeleidis, quam viduam reliquerat Rex Lotharius, thalamo ſuo eam jungere blanditiis tentavit. Sed cùm illa renueret, metu cogendam cenſuit, arctâ ideo Canuſium, quo illa ſe receperat, *obſidione præcingens. In haſce anguſtias compulſa Regia hæc Fœmina, Ottonem I. per Literas e Germania evocavit; utque acriùs eumdem ſolicitaret, nuptias ſuas ſpopondit. Accepto hoc nuncio Imperator, in Italiam feſtinus deſcendit, incuſſoque in Berengarii copias terrore, ipſum non modò a Canuſii Arce exercitum retrahere, ſed etiam in Saxoniam (ad quam redierat Otto, celebratis ſolemni pompâ nuptiis cum Adeleide) ſe conferre coëgit, ut ſupplex pacem peteret, quam benignè Imperator indulſit ſimul cum Italico Regno. Reverſus tamen Berengarius ferociori quàm antea animo, omni injuriarum genere inceſſere inſtitit Summum Pontificem, Epiſcopos, Abbates, Comiteſque Italiæ, eos in ordinem cogendo, neque fortunis aut dignitati ullius parcens, ac ubique inſignia avaritiæ atque ſuperbiæ exempla relinquens, quemadmodum ſcribit Sigonius ad Annum CMLIII. Quamobrem pertæſi omnes tam barbaræ dominationis, imploravere auxilium Ottonis, qui demum fractis prorſus Berengarii viribus, eumdem unà cum Conjuge captivum in Bajoariam relegavit. Donec igitur Berengarius Regno potitus eſt, perſeveravit MANASSES in dilaceratione Eccleſiæ noſtræ, Archiepiſcopum Mediolanenſem ſe profeſſus non tam in Comitiis Augu-

guſtanis, Anno CMLIII., VII Idus Auguſti celebratis; ſed etiam Anno CMLX., quemadmodum teſtatur Liutprandus Libr. VI. Cap. VI.. Expulſo autem ejuſdem Patrono Berengario, quid actum ſit de hoc Pſeudo-Epiſcopo, nihil Scriptores memorant; quamvis Papebrochius arbitretur, eumdem ad primævam Eccleſiam, quam numquam dimiſerat, rediiſſe.

Dum de Comitiis Auguſtanis ſermo incidit, excuſare non poſſumus Ughellum, quòd loco Manaſſis Adelmanum iiſdem interfuiſſe perperam ſcripſerit; patet enim veritas ex ſubſcriptionibus, editis a Labbeo, & a Fratribus Sammartanis *in Gallia Chriſtiana*.

Reſtitit MANASSI Adelmanus, quantum eidem licuit, declinando perfidam Berengarii ſævitiam in Epiſcopos furentis. Verùm cùm ab æmulo Pſeudo-Epiſcopo, & ab hoc Italiæ Rege ſe oppreſſum videret, virgam Paſtoralem depoſuit, multò antequam mors communi lege ab ejuſdem manu illam decuteret, ideſt Anno CMLIII.. Extorris itaque obiit Anno CMLVI., poſtquam Eccleſiam Mediolanenſem per quinque annos adminiſtraſſet.

Galeſinius & Ughellus quatuor tantùm annos regiminis eidem tribuunt. Nos tamen antiquos Catalogos ſequentes, quinque aſſignamus, ab Anno videlicet CMXLVIII., ad Annum CMLIII.. Adhærere quoque Ughello non poſſumus in anno mortis Adelmani ſtatuendo; annus enim, quem ipſe ſignat CMLIII., abdicationis eſt, non mortis.

Editores Veneti, in Additamentis ad Ughellum, Epitaphium Adelmani retulerunt, quod nos jam vulgavimus in Adnotationibus ad Sigonium, & præſtat hic recudere. Ita autem ſe habet. *Hic*

Hic tumulatur Adalmanus, Præſulque beatus,
Clarior in tanta qui fuit Urbe potens.
Hujus origo fuit celſo de ſanguine ducta
Pauperibus largus extitit atque pius.
Huc greſſum referens modicum tu ſiſte viator.
Dic famulo requiem, crimina pelle Deus.
Obiit autem Anno Incarnationis Dominicæ CMLVI.
Menſe Decembris, Indictione decimaquinta.

Hinc verò confirmatur tempus mortis, a nobis ſtatutus, & Conſecratio ejuſdem in Epiſcopum, quam negavit Ughellus; liberalis enim caritas pietaſque erga pauperes, quæ in Epitaphio Adelmani commendantur, eumdem fuiſſe verum Mediolanenſis gregis Paſtorem clarè teſtantur.

Quo autem in loco tumulum habuerit, prorſus neſcitur.

VAL-

Digitized by Google

V A L P E R T U S.

SUbſtitutus eſt Valpertus a Clero in hac Sede Adelmano adhuc viventi, ſed ob impotentiam Berengarii & tyrannidem coacto ab Eccleſia ſua recedere. Id autem prudentiſſimo conſilio effectum eſt, ne deſtitutus legitimo Paſtore grex Mediolanenſis, voraci Manaſſis licentiæ dilaniandus relinqueretur. Incidit iſta electio in Annum CMLIII., quo Adelmanus Eccleſiæ hujus regimen dimiſit, ùt optimè adnotavit etiam Ughellus, quamvis falſa perſuaſione captus, obiiſſe Adelmanum hoc eodem anno affirmet; cùm ſuperiùs jam conſtet ex ejuſdem Epitaphio, fuiſſe illum in vivis ſuperſtitem triennio ſequente. Neque intelligimus ea quæ ſubjungit idem Scriptor, videlicet iniiſſe Valpertum pacificam ſuæ Eccleſiæ poſſeſſionem, cùm ſtatim hanc periodum ſubtexat: *quamquam ea ſui Pontificatûs ſit nactus exordia, quæ illum in Germaniam ad Ottonem compulerint, contra deſævientem Aldebertum Francorum Comitem* (veriùs Regem Italiæ cum Berengario Patre); hæc enim nonniſi Anno CMLX. contigère, quemadmodum ex Liutprando tradit Sigonius ad illum annum.

Ughellus dum hæc refert, non alium nominat, quàm Aldebertum Francorum Comitem, de quo Galvaneus Flamma, ab eodem deſcriptus, plura congeſſit *in Chronico Majori*, quæ minimè veritati conſentiunt, utpote hauſta è lutulento in hac re Landulphi Senioris fonte, ideſt ejuſdem Hi-

ſtoria

Digitized by Google

ſtoria Mediolanenſi, vulgatâ Tom. IV. *Rerum Italicar.*; Siquidem non alii Reges in Italia regnavere, quàm Berengarius, ejuſque Filius Aldebertus, quos expulit ab Italicis finibus Otto, teſte Sigonio, & etiam Arnulpho noſtro Scriptore, edito inter *Rerum Italicarum* Hiſtorias Tomo eodem.

Extra omnem dubitationem quidem eſt, Valpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum, unà cum Valdone Comenſi Epiſcopo, profectos eſſe in Germaniam ad Ottonem, ut eum ſolicitarent ad iterum adeundam Italiam, contra Berengarii & Aldeberti rabiem, qui Eccleſias violabant, ſæviebantque fœdiſſimè in Italos omnes atque etiam Proceres; ſimulque ſpopondiſſe eidem Imperatori regiam Italiæ Coronam, quemadmodum jam præſtiterat etiam Joannes XII. per Legatos ſuos, Auguſtale diadema pollicitus, cùm & ipſe ab illis Regibus indigna pateretur. Adfuit Otto validis copiis inſtructus, comiteque Valperto eodem, ſtatim ac victor ſe expedivit a bello contra Sclavos; & Mediolanum delatus, omnem Berengarii familiam urgere in fugam non deſtitit. Valpertus verò memor promiſſi, de more, convocato Epiſcoporum & Principum Concilio, Ottonem in Eccleſia Ambroſiana elegit in Regem, ſertoque ferreo ſolemniter coronavit, Regno exauthoratis Berengario & Aldeberto.

Auctus hoc honore Otto, ut acceptum a Valperto beneficium digno ſe munere penſaret, dono eidem dedit tres in Agro Mediolanenſi Ditiones, quæ Regibus Italis olim parebant, videlicet Comitatum Parabiagi, Seprii, & Bazariæ, Ducatum Burgariæ, & Marchiam Martheſii, quemadmodum Sigonius comptiori nomenclaturâ eadem enumerat ad Annum

N CMLXI.;

CMLXI.; Ughellus namque Loca enunciata ferè omnia nonniſi luxatis nominibus refert. Clariſs. Muratorius in Diſſertat. I. Tom. I. *Antiquit. Ital. Med. Ævi* explicare ſtudet, quà parte Italiæ jacerent Ditiones iſtæ, & cur relatis nominibus appellarentur; adeòque illum conſulere poterunt qui erudiri hac in re peroptant.

Ut ergo ad Ottonem revertamur, Romam ſubinde progreſſus eſt, Valperto Archiepiſcopo & univerſo exercitu comitante; ibique exceptus a Civibus incredibili plauſu, & ab Archiepiſcopo Mediolanenſi oblatus Summo Pontifici Joanni XII., Auguſtalem Coronam ab eodem ſolemni pompâ recepit Anno CMLXII. circa medium menſem Januarii, ùt notum facit Charta, in Archivo Baſilicæ Sancti Georgii ad Palatium Mediolani reperta, & a nobis edita atque illuſtrata *in Hiſtoria Literario Typographica Mediolanenſi, ad Annum MCCCCLXXXVII.*

Subſcripſiſſe Valpertum Synodo Romanæ tradit Galeſinius in Tabula noſtrorum Antiſtitum. Hoc tamen, ſi verum fateri volumus, potiùs in ejuſdem dedecus quàm laudem vergit. Siquidem Eruditorum omnium conſenſu Synodus iſta verè Conciliabulum fuit; exortis enim diſſenſionibus, quas narrant Baronius, Sigonius, aliique, inter Ottonem & memoratum Pontificem Maximum, Romam reverſus Imperator, ac Procerum quorumdam Romanorum conſilio exiſtimmatus, Synodum Epiſcoporum cogi curavit Anno CMLXIII., in qua depoſitus eſt a Sede Romana Joannes XII., & intruſus Pſeudo-Pontifex Leo VIII. Alterum certè Concilium celebravit Joannes anno ſequente, cùm Urbe exceſſiſſet Imperator, in

quo

quo Acta omnia reſcidit, quæ Epiſcopi ſuperiore anno congregati contra ipſum conſcribere auſi fuerant; & Pontificem ab ipſis electum ſacro anathemate percuſſum inferis devovit. Huic autem legitimæ Synodo Valpertus ſubſcriptus minime legitur; fortaſſe enim eo anno Româ diſceſſerat. Appoſitum quidem eſt Valperti nomen Diplomati expedito Anno CMLXVII. a Joanne XIII. in Concilio Ravennatenſi, ob exauthorationem Heroldi Archiepiſcopi Salisburgenſis, cœcitatis & quorumdam criminum ibidem recitatorum causâ; ſubrogato in ejus locum Friderico, ùt rectè adnotavit Ughellus.

Concilium aliud Provinciale celebravit Valpertus Mediolani in Sanctæ Theclæ Baſilica. Occaſionem huic cogendæ Synodo dedit fœda & barbara depopulatio, illata a Saracenis Hungariſque Suffraganeæ Eccleſiæ atque Urbi Albenſi, ob quam eò inopiæ devenerat Florardus ſeu Fuchardus ejuſdem Epiſcopus, Anno CMLX. creatus, ut victum propriis manibus quærere cogeretur. Bonis avibus illinc pertranſiverat Otto, Romam ad recipiendam Auguſtalem Coronam feſtinans, qui tactus miſeratione tam atrocis ſpectaculi extremæque Antiſtitis indigentiæ, ad almam Urbem delatus cum Summo Pontifice Joanne XII. egit, ut tanto infortunio remedium pararetur. Acta res eſt in Concilio Epiſcoporum Romæ exiſtentium, a Pontifice Maximo ibidem collecto; neque alia viſa eſt commodior via reſarciendæ huic cladi, quàm ſi Albenſis Eccleſia Aſtenſi, tunc florentiſſimæ uniretur. Itaque datæ ſunt Literæ tum a Pontifice Maximo, tum ab Ottone ad Valpertum Mediolanenſem Antiſtitem, ut auctoritate Apoſtolica rem hanc in Provinciali Concilio perficeret. Is autem,

accitis Mediolanum Suffraganeis Epiſcopis, accepta ab Urbe mandata optimè implevit. Ughellus, cui notitiam Mediolanenſis hujus Concilii debemus, in Albenſibus Epiſcopis enumerat Præſules, qui eidem interfuere; cum iis autem recenſetur Auguſtanus, adhuc Suffraganeus Metropolis Ambroſianæ. Memoratus Scriptor cenſuit, peracta iſta fuiſſe, *cùm Otto Romam ſecundò eſt profectus, hoc eſt Anno CMLXVI.* Fallitur tamen Vir doctiſſimus; Otto namque illo anno Romam non pervênit, niſi expirante Decembri, teſtibus Baronio, Sigonio, & Pagio, qui Natalem Domini ibidem ab hoc Cæſare celebratum fuiſſe ex Continuatore Reginonis tradit. Quis verò credat, tam brevi tempore perfici ea omnia potuiſſe, quæ ſuperiùs narravìmus? Præterea ſtatim ac ingreſſus eſt Urbem Otto, compeſcendis tumultibus ibidem jampridem excitatis, infligendiſque in eorumdem Auctores atrocium ſuppliciorum pœnis totum ſe addixit: Neque tunc Romæ aderat Summus Pontifex, cum quo de Albenſis Eccleſiæ peſſima conditione ſermonem habere poſſet. Adnotare etiam opus eſt, lapſum memoriâ fuiſſe Ughellum, dum in Epiſcopis Aſtenſibus, ubi de Rozone Antiſtite illius Eccleſiæ agit, repetens Hiſtoriam hucuſque deſcriptam, ait, Concilium Mediolanenſe celebratum fuiſſe a Landulpho Archiepiſcopo; Valpertus enim multò etiam poſt Annum CMLXVI. in Ambroſianæ Eccleſiæ regimine perduravit.

Ughellus in hujus Archiepiſcopi Vita Documentum refert Sententiæ, quam Valpertus ſedens pro Tribunali in Aula Domus Sancti Ambroſii (Palatii nempe Archiepiſcopalis) protulit in favorem Gompaldi, ſeu Grimpaldi Abbatis Cœnobi

Tol-

Tollani in Placentino agro, circa quaſdam terras *Sancti Caſſiani & Sancti Angeli*, præfato Monaſterio *legaliter ſubditas*, *& injuſtè denegatas*. Lata eſt hæc Sententia Anno decimo Pontificatus Valperti, ut ibidem adnotatur, adeoque Anno CMLXIII.

In aſſignando temporis ſpatio, quo Valpertus Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtravit Scripto es omnes conſentiunt, aſſerentes unà cum antiquis Catalogis, præfuiſſe illum ſuo Gregi octodecim annis. Non ita concordes ſunt in anno obitûs indicando. Papebrochius eumdem mortuum tradit Anno CMLXIX., cùm ceteri paſſim teſtentur, illum e vivis exceſſiſſe Anno CMLXXI. Porro Vir iſte, non ſolùm excellenti doctrina, ſed etiam accurato criterio præditus, defeciſſe videtur in hiſce calculis ineundis; cùm enim legiſſet in Ughello, latam a Valperto Archiepiſcopo ſententiam in favorem Gompaldi Abbatis Cœnobii Tollani in Agro Placentino, Anno CMLXIII., in cujus Documento enunciatur, tunc decurriſſe annum decimum Pontificatûs ipſius, nihilominus ſtatuendam electionem memorati Archiepiſcopi cenſuit Anno CMLI. adeòque aut falſi arguit prædictæ ſententiæ Documentum, quod ſignat decimum Valperti annum, cùm ſignare debuiſſet duodecimum, aut memoriâ lapſus fuiſſe dicendus eſt laudatus Auctor, qui ut locum faceret octodecim annis regiminis Valperti, biennio prævertit ejuſdem inaugurationem. Hoc unum certò ſcimus, & in figendo tempore initæ Dignitatis, & in exitu vitæ Valperti deſignando præclarum hunc Scriptorem biennii anachroniſmo peccaſſe.

Lon-

Digitized by Google

Longiùs aberravit Pagius, qui ad Annum CMXCVII. num. IX. recenſens Legationem Arnulphi II. Archiepiſcopi Mediolanenſis, emendare ſtudet Papebrochium, qui deceſſiſſe Valpertum tradit Anno CMLXIX., retrahens illius obitum ad Annum CMLXVI., fretus teſtimonio Arnulphi Scriptoris Mediolanenſis (nunc editi inter *Rerum Italicar. Scriptores* Tom. IV.), qui narrata, Libr. I. Cap. VII., captivitate & obitu Berengarii in Svevia, Anno mox enunciato, claudit illud Caput, & exordiens octavum, hæc habet: *Eodem tempore obeunte Valperto, Cathedram ſuſcepit Arnulphus* &c. At Vir doctiſſimus minimè advertit, ab hoc Auctore plura in unum congeri, quæ diverſis annis accidere; adeòque uſum fuiſſe illâ formulâ *eodem tempore*, non *eodem anno*; proinde accipienda eſſe prædicta verba ampliori ſignificatione. Certè eadem in hunc modum optimè intellexit, qui in margine ad illud Caput Arnulphi Annum CMLXXI. adnotavit.

Citra formidinem itaque erroris arbitramur, ſtatui debere obitum hujus noſtri Archiepiſcopi ad Annum CMLXXI., VIII. Idus Novembris: Ejus autem Corpus ſepulcro datum eſt in Eccleſia Hyemali.

AR-

ARNULPHUS I.

SEdem Mediolanenſem adeptus eſt Arnulphus hujus nominis primus, Anno CMLXXI. ad finem vergente. De hoc Archiepiſcopo parùm in Hiſtoricas tabulas retulere Scriptores Patriæ noſtræ; Arnulphus verò alter, iis temporibus proximus, qui Hiſtoriam rerum eâ ætate geſtarum in hac Urbe Poſteris ſcriptam reliquit, quique eidem Antiſtiti conſanguinitate conjunctus erat, utpote illius ex Fratre Pronepos, non aliud adnotavit, niſi fuiſſe hunc Præſulem, *Virum declinantem a malo, & ſapientem bonum*. Hinc autem prorſus refellitur opinio eorum, qui ſcriptis tradidere, hunc Archiepiſcopum miſſum fuiſſe Legatum ab Ottone I. ad Joannem Zimiſcem Imperatorem Conſtantinopolis, ut Theophaniam ejus Neptem, in uxorem Ottonis filii ſui poſtularet. Quis enim enarrare debuiſſet glorioſum hoc munus, geſtum à Propatruo ſuo, quàm Scriptor ille, qui tam arcto ſanguinis vinculo eidem adhærebat? Præterea cùm Sigonius & Paglus hanc Legationem expeditam fuiſſe aſſerant Anno CMLXXI., manifeſtum fit, eam minimè committi potuiſſe Arnulpho, qui nonniſi labente Decembri ejuſdem anni donatus eſt Inſulâ Mediolanenſi; aliunde verò conſtat, Theophaniam ſub primos menſes anni ſequentis, ideſt die XIV. Aprilis, ut ex Chronographo Hildesheimenſi, coronatam Romæ fuiſſe a Joanne XIII. Summo Pontifice, & Ottoni II. matrimonio conjunctam. Mirum

autem

autem foret, ſi tam brevi temporis ſpatio confecta fuiſſent, terrâ marique ſuſcipienda itinera ad tam diſſitas Regiones: Præcipuè cùm ageretur de Auguſta Fœmina, & Sponſa Principis, Occidenti imperantis, quæ ſolemni celebritatis apparatu excipienda erat, utpote Procerum Græci Romanique Imperii comitatu ſtipata.

Condonare tamen hos nævos Viris memoratis, alioquin eruditiſſimis, poſſumus, qui longè ab hac Metropoli ſcribebant, neque obvias habebant Hiſtorias noſtræ Urbis, per ea tempora adhuc manu exaratas in Scriniis latentes. Non ita excuſandus videtur Galeſinius, diu apud nos immoratus, qui de Arnulpho plura congeſſit in Tabula noſtrorum Antiſtitum, longè recedentia ab hiſtorica veritate. Ait enim, Antiſtitem hunc, filium extitiſſe Bonitii Ducis, cùm nemo Scriptorum res noſtras narrantium id aſſeruerit. Sigonius quidem Landulphum, hujus Arnulphi poſtmodum Succeſſorem, & Ripamontius Arnulphum etiam II., ab hoc Duce, infimæ conditionis homine, progenitos tradiderunt; ad primum autem Arnulphum, Bonitii ſeu Bonizonis ſtirpem minimè pertaxere, Triſtano Calcho ſolùm Landulphum, de quo ſuo loco erit ſermo, Bonizonis filium memorante. Hinc autem arbitramur, ſumptam fuiſſe a Galeſinio opinionem, quod iſte Arnulphus, Clero reclamante, Archiepiſcopalem Cathedram occupaverit; de hoc enim ſilent qui Archipræſulum Mediolanenſium ſeriem texuere; & potiùs cenſendum eſt, id accidiſſe Landulpho, ex obſcuris natalibus ad Præſulatûs honorem evecto.

Quod verò ſubjungit Ughellus, nempe a Præſule noſtro Arnulpho conſcriptam fuiſſe Hiſtoriam ſui temporis, prorſus refel-

refellitur ab ejuſdem Pronepote, qui verbis patentibus ſe illius Auctorem fuiſſe profitetur.

Præfuit Arnulphus I. Mediolanenſi Eccleſiæ annis III., menſibus IV., quemadmodum tradunt antiqui Catalogi, ejuſque Pronepos Arnulphus. Obiit XVI. Calendas Maji, Anno CMLXXV., ſepultus in Eccleſia Hyemali.

GOTHIFREDUS.

POſt obitum Arnulphi conſecutus eſt Inſulam Mediolanenſem Gothifredus, menſe Julio Anni CMLXXV., moderante Romanam Eccleſiam Benedicto VII., non VI., ùt tradidit Galeſinius. Papebrochius *in Exegeſi* biennio prævenit hanc electionem, errore jam admiſſo in Valperto, ùt ibidem adnotavimus.

Hujus Archipræſulis electionem minimè tranquillam fuiſſe diſcimus ex memorato Arnulpho, rerum Patriæ noſtræ Scriptore, qui narrat, reprobatum eum primò fuiſſe a Clero & Populo, quòd Diaconi & Presbyteri gradum minimè conſcendiſſet, Subdiaconi tantùm ordine decoratus (conſtans enim erat tunc temporis in Eccleſia Ambroſiana antiquæ diſciplinæ cuſtodia, ne quis per ſaltum ad Epiſcopalem Dignitatem promoveretur); nihilominus in gratiam Ottonis Imperatoris, qui illum propoſuerat, receptum fuiſſe. Laudat etiam Gothifredum Arnulphus, ob ſummam fidelitatem Ottoni præſtitam, in bellis ab eo ſuſceptis contra Berengarii Filios, quos ab Italico Solio dejecit, atque in alienas terras diſperſit. Cetera, quæ ad Eccleſiaſticum adminiſtratum munus pertinent, antiquitatis ſilentium nobis invidit.

Unicum perenne teſtimonium ſingularis liberaliſque amoris, quo Sanctum Ambroſium Patronum colebat Archiepiſcopus Gothifredus, eſt Vas eburneum elegantiſſimè ornatum, ejuſdem Baſilicæ dono oblatum, ut, cùm inaugurandi eſ-

ſent

ſent ſolemni pompâ Cæſares, ad Italicum Regnum capeſſendum, aſpergendis aquâ luſtrali Regibus eorumque Inſigniis, Mediolanenſi Archiantiſtiti, Hydriæ loco, inſerviret. Viſitur adhuc pretioſum hoc munus in Cimiliarchio Metropolitani Templi; illudque exactè deſcripſit in ſuis ad *Monumenta Baſilic. Ambroſ.* MS.tis Additamentis diligentiſſimus Puricellus ad num. CLXXXIV. pag. CCCVI. his verbis: „ Manubrium habet ferreum, ſed auro illitum. Labrum „ quoque habet exterius, binis ejuſmodi verſibus circumqua- „ que inſculptum:

„ ✠ VATES AMBROSI GOTEFREDUS DAT TIBI SANCTE „
„ VAS, VENIENTE SACRAM SPARGENDUM CÆSARE LYMPHAM.

„ Vates igitur, hoc 'eſt, notâ inter Sacrorum carminum „ Auctores ſignificatione, Antiſtes & Archiepiſcopus noſter „ Gotefredus, nobile illud Vas Ambroſio Sancto dabat, quo „ Aqua benedicta contineretur, & ad ſpargendum exhibere- „ tur tunc temporis, quando delecti Imperatores Mediola- „ num venirent, ad Italici Regni Coronam ex Archiepiſcopi „ noſtri manu capeſſendam: Quam quia capeſſebant in Sancti „ Ambroſii Baſilica, propterea etiam Gotefredus eidem San- „ cto talem a ſe hydriam dari profitebatur. Ceterùm hæc „ ipſa exteriorem habet ambitum variis omniquaque orna- „ mentis ac figuris cælatum. Quinis eſt diſtincta ſpatiis, „ quibus totidem inſunt imagines, unaquæque ſuo ſupernè „ circumdata verſiculo. Medium locum Deipara obtinet Vir- „ go, Baſilicæ Metropolitanæ Tutelaris, ac duobus hinc inde

 „ San-

„ Sanctis adſtantibus infantulum Jeſum gremio geſtat. Reli-
„ qua porro loca ſingillatim occupant quatuor Evangeliſtæ,
„ cum propriis quiſque Symbolis, quibus communi Eccleſiæ
„ Catholicæ uſu deſignari conſueverunt. Verſiculi verò illi
„ ſunt hujuſmodi :

„ VIRGO FOVET NATUM, GENITRICEM NUTRIT ET IPSE.
„ ORA GERENS HOMINIS MATHEUS TERRESTRIA NARRAT.
„ ORE BOVIS LUCAS DIVINUM DOGMA REMUGIT:
„ CHRIITI DICTA FREMIT MARCUS SUB FRONTE LEONIS:
„ CELSA PETENS AQUILÆ VULTUM GERIT ASTRA JOHANNES.

Rexit Gothifredus Eccleſiam Mediolanenſem annis quinque, menſe uno, & aliquot diebus, ùt ex vetuſtis Catalogis liquet. Ughellus ultra modum protendit regiminis ejuſdem tempus, quindecim annos Sedis liberali calamo Gothifredo attribuens, nixus opinioni nonnullorum (quorum tamen nomina non indicavit), qui hoſce annos Archipræſuli huic noſtro aſſignant. Malè etiam calculos iniit hic Auctor; cùm enim fixerit obitum Gothifredi Anno CMLXXXVIII., & electionem Anno CMLXXV., cuique patet, non quindecim annos, ſed treſdecim tantùm interceſſiſſe. Nos juſtum ſequentes ordinem, hujus Epiſcopi mortem ſtatuimus ad Annum CMLXXX., quo verè e vita deceſſit, XIII. Calendas Octobris. Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali.

LAN-

LANDULPHUS II.

PRomotus eſt ad Sedem Mediolanenſem, Gothifredo e vivis erepto, Landulphus II. de Oppido Carcanenſi Anno CMLXXX. Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. LXXXVI. num. VII. varias recentium Scriptorum opiniones recenſet, quæ invicem ſeſe implicant, & à vero prorſus exorbitant. Siquidem aliqui biennio, alii octennio, & etiam decennio differunt hujus Antiſtitis electionem. Nos venerandâ Catalogorum veterum auctoritate firmati, annum ſuperiùs enunciatum novo huic Archiepiſcopo ad Eccleſiæ noſtræ regimen delecto aſſignamus, ut ad juſtam lancem (quantum nobis potis eſt) ſubſequentium Antiſtitum ſeries componatur.

Filius hic erat Bonitii, ſeu Bonizonis evecti ab Ottone II., ob ingenii præſtantiam, ex vili Lanionis arte ad hujus Metropolis moderationem, ſub Ducis titulo. Puricellus ex ultimis Tabulis Landulphi Archiepiſcopi, ab ipſo inſpectis adnotat, Patrem ejuſdem nomen habuiſſe *Ambroſii*; fortaſſe enim Bonitius ſeu Bonizo duobus hiſce nominibus appellabatur; proinde etiam Ughellus Landulphi Patrem, *Ambroſium Carcanum* vocavit. Landulphus alter, Mediolanenſis Hiſtoriæ Scriptor, publici juris factus Tom. IV. *Rerum Italicar.*, refert obtentam fuiſſe vitiosè ac venali modo ab iſto Archipræſule Infulam Mediolanenſem. Cùm enim Pater ejus ambitione turgeret, ac deſiderio urgeretur copulandi

ſimul

ſimul Eccleſiaſticum, ac Civile imperium, quod ipſe Cæſaris favore adminiſtrabat, *ſuo Filio Landulpho, in pondere auri & argenti magno, Archiepiſcopatum Mediolanenſem, contra omnium ordinum Clericorum voluntatem adquiſivit.*

Pravis hiſce artibus ad Archiepiſcopale Solium evectus Landulphus, Patris tyrannidem in Cives populumque imitari cœpit, Altaria argenteis ornamentis denudans; opulentas Eccleſiæ opes in Fratres Amicoſque diſpergens, qui effrænatâ licentiâ debaccantes, teſtibus Calcho & Sigonio, in omnes inſurgebant. Quamobrem plebs Mediolanenſis tumultum excitavit; eoſque inſolenti ſuperbia atque alieni cupiditate in omnem audaciam perrumpentes, Urbe expulit, & contra eoſdem armis conflixit apud Vicum Carbonarium in Agro Seprienſi, eorumque exercitum in fugam conjecit: peſſimo quidem exemplo; inde enim orta ſunt inter Plebem, & Nobiles pertinacia ea diſſidia, quæ cædibus & ærumnis hanc Metropolim uſque ad XIV. Seculum implevere, ùt adnotavit Sigonius; qui etiam ſubdit, ex hac perturbata civilis concordiæ pace, emerſiſſe aliquod Reipublicæ Mediolanenſi bonum: Siquidem excuſſo barbaro Ducum jugo, ac reſtituto antiquo Conſulum regimine, publicæ res tranquillius utiliùſque floruerunt.

Ut autem ad Landulphum redeamus, cùm in memorato prælio apud Carbonariam acto, cecidiſſet quidam nobilis Tatius, unus ex ejuſdem vernulis, ceteris animoſior, Mediolanum reverſus, atque domum Bonizonis Ducis ingreſſus, eumdem ſenectute gravem pugione confodit. Non tulit hoc probrum Archiepiſcopus; ſed fractum videns Fratrum exerci-

tum,

tum, in Germaniam ad Ottonem II. iter ſuſcipiens, illum enixè rogavit, ut admotis Mediolanum armis huic vulneri mederetur; obtinuitque ſubſidium quod optabat. Reverſus enim Imperator in Italiam, arctâ obſidione hanc Metropolim cinxit: Sed compoſitis privatim inter Cives & Archipræſulem ſimultatibus, removenteque a mœnibus Ottone militares copias, omnia impoſterum proſperè contigere. Landulphus verò ſuæ Sedi reſtitutus, in emendationem eorum, quæ de Eccleſia ſubripuerat profuderatque, Cœnobium Sancti Celſi a fundamentis extruxit, & proximam Eccleſiam in meliorem formam redegit; aſſignatis prædiis, ut alerentur Monachi ad Divina Officia perſolvenda, quemadmodum conſtat ex ejuſdem ultimis Tabulis a Puricello relatis *in Diſſertat. Nazarian.*, dicto Cap. LXXXVI., ubi fusè de hoc Monaſterio loquitur.

Varias de hujus Antiſtitis regiminis annis retulimus opiniones in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ*, ſub Annum CMXCIX., ex quibus perſpicuum fit, perduraſſe Landulphum in Mediolanenſi Sede uſque ad Annum CMXCVIII., auctoritate præſertim Diplomatis, aſſervati in Archivo Monialium Sanctæ Mariæ Vallis Mediolani, dati ab Arnulpho Landulphi Succeſſore Anno MXIV., in quo numeratur decimus ſeptimus Pontificatûs ſui annus, qui ſupputari nequit, niſi ab Anno CMXCVIII., quo Landulphus numerum annorum XVIII. Sedis, in antiquis Catalogis eidem aſſignatorum abſolvit.

Lubet hoc loco attexere Chartas nonnullas, adhuc luce carentes, quæ in Tabulario Baſilicæ Sancti Georgii appellati *in Palatio* aſſervantur. Primæ duæ vigilantiam hujus noſtri

Paſto-

Digitized by Google

Paſtoris compertam faciant, qua Fratris Miniſtris providere ſtudebat, eorumque bono proſpicere, ut Dei cultui impenſius alacriùſque incumberent. Anno igitur CMLXXXVIII. contractum iniit Landulphus cum Cive quodam Mediolanenſi tradendi in jus illius aliqua prædia, quæ Sancti Georgii Baſilica, ſeu ejuſdem Officiales poſſidebant in Loco Fontecilli ſeu Fontegii, receptis in permutationem nonnullis aliis terræ portionibus in territorio Ciximuſculi: Omnia verò hæc commenſurata fuere per *juges*, & *perticas jugiales*, in Charta proximè referenda deſcriptas. Quid autem eſſent *juges*, Ducangius minimè explicavit, afferens tantummodo teſtimonia Chartarum, in quibus menſura hæc adnotatur. Nos ex altera Charta ejuſdem Archivi, cujus mentionem egimus *in Hiſtoria* noſtra *Tipographico-Literaria Mediolanenſ.*, ad Annum MCCCCLXXXVII., initis calculis deprehendimus, menſuram hanc, eſſe portionem terræ ex duodecim perticis conflatam. Jam itaque Chartam ipſam proferimus.

„ In Chriſti nomine. Anno ab Incarnatione Domini noſtri
„ Jeſu Chriſti nono centeſimo octuageſimo octavo, menſe
„ Jenuario, Indictione prima. Comutacio bone fidei noxitur
„ eſſe contractum, ut ad vicem emcionis optineat firmita-
„ tem; eodemque nexu obligacionis contraentes. Placuit ita-
„ que & bona convenit voluntate inter Domnus Landulfus
„ Archiepiſcopus Sancte Mediolanenſis Ecleſie, nec non &
„ inter Romedium Judicem filium quondam Angifredi Ne-
„ gociatori de Civitate Mediolani. Ut in Dei nomine debeat
„ dare ſicut & a preſenti dedit is ipſe Domnus Landulfus
„ Archiepiſcopus eidem Romedii Judici in cauſa comutacio-

nis

„ nis nomine preſenti diȩ ſuo jure habendum. Ideſt petia „ una de terra cum buſcalia ſuper habente in alnis de al- „ veum fluvio Lambrii in ſimul tenente juris Baxilice San- „ cte Marie que dicitur ad Fonticillo, que Baxilica cum „ omni ſua pertinencia pertinere videtur de ſub regimine & „ poteſtate Ecclefie Sancti Georgii ſita intra Civitate Medio- „ lanenſis, prope locus, ubi Palacio dicitur, & rejacet ſu- „ pradicta petia de terra foris Civitate Mediolanenſis, non „ longe de Baxilica ſupradicta Sancte Marie, & nominatur „ amundadia. Coheret ei a mane terra ipſius Eccleſie & via „ publiga, a meridie rio qui dicitur naureni, a ſera Mo- „ naſterium Sancti Ambroſii, & fluvio Lambro a monte „ ipſius Eccleſie, & eſt eadem petia de terra cum parte de „ alveum fluvio Lambro inſimul per menſuram juſtam jugeas „ legiptimas viginti. Unde ad vicem recepit is ipſe Domnus „ Landulfus Archiepiſcopus ab eodem Romedio Judice ſimi- „ liter in cauſa comutacionis nomine preſenti die ad partem „ ipſarum Eccleſiarum habendum. He ſunt rebus territoriis „ illis juris eidem Romedii, que habere viſus eſt in loco „ & fundo Cixinuſculo & Malebaira, quod eſt prope nomi- „ nato loco Cixiſnuculo, & ſunt ipſis rebus Vinea cum area, „ ubi eſtat petia una, campora petias undecim. Silva caſtanea „ cum area, ubi eſtar petia una; prata petia una. Silva Stal- „ larea cum area, ubi eſtant petias tres. Jam dicta Vinea, „ & primo campo inſimul tenente dicitur Vigniale de agonȩ. „ Coheret ad ſupradictum a mane via, a meridie de Mona- „ ſterio quod dicitur Giſoni, a ſera Bonicioni & area ex ipſa „ vinea, per menſuram perticas jugales octo. Secondo cam-

„ po dicitur campo de Leo. Coheret ei a ſera & monte „ via, & eſt per menſuram jugias legiptimas duas, & per- „ ticas jugales ſes. Tercio ibi prope eſt ei a meridie via, „ a ſera Adeleberti, & eſt per menſuram perticas jugales „ undecim. Quarto dicitur a Runco. Eſt ei da meridie „ Johannis, da ſera de heredes qu. Giſenperti, & eſt per „ menſuram cum inciſa ſua jugiam legiptimam unam, & „ perticas jugales quinque. Quinto dicitur ab Alaleſtro. Eſt „ ei da mane Sancti Protaxi, a meridie Walperti, & eſt „ per menſuram perticas jugales quinque. Seſto dicitur alo „ doſo de . . . . . Et eſt ei a mane & monte via, & eſt „ per menſuram perticas jugales ſes. Septimo campo cum prato „ inſimul tenente. Coheret ad ſuper totum a Sera Wal- „ perti, a monte Anſelmi, & eſt eodem campo & nomi- „ nato prato inſimul per menſuram perticas jugales octo. „ Octavo campo dicitur a peſcairolo. Eſt ei ab una parte „ Sancti Mauricii, & eſt per menſuram perticas jugales ſes. „ Nono campo dicitur Abrigaſto. Eſt ei a ſera Sancti „ Ambroſii, & eſt per menſuram jugia legiptima una. De- „ cimo campo dicitur in Luraxa; eſt ei da meridie Angil- „ berti & Uberti, a monte Walperti, & eſt per menſu- „ ram perticas jugales ſes. Undecimo campo ibi prope. Eſt „ ei da una parte de hæredes qu. Giſenperti, & eſt per „ menſuram perticas jugales duas. Nominata Silva caſtanea „ dicitur a Silvango, & eſt ei a mane Sancti Johannis, a „ meridie Adeleberti, & eſt area ejus per menſuram per- „ ticas jugales ſeptem. Prima ſtallarea dicitur a purtillia, „ eſt ei da una parte Walperti, & eſt area ejus per men-

„ ſuram

„ ſuram perticas jugales ſes. Secunda ſtallarea dicitur a Ban-
„ dido, eſt ei da una parte Sancti Michaelis, & eſt area
„ ejus per menſuram perticas jugales duas. Tercia ſtallarea
„ dicitur ab Aragare, & eſt ei da una parte Walperti,
„ & eſt area ejus per menſuram juga legiptima una. Qui-
„ dem & ut legis ordo depoſcit, & ad anc previdendam
„ commutacionem acceſſit ſuper is rebus ad previdendum
„ ideſt Petrus Presbiter de Ordine ejuſdem Sancte Mediola-
„ nenſis Eccleſie, & Miſſus ejuſdem Domni Landulfi Ar-
„ chiepiſcopi una cum duos homines eſtimatores, quorum
„ nomina ſubter legitur. Quibus eorum omnibus comparuit,
„ & eſtimatores iſti eſtimaverunt & dixerunt eam eſſe me-
„ lioratam cauſam, ſicut lex abet accipere. Item ipſe Do-
„ mnus Landulfus Archiepiſcopus a parte ipſi & . . . .
„ ab eodem Romedio comutatore quam ei darent & in
„ comutacio inter eorum legibus. Hac firmiter fieri poſedet.
„ Is autem rebus ſupradictis lex comutacionis una cum ſu-
„ perioribus & inferioribus, cum finibus & acceſſionibus ea-
„ rum in integrum & aliter ipſis comutatores ſibi invicem
„ comutacionis nomine tradiderunt faciendum pars parti de
„ eadem, ut ſupra legitur in comutacione reciperunt cum
„ heredibus & ſucceſoribus ſuis proprietario jure legibus.
„ Quidem voluerimus aut previderimus ſine omni uni eo-
„ rum alterius, eorumque heredes vel ſucceſſores contra-
„ dicione. Et ſpoponderunt ſe ipſis comutatores ſibi unus
„ alteri invicem cum heredibus & ſucceſſoribus ſuorum ut
„ ſupra in comutacione dederunt omni tempore „ ab omni
„ homine defenſare, ut lex expoſtulat. Et penam inter ſe

„ poſuerunt, ut quis ex ipſis, aut ex hæredes vel ſucceſ-
„ ſores ſe de ac comutacione removere aut cauſare preſum-
„ pſerint, vel ſi ab unumquemque homine non compenſave-
„ rit & non permanſerit qualiter ut ſupra legitur, tunc
„ componat pars parti illa pars que non conſervaverit, ad
„ partem que ſervaverit pro pena is rebus quas comendave-
„ rit in duplum ſicut pro tempore melioratis fuerint ſub
„ eſtimatione in eiſdem locis, quia ſic inter eos convenit.
„ Unde due charte comutacionis uno tempore ſcripte ſunt.
„ Actum iſta Civitate Mediolani

„ Landulphus Dei gratia umilis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

„ Ego Petrus Presbiter Dei gratia umilis Miſſus fui ut
„ ſupra & ſubſcripſi.

„ Marinbertus Judex Sacri Palatii eſtimavi ut ſupra &
„ ſubſcripſi.

„ Anſelmus Judex Sacri Palatii eſtimavi & ſubſcripſi.

„ Petrus Judex eſtimavi & ſubſcripſi.

„ Adam Notarius rogatus ſubſcripſi.

„ Benedictus Notarius rogatus ſubſcripſi.

„ Petrus Notarius rogatus ſubſcripſi.

„ Amelbertus qui & Benzo rogatus ſubſcripſi.

„ Arialdus Notarius ſcripſi, poſt tradita complevi &
„ dedi.

„ ✠ Ego Anſelmus Judex hautentica hujus exempla
„ vidi & legi, & ſic in eo continebatur, ſicut in iſto le-
„ gitur exemplo extra literas plus minuſve.

„ ✠

Digitized by Google

„ ✠ Ego Fredencionus Notarius hac Judex hautentica
„ hujus exempli vidi, & legi, & ſic in eis continebatur,
„ ſicut in iſto legitur exemplo exemplavi extra literas plus
„ minuſve.

„ ✠ Ego Otto Notarius hautentica hujus exempla vidi
„ & legi, & ſic in eo continebatur, ſicut in iſto legitur
„ exemplo, extra literas plus minuſve.

Altera Commutationis pariter Charta nobis refert novum cum Petro Laudenſi Cive initum a Landulpho contractum, quo eidem ceſſit quædam prædia proxima Baſilicæ Sancti Stephani, quæ ad Baſilicam Sancti Georgii in Palatio ſpectabant, recepitque ad vicem, quamdam terræ portionem, ſimulque Domum cum vinea, proximam Baſilicæ Sancti Baſſiani, Laudenſis Urbis. Confecta eſt hæc Charta Anno CMXCVII., die XXXI. Januarii, atque ita ſe habet.

„ In Chriſti nomine. Tercius Otto gratia Dei Imperator
„ Auguſtus, Anno imperii ejus primo, pridie Calendas Fe-
„ bruarii Indictione decima. Comutacio bone fidei noſſitur
„ eſſe contractum ut ad vicem emcionis obtineat firmitatem,
„ eodemque nexu oblicat contraentes. Placuit itaque & bona
„ convenit voluntate inter Domnus Landulfus reverendus
„ Sancte Mediolanenſis (Eccleſiæ) Archiepiſcopus, necnon
„ & inter Petrus Negotiator de Civitate Laude, filius
„ quondam Leoni, ut in Dei nomine debeat dare, ſicut &
„ a preſenti dedit his ipſe Domnus Landulfus Archiepiſco-

„ pus

Digitized by Google

„ pus eidem Petro comutatori ſuo in cauſa comutacionis „ nomine preſenti die ſuo jure abendum libere pecia una de „ terra, ubi orto excolitur, juris Baſilice Sancti Georgii, „ que eſt conſtructa intra hac Civitate Mediolani, que re- „ jacet ipſa terra ubi orto excolitur intra Civitatem Laude „ prope Baſilica Sancti Stefani, que Baſilica ipſa Sancti „ Georgii cum omne ſua pertinencia pertinere videtur de „ ſub regimine & poteſtate Domni & Archiepiſcopatus ip- „ ſius Sancte Mediolanenſis Ecclefie; ubi coherent ei ab ipſa „ terra, ubi orto excolitur in circuitu ad fines, da mane „ Leoni, & ingreſſo da meridie eidem Petri comutatoris, „ da ſera via, da montes ipſius Baſilice Sancti Georgii, „ quas ipſe Domnus Landulfus Archiepiſcopus a parte pre- „ dicta Baſilice Sancti Georgii reſervare videtur, & eſt ter- „ ra ipſa, ubi orto excolitur infra ipſas coerencias, ſcilicet „ tantum, quantum ipſe Domnus Landulfus Archiepiſcopus „ eidem Petri in comutacione dare videtur per menſura „ juſta tabulas legiptimas jugalis quatuordecim. Unde ad „ vicem recepit his ipſe Domnus Landulfus Archiepiſcopus „ ab eodem Petrone comutatore ſuo ſimiliter in cauſa cô- „ mutacionis nomine preſenti die a parte predicte Baſilice „ Sancti Georgii abendum. Id ſunt: Petia una de terra „ ubi orto excolitur, cum caſa una & area in qua extant, „ & vineas pecias duas & areas ubi extant, juris eidem „ Petri, quibus abere viſus eſt jam dicta terra ubi orto „ excolitur infra ipſa Civitate Laude jam dicta Caſa, & „ predictas vineas foris & non multum longe de ipſa Ci- „ vitate, & de Baſilica Sancti Baſiani; ſupraſcripta terra

„ ubi

„ ubi orto excolitur, nominatur in Binda, & prope Ba-
„ ſilica Sancti Blaſi, eſt per menſura juſta tabulas legipti-
„ mas octo, ubi coeret ei da mane Angelberti, da meri-
„ die via, da ſera Leoni. Et ſupraſcripta Caſa foris ipſa
„ Civitate eſt prope Porta que apelatur Placentina in bur-
„ go, eſt area & ipſa Caſa per menſura juſta tabulas le-
„ giptimas tres. Eſt ei da mane Andrei, da meridie via,
„ da ſera acceſſio comuno, da montem Giſelberti. Prima
„ vinea nominatur a jugo maturi; eſt area ejus per men-
„ ſura juſta perticas jugalis quinque: Eſt ei da mane &
„ montes Angelberti, & acceſſio comuno, da meridie Leo-
„ ni, da ſera Sancti Baſiani. Secunda vinea eſt ibi prope,
„ & dicitur ſimiliter, cum area ejus eſt per menſura juſta
„ perticas jugalis quinque: Eſt ei da mane Leoni & Ro-
„ zoni, da meridie & montes item Leoni, & in alia da
„ parte montes via, da ſera via. Quidem & ut hordo Le-
„ gis depoſcit, & ad ac providenda Comutacione acceſſit
„ ſuper ipſis rebus ad providendum, ideſt Landulfus Cleri-
„ cus & Notarius, de hordine ejuſdem Sancte Mediolanen-
„ ſis Eccleſie, & Miſſus eidem Domni Landulfi Archiepi-
„ ſcopi, ſimul & alii Deum timentes homines extimatores,
„ eorum nomina vocantur Leo qui & Azo, Urſo qui &
„ Petrus germanis filii, qui dicitur Rugimerii, & Joannes
„ filius quondam Teudini de eadem Civitate Laude, quibus
„ omnibus comparuit & extimatores ipſis. Ipſis rebus exti-
„ maverunt & dixerunt eo quod meliorate & ampliate res
„ reciperet ipſe Domnus Landulfus Archiepiſcopus a parte
„ predicte Baſilice Sancti Georgii abendum ab eodem Pe-

„ trone

Digitized by Google

„ trone Comutatore ſuo, quam ei dare & accomutare in-
„ tereſt eis legibus ac firmiter fieri poſſet. Iis autem rebus
„ ſuperius dictis & comutatis cum ſuperioribus & inferio-
„ ribus, cum finibus & acceſſionibus ſuarum in integrum
„ Comutatores ipſis ſibi unus alterius nomine tradiderunt,
„ faciendum exinde de eo quod ut ſupra in comutacione
„ receperunt pars parti cum heredibus & ſucceſſoribus ſuo-
„ rum jure proprietario nomine legari heredes ſine omni uni
„ eorum, alterius eorum, atque heredes & Succeſſores con-
„ tradict. . . . Et ſpoponderunt ſe ipſis comutatores ſibi
„ unius alterius, una cum heredibus & Succeſſoribus ſuo-
„ rum de eo quod ut ſupra in Comutacione dederunt in
„ integrum ab omni homine defenſare.. De quibus etiam
„ penam inter ſe poſuerunt, ut quis ex ipſis Comutatores,
„ aut eorum heredes vel Succeſſores ſe de ac comutacione
„ removere queſierint, & non permanſerint in ea omnia,
„ que hic ſuperius leguntur, tunc componant illa pars, que
„ non conſervaverint, a parte fidem ſervanti duplis ipſis
„ rebus, ſicut pro tempore melioratis fuerint aut valuerint
„ ſub extimacione in eiſdem locis, quia ſic inter ſe con-
„ venit. Actum Civitate Mediolani.

„ Signum manus ſupraſcripto Petri, qui anc Cartulam
„ Comutacionis ut ſupra, fieri rogavit, & ei relecta eſt.
„ ✠ Landulfus Clericus ac Notarius Miſſus fui ut ſu-
„ pra & ſubſcripſi.
„ Signum manum m. b. iſtorum Leoni qui Razo, &
„ Urſoni qui & Petrus germanis, filiis quondam Raginerii,
„ ſeu

„ ſeu Joanni, filii quondam Teudini, de ſupraſcripta Civitate „ Laude, qui ſuper ipſis rebus acceſſerunt, & extimaverunt „ ut ſupra, & in hac Cartula Comutacionis ad confirmandum „ manum poſuerunt.

„ Ego Anſelmus Notarius rogatus ſubſcripſi.

„ Ego Lutefredus Notarius Domni Imperatoris rogatus „ ſubſcripſi.

„ Signum manuum mem. b. Radaldi, filii quondam Joan- „ ni, de Loco Blaſſonno, & Sigefredi, qui & Sigezo, de „ Civitate Mediolani, Vaſſallo eidem Domni Landulfi Archie- „ piſcopus; ſeu Leoni de ſupraſcripta Civitate Laude, filii „ quondam Anzacii, teſtis.

„ Ego Aldo Notarius ſcripſi, poſt tradita complevi & „ dedi.

Similem ex eodem Archivo erutam adjungimus pergamenam Chartam, quæ aliquid eruditionis Eccleſiaſticæ Mediolanenſis nobis exhibet. Ultima hìc deſcribitur voluntas Andreæ Presbyteri, & Primicerii de Ordine Decumanorum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, Officialis Baſilicæ Sanctæ Mariæ, quæ dicitur *Hyemalis*. Vult autem memoratus Andreas, *ut Presbyteri, qui tunc* (ideſt tempore mortis ſuæ) *& in perpetuum in Baſilica Sancti Laurentii* (Mediolanenſis Urbis) *Officiales fuerint, quotidie Miſſas, Veſperas, & Matutinum, & reliquum Officium faciant, in animæ ſuæ, Parentum, ſeu Landulphi* (II.) *Archiepiſcopi remedium*. Aſſignat verò eis dotem, ideſt prædia quædam ibi enumerata, ex quorum annuis reditibus portionem tribui ſingulis Officialibus decernit.

Digitized by Google

Porro primum hoc eſt exemplum , quod nobis in Hiſtoriis occurrat quotidianæ Reſidentiæ in Choro , & perceptionis fructuum , qui æqualiter dividi debeant inter Sacerdotes ſacrum illud munus implentes . Neque redendum eſt , id omne peractum fuiſſe abſque conſenſu & approbatione Landulphi Archiepiſcopi Mediolanenſis , cujus mentionem in hac Charta Andreas Presbyter non ſemel agit , utpote eidem affinis . Plurimum itaque laudis in Ambroſianam noſtram Eccleſiam profluit ex hiſce ultimis Tabulis , cùm tam citò prævenerit in Laurentiana Baſilica Conciliorum Decreta , quæ Reſidentiam quotidianam Canonicorum Collegiis ſolicitâ curâ præſcripſerunt . Integram damus memoratam Chartam , confectam Anno ſecundo Ottonis III. Imperatoris , hoc eſt Anno CMXCVII. , die decimo menſis Novembris , Indictione XI.

„ In Chriſti nomine . Tercius Otto gratia Dei Impe-
„ rator Auguſtus , Anno Imperii ejus ſecundo , decimo die
„ menſis Novembris , Indictione undecima . Ego Andreas
„ Presbiter & Primicerius , de hordine Decomanorum Sancte
„ Mediolanenſis Eccleſie Officiale Baſilice Sancte Dei Genitricis
„ Virginis Marie , que dicitur iemalis , qui profeſſo ſum ex
„ nacione mea Lege vivere Langobardorum (preſens) preſen-
„ tibus dixi . Vita & mors in manu Dei eſt , melius eſt
„ enim homini metu mortis vivere , quàm ſpe vivendi morte
„ ſubitanea preveniri . Et ideo ego qui ſupra Andreas Preſ-
„ biter volo & judico , ſeu per anc paginam ordinacionis &
„ judicato meo confirmo , ut petia una de terra , eſt ex parte
„ buſca-

Digitized by Google

„ buſcalia ſuperabente juris mei, quam abere viſo ſum, ſitam
„ non multum longe ab ac Civitate Mediolani, ad locum
„ ubi Bativaca dicitur, & nominata de Arpano de Prande-
„ lando. Coeret ab ipſa pecia de terra in circuitu da mane
„ rebus de filii quondam Remedii Monerio, da meridie re-
„ bus Domini Regis, da ſera meo, quod mihi reſervo,
„ da mons ſimiliter de heredes quondam Remedii. Et eſt
„ pecia ipſa de terra, ex parte buſcalia deſuper, infra ipſas
„ coerentias illud tantum, quantum ego per iſta mea ordi-
„ nacione ordinare videor, per menſura jugias decem. Que
„ autem petia de terra & ex parte buſcalia deſuper, & ſu-
„ periore & inferiore & acceſſione ſua, ſic ſuperius menſu-
„ ra legitur, in integrum a preſenti die in antea deveniat
„ in poteſtate de preſbiteris illis, qui tunc tempore in Ba-
„ ſilica Sancti Laurentii, conſtructa foris ab ac Civitate,
„ non longe ad Portam quod clamatur Ticinenſe, Officiales
„ fuerint . . . . & faciant temporibus illis que tunc
„ & in perpetuum . . . . Baſilica Sancti Laurentii Of-
„ ficiales fuerint de jam dicta pecia de terra & ex parte
„ buſcalia, ad eorum uſu & ſumptu liberas vendictiones de
„ fruges & cenſus, quibus exinde annue Dominus dederit
„ inter eis equaliter abendum, quod voluerint pro me &
„ parentorum meorum, ſeu Domni Landulfi Archiepiſcopi
„ Seniori meo animas mercedem. Ita tamen ut ipſis Pres-
„ biteris, qui tunc & in perpetuum in eadem Baſilica San-
„ cti Laurentii Officiales fuerint, mei qui ſupra Andrei
„ Preſbiteri, & parentorum meorum, ſeu ipſius Domni Lan-
„ dulfi quotidie Miſſas, Veſperas, & Matutinum, & reli-

„ quum Officium faciant, ut nobis proficiat ad ſalutem ani-
„ me, & gaudium ſempiternum; ad firma anime, & om-
„ nia ut ſupra, pro mea & parentorum meorum ſeu ipſius
„ Domni Landulfi animas remedium. Quia ſic decrevit mea
„ bona voluntas. Et ſi mihi qui ſupra Andrei Presbiter
„ propter onera Sacerdocii mei mihi . . . . . lege Romana,
„ & nec me liceat ullo tempore nolle quod volui, ſed quod
„ a me hic ſemel factum eſt, ſemper placeat, & ſub
„ jusjurandum inviolabiliter conſervare quod intendo, cum
„ ſtipulacione ſubnixa. Actum ſuperſcripta Civitate Medio-
„ lanium.

„ ✠ Andreas Presbiter & Primicerius a me facto ſub-
„ ſcripſi.

„ ✠ Johannes Judex Sacri Palatii rogatus ſubſcripſi.

„ ✠ Agapetus Notarius Domni Imperatoris rogatus ſub-
„ ſcripſi.

„ ✠ Adam Notarius Domni Imperatoris rogatus ſub-
„ ſcripſi.

„ ✠ Angelramus Notarius & Judex Domni Imperatoris
„ ſcripſi, & poſt tradito complevi & dedi.

Obiit Landulphus XVIII. Calendas Octobris, memorati Anni CMXCVIII., ſepultus prope januam Eccleſiæ Sancti Celſi, quam ære ſuo refecerat, condito ad ejuſdem latus Monachorum Cœnobio, ut ſuperiùs retulimus.

AR-

Digitized by Google

ARNULPHUS II.

EXempto ab humanis Landulpho, Archiepiſcopalem Dignitatem ſuſcepit Arnulphus II., Annò CMXCVIII.. Diſcrepant in hac aſſignanda Epocha Scriptores noſtri; ſed prodigere tempus non vacat in eorum opinionibus refellendis, cùm nobis certum ſit ex authenticis Chartis, quas jam adduximus, & mortuum Landulphum hoc anno, & inſtitutum Succeſſorem Arnulphum fuiſſe.

Præclarum munus geſſit Archipræſul hic noſter, Ottone III. jubente; Legationem namque Conſtantinopolim decorè obivit ad Græcum Imperatorem Conſtantinum, ut Filiam ejuſdem, ultra omnes Virgines ſplendidiſſimam, in Conjugem Ottonis impetraret: Cùm enim mortuâ primâ Uxore nullus ex ipſa genitus maſculus Filius in lucem prodiiſſet, prolem Imperii hæredem a ſecunda Conjuge peroptabat. Expreſsè id adnotavit Landulphus Senior, Hiſtoricus Mediolanenſis, qui eodem Seculo florebat. Sigonius *de Regno Italiæ* ad Annum CMXCVI., etiam nomen prodidit Auguſtæ primæ Fœminæ, nempe *Mariam*; quamvis hiſtoriolam, quam ibidem ſubjungit de Comite Mutinenſi ab ipſa tentato ad illicita, & apud Maritum falsò accuſato, ac pœnâ capitis innoxiè damnato, ad fabulas rejiciendam eſſe cenſent eruditiſſimi Viri Pagius & Struvius, a nobis in Adnotationibus adducti, quibus noviſſimè adhæſit etiam Clariſs. Muratorius *in Antiquitat.*

Ital.

Digitized by Google

Ital. Med. Ævi Tom. I. colum. CCCLVII.

Profectus eſt ad Regiam Urbem Arnulphus opulento apparatu, illum ſtipantibus Optimatibus pluribus, ingreſſuſque Conſtantinopolim, eximiam ſuî, & Imperatoris exiſtimationem Civibus illis ingeſſit, atque a Conſtantino facilè impetravit quod poſcebat, nempe Filiam, Ottoni Auguſto in matrimonium ſociandam. Imo, ùt ſcribit Arnulphus Hiſtoricus Libr. I. Cap. XIII., adeò gratiam Græci Imperatoris acquiſivit, ut nihil quod peteret, ipſi denegaret. Hac occaſione donatus dicitur inter alia pretioſa munera *Æneo Serpente*, quem Græci autumabant, illum eumdem eſſe, a Moyſe in Deſerto exaltatum. Sed de hoc paulò infra differemus.

Statuto Auguſto Conjugio iter Mediolanum versùs aggreſſus eſt Arnulphus eo comitatu ac pompâ, quam deſcribit Landulphus. Verùm allato triſti nuncio mortis Ottonis, verſâque in luctum lætitiâ, dimiſſa Conſtantino Patri eſt Puella, ſoluſque in Italiam reverſus eſt Archiepiſcopus, ſecum deferens (ùt ajunt) Æneum Serpentem, quem deinde in Ambroſiana Baſilica depoſuit, adhuc oculis noſtris conſpicuum. Mirum eſt, quantum hæc opinio mentes recentium Scriptorum pervaſerit, exiſtimantium Ambroſianum Serpentem verè illum eſſe, quem Moyſes ad compeſcendos ſanandoſque ferales morſus ab infeſtis in Deſerto Serpentibus Iſraëlitico populo inflictos erexit. Plurium nomina id conſtanter affirmantium in contextis ab iiſdem Patriæ Hiſtoriis, & Catalogis Mediolanenſium Antiſtitum recenſet Puricellus *in Monument. Baſil. Ambroſian.* num. CXCVII. & ſeqq. Neque ipſemet omnino ab illis diſcordem ſe oſtendit, aſſerens num. CXCVIII.,

CXCVIII., Serpentem in hac Metropoli ab Arnulpho inductum aut eumdem eſſe quem Moyſes exaltavit, confractum quidem ab Ezechia, ſed poſtea collectis ex ordine coagmentatis fragmentis reintegratum, aut ex ipſius ære liquefacto conflatum. Hæc omnia nos in memoratis ad Sigonium Adnotationibus ad fabulas amandavimus; nobiſque conſentit Joannes Mabillonius *in* ſuo *Itinere Italico*, qui cachinnis excipi ait Opuſculum, a Petro Paulo Boſca vulgatum, in quo opinionem de Moſayco Serpente, tamquam inconcuſſo fundamento firmatam, totis lacertis propugnat. Rem hanc novis curis pertractavit Clariſſimus Muratorius Tom. V. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, Diſſertat. LIX. colum. LXXIII. & ſeqq., ubi rejectis variis Auctorum de Serpente Ambroſianæ Baſilicæ opinionibus, ſententiam ſuam profert, inquiens, „ non „ alio conſilio ab antiquis æneum illum Serpentem colloca„ tum in Ambroſiano Templo fuiſſe, quàm ut exprimeretur „ quod Divinus Redemptor noſter *Joann. Cap. III. v.* 14. „ dixit : *Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in Deſerto, ita* „ *exaltari oportet Filium hominis* „. Et poſt nonnulla alia ſubjungit : „ Geminas ergo Columnas in Ambroſiana Baſilica „ Veteres conſtituerunt; ſuper unam prototypi & veritatis „ effigiem locantes, hoc eſt Chriſti in Cruce exaltati ima„ ginem; ſuper alteram typum, ſeu Symbolum Crucifixi „ ipſius, ideſt Serpentem a Moyſe in Deſerto exaltatum „. Hanc eſſe veram Serpentis Ambroſiani originem nos quoque opinamur.

Proſequitur Puricellus referre ex MS.to Codice Galvanei Flammæ, nuncupato *Flos Florum*, præter æneum Serpentem, alla-

allatam fuiſſe ab Arnulpho Archiepiſcopo etiam magnam partem Dominicæ Crucis, eamque inſertam alteri ligneæ Cruci, ſuper lateritiam Paraſtadem in Ambroſiana Baſilica, ex adverſo columnæ æneum Serpentem ſuſtentantis collocaſſe. De hoc prorſus ſilent Hiſtoriæ Arnulphi, ac Landulphi. Porro extra omnem dubitationem poſitum eſt, extitiſſe Anno MDLXVI. in Sancti Ambroſii Templo duo eminentia fulcra, ſibi invicem reſpondentia, Columnam nempe, & Paraſtadem. Siquidem in Actis Viſitationis, a Sancto Carolo Borromeo eo anno peractæ hæc leguntur: „ Altare Crucis rubeæ nuncu-
„ patum, ſecus Pilaſtrum in medio Eccleſiæ conſtructum
„ fuit dotatum a quondam Domno Stephano de Roſate.
„ Poſſidetur per præfatos Venerabiles Monachos. Hoc Altare,
„ ſicut ſupra, in medio Eccleſiæ conſtructum, & ornatum
„ Eccleſiæ quodammodo impediens, videtur tollendum, &
„ ad aliud Altare transferendum. Econtra hoc Altare adeſt
„ quidam Serpens æneus, in ſummitate cujuſdam columnæ
„ marmoreæ impoſitus, qui vulgò habetur pro illomet, quem
„ Moyſes in Deſerto, ex præcepto Dei, pro epidemia ſanan-
„ da fabricare fecit. Eſt quædam ſuperſtitio ibi mulierum,
„ pro Infantibus morbo vermium laborantibus „. Quæ hìc Sanctiſſimus Præſul tantùm admonendo innuere videtur, veluti præcepta in praxim deducta fuere, ſublato Altari & Cruce, atque abolitâ mulierum ſuperſtitione. Verùm de hoc Serpente jam ſatis; reliqua enim apud Puricellum legi poſſunt.

Quo tempore Arnulphus, optimè quidem functus munere ſibi injuncto, ſed infelici exitu ob inopinatum obitum Ottonis III., reditum in Italiam meditabatur, Arduinus Marchio

chio Eporedienſis, nonnullos Proceres atque Optimates alliciens ſpecioſo lenocinio reſtituendæ huic Provinciæ regiæ Dignitatis, quæ imperantibus Ottonibus ad Germaniam illuſtrandam tranſlata fuerat, in Comitiis Papiæ habitis purpuram & Sceptrum aſſumpſerat, Italiæ Rex acclamatus. Hoc intellecto plurimùm indoluit Arnulphus, ob violatum jus & auctoritatem Archiepiſcopi Mediolanenſis, ad quem potiſſimùm ſpectabat Electio & inauguratio hujuſmodi Regum. Quamobrem obviam ſibi procedentem Arduinum ſeverâ objurgatione longè à ſe repulit; collectoque ſtatim Concilio Epiſcoporum atque Abbatum in Roncaliis (non in Urbe Laudis Pompejæ, ut perperam Galeſinius ſcripſit) Legationem expedivit ad Henricum, Germaniæ Regem jam inſtitutum, Italicam eidem Coronam offerens, ſimulque rogans, ut contra Arduinum arma moveret. Votis Arnulphi placidè libenterque annuit Henricus, compoſitiſque in Germania rebus, Italiam cum exercitu petiit; Et quamvis validis Langobardorum copiis obſiſteret ad Cluſas Arduinus, in Ticinenſem nihilominus Urbem penetravit Anno MIV.; ibique plaudente univerſo populo ac Proceribus, diadema Italicum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi recepit. Hanc Coronationem minimè agnovit Sigonius; ſed eam retulit Dithmarus, &, ex eodem Baronius *Annalibus* ſuis inſeruit. Verum quidem eſt, exiguo tantùm tempore moratum Papiæ fuiſſe Henricum; excitatâ namque nocturnâ ſeditione ab ipſis Langobardis, qui novo Regi ſuo Arduino obſequium & fidelitatem juraverant, Henricus incenſis in vindictam eorum domibus, reverſus eſt in Germaniam. Non deſtitit tamen Arnulphus a præſtanda Regi Hen-

rico fide & auxilio, militaribus copiis Arduinum inſequens, donec iterum deſcendens in Italiam Anno MXIII. Rex memoratus, Æmulum ita contrivit, ut ſpe omni fruſtratus purpuram exueret, monaſticam veſtem induens in Fructuariæ Monaſterio, ubi etiam Anno MXV. vitam depoſuit.

Diximus ab initio, Legatum miſſum ab Ottone Conſtantinopolim fuiſſe Archiepiſcopum hunc noſtrum, Arnulphum: Neque enim concors eſt in hac re Scriptorum etiam inſignium ſententia. Sigonius in primis apparatum deſcribit hujuſmodi Legationis, eamque abſque omni hæſitatione attribuit Arnulpho I. Archipræſuli Mediolanenſi, ut Teophaniam Nicephori Imperatoris Filiam in Ottonis II. uxorem depoſceret; tantique valuit apud Venetos Ughelli editores Sigonii auctoritas, ut adjectâ ad Arnulphi II. Vitam adnotatione, Lectores monuerint, malè attributam eſſe huic Præſuli Legationem iſtam, quæ primo Arnulpho debebatur; cùm tamen in noſtris Adnotationibus ad Sigonium compertum fecerimus, malè a Sigonio adſcriptam fuiſſe Arnulpho primo. Erravit quidem Ughellus aſſerendo, Puellam matrimonio copulandam Ottoni III. nomen geſſiſſe Theophaniæ; quam enim peroptabat in Uxorem, Conſtantini Imperatoris Filia erat; hic autem tres genuerat Fœminas Eudociam, Zoëm, & Theodoram, nullam verò quæ Theophaniæ nomine appellaretur, quemadmodum adnotat Pagius ad Annum CMXCVII.; qui tamen & ipſe mendo non caret, cùm utrumque Arnulphum ſua Legatione decoratum fuiſſe ſcribat; primum Ottonis Magni juſſu, pro petenda Filio ſuo in Conjugem Theophania Anno CMLXXI.; ſecundum verò mandante Ottone III. Conſtan-

Digitized by Google

ſtantinopolim adiiſſe, ut alteram ab ipſo deſignatam ex tribus Conſtantini Puellis thalamo ſuo ſociandam expoſceret: Siquidem Ottonis II. uxor Theophania non ab Arnulpho noſtro, ſed a Liutprando Cremonenſi Epiſcopo in Regiam Urbem miſſo, conſentiente Imperatore Joanne Zimiſce, obtenta fuit, ut notum eſt ex deſcriptione, quam de ſua Legatione Liutprandus ipſe vulgavit.

Ut autem proſequamur res præclarè geſtas ab Arnulpho Archiepiſcopo, præter vindicatam contra Arduinum Italici eligendi Regis auctoritatem, jus quoque ſuum Metropoliticum, memorando apud Poſteros exemplo, inviolatum ſervavit. Alericus ſeu Oldericus, Mainfredi Marchionis Frater, Henrici Imperatoris indulgentiâ, Epiſcopalem Aſtenſis Eccleſiæ Sedem obtinuerat, Prædeceſſore ſuo adhuc Mediolani latente ob metum Imperatoris; cùmque a Metropolitano Archipræſule Arnulpho impetrare Conſecrationem non valeret, quia, contra vigentem illâ ætate Eccleſiaſticam diſciplinam, abſque ejuſdem conſenſu ad eam Cathedram promotus fuerat, Romam profectus, a Joanne XVIII. Summo Pontifice ſubreptitiis precibus Sacrum Chriſma recepit. Admonitus de hac re Arnulphus, juſto percitus dolore, non tam in Conventu Provincialium Epiſcoporum Eccleſiaſtico illum anathemate percuſſit, ſed etiam militaribus copiis Aſtenſem Urbem arctâ obſidione circumdedit; perſtititque in ea, donec coacti fuerint Alericus & Mainfredus Fratres pacem petere, aſperâ conditione acceptâ, quam etiam implevere. Siquidem Mediolanum adventantes, tertio ab Urbe lapide denudatis pedibus, Alericus Evangeliorum Codicem manu ferens, Ma-

Digitized by Google

infredus verò Canem humeris bajulans (hæc enim veteri conſuetudine pœna erat Nobilium, reorum perduellionis, ut adnotat Otto Friſingenſis Lib. II. Cap. XXIX.) reliquum iter confecerunt; ingreſſique Urbem ante fores Ambroſianæ Baſilicæ conſiſtentes, commiſſam culpam confeſſi ſunt. Alericus Templum adiens, Baculum & Annulum ſuper Aram Sancti Ambroſii repoſuit, quæ benignè poſtmodum Arnulphus eidem reſtituit; Mainfredus verò plura obtulit auri talenta, e quibus aurea Crux confecta fuit, quæ adhuc ſuperſtes, in Solemnioribus Supplicationibus ante illius Baſilicæ Clerum deſertur. Demum ſimili demiſsâ incedendi formâ ad Templum Maximum per Urbis compita procedentes, veniam & libertatem ab Archiepiſcopo humaniſſimè receperunt.

Relatam hactenus Hiſtoriam Ughellus in Aſtenſibus Epiſcopis evertere velle videtur, ſuſpectæ fidei damnans Arnulphum Scriptorem Mediolanenſem, qui eam literis conſignavit. Admirati nos ſumus, huic Contribuli noſtro inuſtam fuiſſe probroſam hujuſmodi notam, cùm Arnulphus idem profiteatur in prooemio ad Hiſtoriam ſuam præfixo ſe tantùm referre *quæ ipſe vidit, & quemadmodum a videntibus audivit*; multòque magis obſtupuimus, cùm allatas a laudatiſſimo eo Auctore conjecturas expenderimus. Duas enim ille protulit, ut fidem Arnulphi elevaret, aut eam ſaltem dubiam redderet, videlicet unum eſſe illum, in cujus Scriptis iſta legantur; ſecundò veriſimile minimè eſſe, Henricum Arduino adverſantem, eumque inimico ferro inſequentem, eò adduci potuiſſe, ut Alericum Fratrem germanum Arduini (paulò ante Ughellus illum vocaverat Nepotem, ſed falsò; revera enim

Fra-

Digitized by Google

Frater erat germanus, ideſt Conſobrinus, ùt patet ex Serie Genealogica, a Clariſs. Muratorio digeſta & vulgata inter *Antiquit. Eſtenſes*) nobili adeò Epiſcopatu donaſſe. Veniam petimus a benemerito hoc Viro, ſi haſce animadverſiones, futiles ac ſtramineas liberiore voce appellamus. Quid enim obſtat integritati & fidei Scriptoris noſtri, quòd ex unico fonte hauſta ſit hiſtoria, proximè a nobis deſcripta? Nemo alius ex vetuſtis Scriptoribus, qui exteri omnes fuere, hanc provinciam ſuſceperat enarrandi potiſſimùm quæ in hac Metropoli tunc temporis digna adnotatione contigerant. Quòd verò minimè credibile ſit, ad conſpicuam Aſtenſem Sedem ab Henrico promotum fuiſſe Alericum, tam arcto ſanguinis vinculo eidem Arduino conjunctum, facilè exſufflare valemus, ſi coævorum teſtimonia conſulamus; ab iis namque edocemur, non omnes Italiæ Proceres, etiam cognatione propinquos Arduino, perſtitiſſe in ejuſdem fideli clientela, ſed plures defeciſſe ad Henricum ſeu per Literas, ſeu per Internuncios. Id concordes adnotavere Dithmarus, Adelboldus, Chronographus Saxo, & ipſe etiam Arnulphus, qui Lib. I. Cap. XVIII. narrat, multos ex Optimatibus Italis, timore Henrici, Papiæ in Regem Italiæ inſtituti, aut fugiſſe, aut deditionem paraſſe. Inter hos autem admodum veritati conſentaneum videtur, connumeratos fuiſſe Alericum atque Mainfredum Fratres; cùm iſte poſtremus minimè legatur comprehenſus inter quatuor Marchiones Italiæ, quos *captione unâ ab Henrico conſtrictos* fuiſſe, ob fidelitatem præſtitam Arduino, teſtatur Arnulphus Scriptor noſter; licèt memoratus Mainfredus Marchio plurimùm potentiâ divitiiſque in Italia floreret, quem-

admo-

admodum fusè refert Clariſs. Muratorius Part. I. *Antiquitat. Eſtenſ.*

Septennio poſt compoſitum hoc diſſidium, ideſt Anno MXV. Comites duo Vallis Mercuriolæ & Plebis Arzate, qui Mediolano vectigal pendebant, teſte Sigonio ad annum memoratum, excuſſo Legum fræno, Agrum Mediolanenſem incurſionibus & latrociniis fœdè vexabant. Occurrit iiſdem opportunè Arnulphus Antiſtes noſter, cui tunc pro munere Archiepiſcopalis Dignitatis incumbebat onus publicæ conſervandæ quietis, eoſque prœlio fractos in fugam conjecit; tantâ omnium laude, ut Henricus Imperator univerſa quæ juris fuerant Hugonis & Berengarii, unà cum Titulo Comitis, in Eccleſiæ Mediolanenſis Archipræſulem benignè tranſtulerit. Supererant redigendi in ordinem Cremonenſes Cives, qui contra pactam fidem perduellibus iis Comitibus hoſpitium auxiliumque præbuerant. Itaque aggreſſus Arnulphus eorumdem Urbem, adeò validâ obſidione illam vallavit, ut occupatis tribus Portis eos adegerit ad renovandam firmandamque jurejurando fidem Mediolano.

Non atriſit Ughello hæc in Arnulpho militarium expeditionum frequentia, adeòque claudens ejuſdem Vitam, illuſtrem memoriam tanti Epiſcopi in ævum duraturam, ſubſcriptâ hac Epigraphe non parùm obnubilavit: *Arnulphus bellicoſos ſpiritus geſſit magis, quàm pro Epiſcopo*. Verùm quid umquam alienum ab Eccleſiaſtica Dignitate, in qua eminebat, ab Arnulpho geſtum eſt, cùm milites in aciem eduxit ad compeſcendos tumultus illos, qui Rempublicam perturbabant? Conditio temporum tunc ferebat, ut Epiſcopi, ceu primaria

ria Civitatum Capita, non tam Lituo paſtorali oves ſuas regerent, ſed etiam militari virga devios reducerent, ac contumaces contererent. Archiepiſcopus autem Mediolanenſis præter auctoritatem, quam exercebat in populum hujus Metropolis, primus etiam habebatur in Comitiis Principum & Optimatum Italorum, cùm de publicis negotiis, ſeu de novo inſtituendo vel exauthorando Italiæ Rege conſilia agitarentur. Quamobrem eidem Præſuli opus erat, militaria quoque vexilla explicare, ut ſarta tecta ſervarentur jura tum Eccleſiaſtica, tum Civilia, & publica tranquillitas ubique floreret: Præſertim cùm gravibus hiſce ſumptibus ferendis vires ſuppeterent, quoniam opulentis cenſibus ac patrimoniis Eccleſiam Mediolanenſem aliaſque Italiæ, Regum & Cæſarum largitas abundè locupletaverat, prout tot Diplomata ab Ughello relata apertè teſtantur. Nihil tamen apparatus iſti bellorum, Paſtoralibus muneribus officiebant; utrique namque huic officio præ ceteris ſatisfecit Arnulphus, quemadmodum plura, quæ adhuc extant in Hiſtoriis, docent teſtimonia eximiæ pietatis, diligentiæ, largitatis ergo pauperes & pia Loca, aliarumque Epiſcopalium virtutum, quæ in Arnulpho eluxere, atque ejus diuturnam in Sede Mediolanenſi moram mirificè exornant.

Landulphus Senior, editus, ùt jam monuimus, Tom. IV. *Rerum Italicar.*, factum narrat perenni memoria dignum. Illud referre placet verbis ipſis hujus Scriptoris, ut ſecutior fides narrationi accedat. Dum Conſtantinopoli degebat Arnulphus, pro Ottone III. Legatione fungens, ut ex Aula illa in Italiam deduceret Imperatoris Filiam illi deſponſam, „ Im-

„ pera-

„ perator Arnulphum, ut ſecum venatum, quaſi ad depel-
„ lendas corporum gravitudines iret, precatus eſt. Arnulphus
„ autem voce benigna, primò paululum tacitus inter ſe cogi-
„ tans Ordinem Epiſcopalem, in quibus ſe exercere debet,
„ tamdem dixit: Ego enim a vobis ſi placet qua hora meas
„ venationes inſequi ſolitus ſum, meis armis meiſque mili-
„ tibus craſtino die mediante ad Vos veniens præparatus ero.
„ At Imperator de quibus armis quibuſque militibus Arnul-
„ phus dixiſſet, minimè per Interpretem ipſo balbutiente
„ intellexit. Veniens autem Arnulphus die ſtatuta, Epiſcopa-
„ libus indumentis ornatus, cum Stola (ſine qua numquam
„ foris aut in Civitate, ullis negotiis intervenientibus aut
„ perturbantibus eſſe ſolitus fuit) & Chriſma, honorabiliſ-
„ ſimiſque Clericorum Ordinibus vallatus, quos ſecum tulerat;
„ & tribus cum Ducibus honorandus pervenit ad Imperato-
„ rem. Quo viſo Imperator permultum inter ſe admirans,
„ videns tantum Virum in Dei opere religioſum, ſapientem,
„ diſcretum, atque benignum, aliquantulum quod de vena-
„ tione dixerat, verecundatus, per omnia laudans atque ma-
„ gnificans, ac græcè ſermocinando ipſum extollens ſubſtitit.
„ Quod factum Græci Epiſcopi, Archiepiſcopi, Sacerdotes
„ quamplurimi, qui eo in tempore Curiæ inſiſtebant, mi-
„ rantes, erga Latinos tantam religionem minimè fore cre-
„ dentes, permultum Beatum Ambroſium benedicentes dice-
„ bant: Decens & competens ratio fuit, ut ſicut nos Bea-
„ tus Ambroſius uſque hodie Divinis alit alimentis, ſcientiſ-
„ ſimiſque admonitionibus, uti ſuos Filios lactè & melle
„ verbi Dei informat; ſic Domnus Arnulphus, tanti Viri
„ tan-

„ tantique Patroni Succeſſor „ ſuis nos exemplis modò cola- „ phizando informaret „ . Hæc Landulphus memoratus. Arnulphus quoque Hiſtoricus Mediolanenſis, in calce Libri primi, obitum Arnulphi Archiepiſcopi referens, de Paſtoralibus ejuſdem virtutibus iſta per compendium narrat: *Arnulphus ſacerdotaliter ſuam regebat Eccleſiam, Clerum fovens ac populum, ſuiſque planè vacans negotiis. Hujus beatitudinem plura Eccleſiis tradita commendant beneficia*. Quid clarius ac nobilius dici poteſt, ut probetur, impletum optimè fuiſſe ab Arnulpho Epiſcopi munus?

Excuſationem fortaſſe prætendere potuiſſet Ughellus, quòd nempe Hiſtoriæ memoratæ, cùm ipſe res geſtas a Præſulibus Mediolanenſibus colligeret ac vulgaret, adhuc manuſcriptæ in privatis ſcriniis laterent. Attamen legere poterat in *Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ*, a Puricello editis, ex quibus ipſe multa decerpſit, legere, inquam, poterat, quæ Scriptor ille refert num. CXCVII. loquens de Arnulpho II., videlicet eumdem celebrari in aliquibus Catalogis & Hiſtoriis inſigni hoc Elogio: *Vir magnæ Sanctitatis*. Obvia etiam erat Tabula Mediolanenſium Archipræſulum a Galeſinio adornata, in qua Arnulphus appellatur *Vir pietatis nomine illuſtris*. Et revera non tam ea, quæ hactenus retulimus, ſed etiam religioſa veſtigia adhuc ſub oculis noſtris poſita, fidem faciunt ſingularis venerationis, qua ille Deum & Sanctos colebat, inſigne videlicet Cœnobium Monachorum Sancti Victoris Martyris, quibus ille amplas Ædes aperuit, atque ad eorum alimenta non mediocrem copiam frugum aſſignavit, teſte Arnulpho proximè allato.

S Huic

Huic noſtro Archiepiſcopo tribuitur a Galeſinio & Sigonio laus impoſitæ capiti Ottonis III. Italici Regni Coronæ. Perperam tamen; fundamentum enim ſubſtructum a Sigonio Celebritati huic ab Arnulpho peractæ, ubi de eadem agit ad Annum CMXCV., multùm labare oſtendimus in Adnotationibus ibidem appoſitis. Præterea verò prorſus concidit, ſi animadvertamus, nondum Arnulphum eo anno fuiſſe Infulâ Eccleſiæ Mediolanenſis decoratum, cùm nonniſi triennio poſt, communibus Cleri ſuffragiis, ad eam recipiendam promotus fuerit, quemadmodum veterum Documentorum fide jam comprobavimus.

Aucta quidem eſt, Arnulpho Ambroſianæ Eccleſiæ clavum tenente, Civitas Mediolanenſis novo ad pietatem incitamento, Baſilicâ nempe, quæ a Fulcuyno Conditore, noſtro etiam ævo *Fulcorina* nomen gerit, Canonicorum Collegio decorata, & in venerationem Nativitatis Beatiſſimæ Mariæ Virginis Deiparæ extructa. Neque modicum hoc decus eſt Metropolis noſtræ, quòd a tot retro Seculis feliciſſimæ huic Natali cultum præſtiterit eâ Solemnitate, quam Fulcuynus ipſe in ultimis ſuis Tabulis (relatis a Clariſſ. Muratorio Differtat. LXI. Tom. V. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. CLXXI.) præſcripſit, ſtatuens ut in Vigiliis Nativitatis Beatæ Virginis, ideſt ſeptimo Septembris die, Metropolitanus Clerus illuc accederet ad canendum Veſperas, Miſſamque ſequenti mane celebrandam, omneſque a Cardinali Presbytero invitati, juxta temporis illius vigentem apud nos antiquam conſuetudinem, prandio exciperentur; cuicumque verò ex Sacris Miniſtris, qui Celebritati illi intereſſent, denariorum frugumque

que portio ab eodem Teſtatore aſſignata diſtribueretur. Utrum autem etiam ante hoc tempus inducta in Urbem Mediolanenſem fuiſſet feſtiva Nativitatis Beatæ Virginis memoria, definire non audemus. Sanè Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. XLV. num. I. nonnulla Calendaria impreſſa profert, in quibus iſta leguntur: *Hæ ſunt Vigiliæ a Divo Ambroſio obſervatæ & commendatæ: Vigilia Sancti Martini Epiſcopi, Epiphaniæ, Purificationis, Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ* &c. Verùm tam alti exordii, præſertim circa Vigilias memoratæ Feſtivitatis, nullum ſolidum fundamentum habemus. Imo repugnare videtur teſtimonium Sancti Auguſtini, qui *in Sermone de Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ* ait: *Hinc attendat Caritas veſtra, quàm magni hominis nativitas facta ſit. Natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia. Solos duos Natales celebrat, hujus, & Chriſti*. Fuſiùs de hac re diſſeruimus *in Diſſertatione pro Sanctis Corporibus Protaſii & Gervaſii Martyrum Mediolano vindicandis* Cap. I. num. XV. De antiquitate & progreſſu in univerſa Eccleſia feſtivæ venerationis erga Nativitatem Beatæ Virginis Mariæ egregiè & eruditè pro more ſuo ſcripſit Cardinalis Proſper Lambertinus, nunc Benedictus XIV. in Libro inſcripto: *Annotazioni ſopra le Feſte di Noſtro Signore, e della Beatiſſima Vergine*, Tom. I. Part. II. num. CXXVII editionis Bononienſis. Conſultò iſta digeſſimus, ne Lector aliquis nobis objiciat teſtimonium Galvanei Flammæ, *in Opuſculo* impreſſo Tom. XII. *Scriptor. Ital*, colum. MXVII.; loquens enim ille de Azone Vicecomite, cui coævus erat, imo in ejus

Aulæ degens, hæc ſcripſit: *Iſtò anno fecit incipi Azo Vicecomes, Dominus Civitatis, ad honorem Virginis almæ Feſtum Nativitatis ejus de menſe Septembris, & miſit Edictum, ut omnes Civitates & Burgi, vel Terræ nobiles, ſeu Caſtra inſignia portarent pannos de ſerico cum Vexillis Communitatum ſuarum, & in Civitate Mediolani in Eccleſia offerrent*: Nemo enim non videt, accipienda hæc eſſe non pro Feſto Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ die, ſed pro nova Celebritate, quam Azo inſtituit, advocando in Urbem noſtram ſubditos ſuos cum propriis Vexillis, ut Feſtivitas iſta nobiliùs ageretur. Confectæ ſunt poſtremæ Tabulæ Fulcuyni, a nobis ſuperiùs indicatæ, *Anno Henrici Regis quarto, octavo die menſis Octobris, Indictione ingrediente ſexta*, hoc eſt Anno MVII., qui clarè nobis innoteſcit ex chronicis notis, acceptis a Coronatione Henrici I., peractâ Papiæ Anno MIV.

Cùm tempus Sedis apud omnes conſtet, fuiſſe annorum XIX., menſium IX., dierum VI, dubium eſt inter Scriptores, quo verè anno Arnulphus e vita migraverit: Siquidem unuſquiſque ſibi præfixit eum annum, in quo expiraret prædictum regiminis ſpatium, juxta ſtatutum ab ipſis Sedis initium. Nos qui antea publicis Documentis firmavimus præcedentium Archiepiſcoporum chronologicam Seriem, conſtanter aſſerimus, non poſſe affigi Arnulphi obitum, niſi Anno MXVIII. Junio menſe in finem vergente (non die XXIX. Martii, ùt tradit Ughellus), ita teſtantibus antiquis Catalogis: Hanc Epocham a nobis propoſitam validè confimat Heriberti Succeſſoris Diploma, relatum ab eodem Ughello, *datum Anno Incarnationis Dominicæ MXL.*, in quo ſignantur

tur *anni XXII.* Archiepiſcopatûs ejuſdem. Si autem retro calculus deducatur, clarè intelligimus, Anno MXVIII. verè Arnulphum animam Deo reddidiſſe, & Succeſſori Heriberto locum aperuiſſe.

Sepultus eſt in Eccleſia Sancti Victoris Martyris, adnexa Cœnobio Monachorum, ab ipſo conſtructo.

HE-

HERIBERTUS.

HEribertus, ſeu Aribertus (quemadmodum ipſemet in expeditis relatiſque ab Ughello Diplomatis nomen ſuum promiſcuè ſubſcribit) a nobilibus Parentibus ſanguinem derivavit, appellatus *de Antimiano*, Loco prope Canturium in Mediolanenſi Diœceſi. Ut annum ſtatuant, quo delectus eſt ad regendam poſt Arnulphum hujus Metropolis Eccleſiam, in diverſa feruntur Scriptores. Optimè collimavit in ſcopum Papebrochius, Annum MXVIII. aſſignans electioni Heriberti; atque ita in viam redit, a qua hactenus, ut vidimus, aberraverat. Eamdem Epocham nos quoque figimus, freti Chartæ ſuperiùs memoratæ Donationis ſcriptæ in favorem Cœnobii Tollenſis Anno MXL., & ab Ughello relatæ, in cujus calce numerat Heribertus vigeſimum ſecundum annum initi a ſe Archiepiſcopatûs.

Veneti Auctores novæ Editionis Ughelli, poſt allata Papebrochii verba, eum emendandum aſſerunt, & initium Epiſcopatûs Heriberti triennio ſaltem antevertendum affirmant, eo argumento ducti, quòd in ejuſdem Ughelli Tom. II. Romanæ editionis, pag. CMXCVI., Archiepiſcopus iſte legatur ſubſcriptus Concilio Romano, habito in Baſilica Lateranenſi a Benedicto VIII. Summo Pontifice Anno MXV. Ut diluamus difficultatem hujuſmodi, quæ decretoria videtur, non multùm nobis inſudandum eſſe arbitramur. Siquidem

fieri

Digitized by Google

fieri potuit, ut in archetypo prædicti Concilii initialem tantùm nominis ſui literam *A* expreſſerit Arnulphus, adeòque dubium relictum ſit, cui ex proximis hiſce duobus Archiepiſcopis adaptanda foret ea litera, cùm uterque ab eadem nomen ſuum inchoaret. Neque hoc gratuitò in medium adducimus ad opinionem noſtram firmandam; in altero enim Concilio, Papiæ celebrato a prædicto Pontifice Maximo Benedicto VIII., initiali ſolummodo litera *A* ſubſcriptum legimus in Labbeo Tom. IX. *Conciliorum*, Archiepiſcopum Mediolanenſem: Quapropter ad eluendam omnem ambiguitatis fuliginem opus eſſe cenſuere Editores hujus Operis, adnotare in margine *Arnulphus*, *vel Aribertus*. Cùm autem Charta Ariberti indicata ſuperiùs, clarè enunciet, vigeſimum ſecundum annum Archiepiſcopatûs ejuſdem decurriſſe Anno MXL.; manifeſtum ſit, Anno tantùm MXVIII. fuiſſe illum ad hanc Sedem promotum; alioquin anni XXV. ſaltem numerandi fuiſſent, cùm tunc Charta prædicta condebatur. Itaque ut duo hæc Documenta illius ævi inter ſe pugnantia ad veritatem concilientur, dicendum eſt, erraſſe primum exſcriptorem Concilii Romani, qui conceptæ opinioni ſuæ nimiùm blandiens integrum nomen *Ariberti*, literæ initialis loco ſubſtituit. Cùm autem ſecuro fundamento innitamur, ſupervacaneum videtur, reliqua diſſentientium Auctorum meditamenta circa exordium Pontificatûs Heriberti ulteriùs diſcutere.

Varias modò arridentis, modò adverſæ ſortis viciſſitudines pati in ſuo regimine debuit hic Præſul. Primò enim ſub piiſſimo Imperatore Henrico placidè Mediolanenſi Eccleſiæ præſedit; ſi excipias brevem contentionem habitam cum Epi-

Digitized by Google

Epiſcopo Ticinenſi, de qua ſermo erit inferiùs. Eodem verò Henrico cœleſti Patriâ donato, agitari cœpere conſilia in Comitiis, ab Heriberto Archiepiſcopo indictis pro novo ſubſtituendo Italiæ Rege; cùmque in diverſa Principes & Optimates abirent, in Germaniam Annò MXXIV. *ſolus* ſe contulit, ibique (ut tradit Ughellus) Conradum *Cæſarem* ſalutavit, eidemque *Auguſtalia detulit ornamenta*. Fallitur tamen Clariſſimus Scriptor, cùm eo anno Conradus, Rex tantùm Germaniæ inunctus, nondum *Cæſaris* nomen ſumpſiſſet; neque ad Archiepiſcopum Mediolanenſem *Auguſtalia ornamenta deferre* umquam ſpectaverit. Quòd autem *ſolus* illuc perrexerit, Italiæ Regnum Conrado oblaturus; diverſa prorſus refert Wippo, a Struvio editus, qui præſens erat huic electioni in Urbe Conſtantiæ; ait enim: *Ibi Archiepiſcopus Mediolanenſis Heribertus cum ceteris Optimatibus Italicis Regi ocurrrebant, & effectus eſt ſuus, fidemque ſibi fecit per ſacramentum, & Obſidium pignus*. Quidquid tamen ſit de hiſce diſſonis narrationibus, accepta plurimùm Conrado fuit ſpontanea hæc Coronæ Italicæ oblatio; atque benevolum gratumque animum ſuum erga Archiepiſcopum noſtrum oſtenderet, præter plurima dona, Laudenſem Epiſcopatum eidem conceſſit, ut *ſicut conſecraverat, ita inveſtiret Epiſcopum*, Arnulpho teſtante Libr. II. Cap. II.: Idque contigit Anno MXXV., non præcedenti, ut cenſuit Ughellus.

Poſt reditum Heriberti in Italiam, Conradus quoque e Germania proficiſcens Mediolanum ingreſſus eſt, atque ab eodem Archipræſule ſolemni pompa exceptus, Italici Regni Coronâ, in Sancti Ambroſii Baſilica de more præcinctus

fuit

Digitized by Google

fuit Anno MXXVI. Sigonius poſt relatam Mediolanenſem Coronationem ſubjungit, voluiſſe Conradum Coronâ ferreâ redimiri in Oppido Modoëtienſi, juxta antiquum morem, ùt ipſe ait. Struvius tamen *in Sintagm. Hiſtor. German.* Tom. I. recitat Sigonii verba, ac ſtatim ſubdit: *Hujus facti memoriam reperire apud antiquos nondum licuit*. Eadem habet Flavius Blondus Decad. II. Libr. III., qui licêt fabuloſa narret de Conſtitutione, a Germanis Principibus editâ ob duplicem Coronationem, Mediolani ac Modoëtiæ ſuſcipiendam in itinere Romam versùs, ut ibi Cæſareo diademate præcingerentur, loquens de illa Conradi candidè profitetur, nullum de hac veſtigium reperiri, inquiens: *Conradus Italiam ingreſſus, Modoëtiam-ne adierit, non invenimus*. Idem ſilentium occurrit in Arnulpho Scriptore coævo Rerum noſtrarum. Quocirca Calchus *in Hiſtoria Patriæ*, unicam Coronationem, nempe Mediolanenſem, de Conrado agens enunciat.

Liceat nobis hoc loco referre, quod Wippo Scriptor Vitæ Conradi, &c. ejuſdem itinerum comes teſtatum reliquit his verbis: „ Eo tempore (nempe Anno MXXVI.) maxi„ mus calor Italiam vexabat, itaut animalia multa & homi„ num multitudo inde periclitaretur. Rex verò Chuonradus „ nemini cedens, niſi ſoli Deo, & caloribus æſtivis, ultra „ Atim fluvium (la *Toſa* in Lacum Verbanum influens) „ propter opaca loca & aëris temperiem in montana receſ„ ſit, ibique ab Archiepiſcopo Mediolanenſi per duos men„ ſes & ampliùs regalem victum ſumptuoſè habuit „. Hinc autem compertum fit, quantâ magnanimi cordis & opulentiæ amplitudine polleret Heribertus, cùm hoſpitales Ædes

aperuerit Germaniæ & Italiæ Regi, nobiliſſimo Aulicorum comitatu ſtipato, ac tamdiu ære proprio magnificè illum Aulamque totam aluerit.

Ineunte Anno MXXVII. progreſſus iterum in Italiam Conradus, ſimul cum Heriberto Archiepiſcopo Romam contendit, ubi exceptus a Joanne XIX. Summo Pontifice, eique oblatus, Auguſtale diadema ſimulque Cæſaris nomen eſt conſecutus. Dum hæc Celebritas ageretur (ùt narrat Arnulphus) diſſidium exortum eſt inter Archiepiſcopum Ravennatem, & Mediolanenſem: Ille enim proprio veluti jure dexteram Conradi ſacro Chriſmate inungendi, præſumpſit arripere: Contra verò Mediolanenſis, ne communes plauſus cum privatis jurgiis miſcerentur, abſtinuit a contentione, atque inde receſſit. Fieri tamen nequivit, quin adſtantium murmur & ſtrepitus audirentur; quos Rex Conradus percipiens, ſciſcitatus eſt, quam ob cauſam excitatus eſſet tumultus ille. Intellectâ autem Ravennatis inſolentiâ, hæc verba ſtans protulit: „ Certum eſt quidem, Reverendi Patres, „ quia ſicut privilegium eſt Apoſtolicæ Sedis Conſecratio Imperialis, ita Ambroſianæ Sedis privilegium eſt Electio & „ Conſecratio Regalis. Unde ratum videtur, ut manus quæ „ benedicit & priùs Coronam imponit Regni, ſi præſens affuerit, repræſentet Regem ad Imperium promovendum Sancto Petro ac ejus Vicario: quatenus Ambroſiano teſtimonio jure poſſit imperare, qui Ambroſiana Conſecratione dicit & cœpit regnare „. Annuit quoque Pontifex Maximus cum reliquis Epiſcopis ibi adſtantibus; datuſque eſt locus ille dignior Arderico Vercellenſi Epiſcopo, qui vices abſentis

ſentis Metropolitani ſui geſſit, *ut pater in filio, & Magiſter videretur in diſcipulo*, quemadmodum refert Arnulphus Cap. V., qui etiam ſubjungit, poſt aliquot dies convocatam fuiſſe a Joanne XIX. Synodum Epiſcoporum, qui tunc Romæ aderant, ibique ſtatutum, ut in omnibus negotiis Pontificalibus Ravennas nullo modo Antiſtiti Mediolanenſi ſe præſeferat; & ſi fortè præſumpſerit, Canonicæ legi ſubjaceat. Conſtitutio iſta in Labbeo deſideratur; ſed Arnulphus idem profitetur, ſe ex hujus Concilii authentico Codice pauca hæc decerpſiſſe.

Altera contentio emerſit, quæ Archiepiſcopum noſtrum plurimùm exagitavit. Superiùs memoravimus, collatum fuiſſe Heriberto, a Conrado electo in Regem Italiæ, jus in Laudenſem Epiſcopatum. Itaque ille, mortuo Nocherio illius Urbis Antiſtite, unum ex Cardinalibus Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ, nomine Ambroſium, illius Sedis Succeſſorem inſtituit. Verùm obſtitere Laudenſes, animoque in repulſam obfirmato, adigi numquam potuerunt, ut eumdem admitterent. Quamobrem indignatus Heribertus militares copias expedivit, eorumque Urbem arctâ obſidione circumdedit; ac tamdem obtinuit, ut fracti diuturnâ vexatione Cives Ambroſium intra mœnia receptum, ad Epiſcopale Solium deducerent: In quo poſtmodum tantâ virtutum omnium luce enituit, ut pertinaciæ ſuæ illos puderet, & uſque ad ſepulcrum eximiâ ſemper veneratione atque amore eumdem ſint proſecuti. Manſit nihilominus altè pectori infixum hoc telum, injuria nempe, qua ſe affectos arbitrabantur ob cinctam obſidione illorum Urbem, coactoſque Cives inviſo jugo colla

T 2 ſub-

ſubmittere. Quapropter captâ occaſione Valvaſſorum Mediolani, qui contra Heribertum caput erexerant, & vexilla in caſtris explicuerant, a jurata eidem ſide deſcivere, junctiſque copiis cum rebellium Civium Mediolanenſium exercitu, ad arma conclamaverunt. Decertatum eſt *in Campo*, appellato *Malo*, prope Mottham, magnâ utrinque cæde, & deſiderato in ea pugna Epiſcopo Olderico. Hunc Oldericum exiſtimavit Ughellus, fuiſſe Laudenſem Antiſtitem, quem ipſe putat a Civibus illis delectum, ut Ambroſio Mediolanenſi, ab Heriberto in Epiſcopum iis dato, locus intercluderetur. Attamen hallucinatus eſt, ac prorſus a vero aberravit. Siquidem Præſul ille, qui in prœlio *Campi mali* cecidit, non Laudæ, ſed Aſtæ Epiſcopus erat, Mediolanenſi Archipræſuli fœderatus, quemadmodum clarè docet Arnulphus coævus Libr. II. Cap. XI. Alterum errorem hauſit Ughellus a Sigonio, qui Libr. VIII. *de Regno Italiæ*, initum fuiſſe prœlium apud *Campum Malum* Anno MXXV. tradidit. Verùm animadvertens in Documentis Aſtenſium Epiſcoporum enunciari mortem Olderici, & Sepulcrum Taurini ſub Annum MXXXVI., atque ideo minimè componi poſſe annum pugnæ a Sigonio ſtatutum, cum anno obitus Aſtenſis Olderici, novum Oldericum a Laudenſibus ad Epiſcopale Solium evectum, ſibi in mentem induxit. Revera tamen & prœlium *Campi Mali*, & cædes Aſtenſis Præſulis contigit Anno proximè indicato MXXXVI., teſtibus Arnulpho, & Wippone in Vita Conradi, aliiſque illius ævi Scriptoribus.

Hoc autem loco non incongruum arbitramur referre quod ſuperiùs innuimus, ſcilicet contendere debuiſſe Heribertum etiam

etiam cum Epiſcopo Ticinenſi Euſebio, pro tutanda integritate antiqui juris Eccleſiæ Mediolanenſis, etiam antequam Henricus Imperator vitâ decederet. Rem prout accidit, narrat Landulphus Senior, Seculi XI. Scriptor Libr. II. Cap. XXI. Indixerat Henricus Imperator, redux ab Apuliæ aliarumque Urbium finitimarum ſuſcepta expeditione, Colloquium in Roncaliis, ad quod vocaverat Italicos Antiſtites & Optimates. Cùm ecce Papienſis Epiſcopus Euſebius illuc acceſſit, prælatâ ante ipſum Cruce. Ut eminus hunc vidit Hecribertus, rei novitate perculſus conſtitit; illumque obvium habens gravi ſermone coarguit, quòd auctoritatis ſuæ limites prætergreſſus fuiſſet, & poſthabitâ Ambroſianæ Eccleſiæ reverentiâ, apparatu, qui a Suffraganei conditione abhorrebat, coram Metropolitano ſiſti non vereretur. Commoti quoque animo Præſules Proceresque circumſtantes, eumdem incuſavere de violata Metropolitici culminis Dignitate; tanto Euſebii pudore, ut facti ſui pœnitens Crucem depoſuerit, quæ in Secretario Eccleſiæ Mediolanenſis recondita poſtmodum fuit, in teſtimonium Poſteris relatæ contra audacem Antiſtitem Ticinenſem ab Heriberto victoriæ. Clariſs. Muratorius Tom. I. *Antiquit. Ital. Med. Ævi* Cap. ultimo, ſcrutari ſatagit tempus, quo iſta contigerint, & reponenda cenſet in eo annorum ſpatio, quod effluxit ab Uberto Ticinenſi Epiſcopo (veriùs Raynaldo, ab Ughello reperto, ac ceteris Epiſcopis addito) ad Guidonem II. Non videmus tamen, cur tam longè protendere debeamus dubitationis hujus limites: Auctores namque coævi apud Pagium, uno calamo conſenſuque ſuſceptum ab Henrico iter in Apuliam, & re-

ditum

ditum ad Inſubres Civitates affigunt Anno MXXII.; quo poſito nemo non videt, Colloquium habitum in Roncaliis referri debere ad Anni ejuſdem exitum, aut ad exordium ſequentis; cùm inde Henricus ſe Germaniæ reſtituerit, biennio poſt terris ereptus ac Cœlo donatus.

Acerbius infortunium, quod ſerenos regiminis Heriberti dies atrâ procellâ obnubilavit, profectum eſt ab inconſtantia animi Conradi Imperatoris. Cùm enim bellum incœptum à Valvaſſoribus contra Archiepiſcopum Mediolanenſem (ùt ſuperiùs retulimus) ſemper acriùs increbreſceret, & cuncta cædibus fœdarentur, Heribertus miſeratione Gregis ſui tam crudeliter diſcerpi intimè tactus, ut pace ſecurâ diſſidentes animos componeret, ad Conradum confûgit, quem propitium ſemper votis ſuis expertus fuerat, illumque invitavit, ut in Italiam armatus deſcenderet. Annuit quidem Conradus; verùm quem Archipræſul noſter adjutorem expectabat, habuit inimicum. Siquidem ſtatim ac fines noſtros attigit, ſeu aliquâ de fide Heriberti conceptâ ſuſpicione, ſeu malevolentiâ invidorum ad iram concitatus, dum in Placito, Papiæ indicto ad controverſias tollendas cauſaſque dijudicandas conſidèret, in cuſtodiam mitti juſſit Archiepiſcopum, qui immutationis hujus inſcius, tamquam ad Amicum ſeſe illuc contulerat: Quinimo privilegium in Laudenſem Epiſcopum, antea illi ſponte conceſſum, prorſus abolevit.

Inhorruere ad hanc Præſulis ſui captivitatem amantiſſimi Cives; Nobiles verò per finitimas Urbes concurſavere, ut Italiæ populos ad arma contra Conradum excitarent; dum interim Sacerdotes & Monachi, necnon Sanctimoniales fuſis

ad

Digitized by Google

ad Deum precibus, jejuniis, ac pœnitentiæ exercitationibus Paſtori ſuo libertatem priſtinam a Patre miſericordiarum enixè implorabant. Nec irrita fuere publica hæc vota; ductus namque ad Trebiam prope Placentiam Heribertus, adjuvante Abbatiſſa Sancti Xiſti, ab ipſo olim conſecratâ, e manibus Cuſtodum incolumis evaſit, effuſiſſimo populi gaudio Mediolani exceptus. Nobile inventum, quo prædicta religioſa Fœmina curavit, ut Archiepiſcopus Mediolanenſis militares vigilias eluderet, accuratè deſcriptum legitur in eodem Landulpho Libr. II. Cap. XXII., & ſeq., preſſiùs autem in Arnulpho Libr. II. Cap. XII., Seculo eodem ſcribentibus.

Ut fugæ hujus nuncium intellexit Conradus, infremuit, irâque impotenti ſuccenſus, in univerſos Mediolani Cives odium & arma convertit, validâ militum manu Metropolim noſtram obſidens oppugnanſque. Neque hac indignationis ſuæ ſignificatione contentus, jura omnia Epiſcopalia ab Heriberto abrogavit, Ambroſium quemdam, Mediolanenſis Eccleſiæ Canonicum in ejuſdem locum ſubſtituens, teſte Wippone. Verùm minax hic turbo in auras evanuit; ſoliditas namque murorum & præſtantia Civium vacuos inaneſque reddiderunt aſſultus omnes Conradi, adeò ut coactus ſit inde recedere. Itaque ignominiæ ruborem non capiens, in agros, vicos, & Oppida circumjacentia rabiem effudit, univerſa igne ferroque devaſtans; tantâ inſaniæ licentiâ, ut nec ipſis Sacris Ædibus parceret, in eas equos inferens, & verendas cœleſtibus quoque Spiritibus Aras in jumentorum ſtabulum impiè convertens. Non tulit hanc injuriam Supremus ultor Deus, pœnaſque illico exegit. Præſtat has referre verbis ipſis

ipſis Wipponis, qui exterrito animo ſuiſque met oculis inſpexit vindicem Summi Numinis iram. Ait igitur: „ Dum „ Imperator quoddam Caſtrum Sancti Ambroſii, quod Cur„ bitum dicitur (apud Landulphum noſtrum legitur *Curia„ picta*, nunc *Corbetta*) juxta Mediolanum obſideret, accidit „ ibi quod plures pro miraculo habuerunt. In Dominica „ Sancta Pentecoſtes, ante horam Tertiam, de magna ſere„ nitate Cœli ſubitò fulmina cum tonitruis eruperunt tantæ „ fortitudinis, ut multa pars hominum & equorum periret in „ Caſtris. Quidam præ tanto terrore in exceſſum mentis vene„ runt, itaut poſt aliquot menſes vix illi ſenſus rediret. „ Venientes autem qui extra caſtra fuerant, nec vidiſſe nec „ audiſſe aliquid tale dicebant „. Addit Puricellus plurium teſtimonio fretus, Sanctum Ambroſium apparuiſſe Brunoni Epiſcopo Sacra facienti, vultuque iram ſpirante, in Imperatorem, qui adſtabat, converſum, ſtrictum manibus gladium, minitantis in modum, contra eum intendiſſe. Porro de hac re coævi ſilent Scriptores; cùm tamen Wippo fateatur, repentinum eum turbinem a pluribus fuiſſe pro miraculo habitum, non alienum a veritate cenſeri poteſt, ſua huic Traditioni fundamenta minimè defuiſſe. Id autem pro certo habemus, terrore correptum Imperatorem, tentoria refixiſſe, atque unà cum copiis ſuis Papiam commigraſſe.

Hermannus Contractus, & Auctor Chronici Hildenſheimenſis apud Pagium, ad Annum MXXXVIII., rem ab aliis ſynchronis Scriptoribus omiſſam referunt, nempe Benedictum IX. Summum Pontificem *poſt juſtas crebras admonitiones*, *communi Epiſcoporum decreto in Paſchis* excommunicationis telum

Heri-

Heriberto Archiepiſcopo inflixiſſe, quòd Imperatori Conrado rebellis foret. Addit verò Hildensheimenſis Chronographus, *Heribertum nihilominus in ſua obſtinatione perduraſſe, & Imperatori pro poſſe, in omnibus per præſentem, & etiam ſubſequentem Annum* (MXXXVIII., & XXXIX.) *incommodaſſe*. Admirationem nobis injecit gravis hæc pœna, in Antiſtitem noſtrum illata a Pontifice Maximo, cùm de ea mentio nulla in Annalibus noſtris, & etiam in antiquis Scriptoribus, ùt Pagius fatetur, occurrat. Fortaſſe indoluit Benedictus IX., exprobravitque Heribertum, pertinaci bello inſectantem Conradum Imperatorem, qui inſignia Romæ dederat experimenta Chriſtianæ Religionis. Siquidem *cùm quidam ex Principibus Romanorum* (verba ſunt Rodulphi Glabri) *conjurantes in Papam Romanum, cupientes illum interimere, ſed minimè valentes, a Sede tamen propria expulerunt* &c. Verùm *tam pro hac re, quàm aliis inſolenter patratis, Imperator illuc proficiſcens, propriæ Sedi reſtituit*. Porro Heribertum opinatum fuiſſe cenſemus, ſe juſta de cauſa adversùs Conradum arma moviſſe, tum propter vincula captivitatis in illum injecta, tum propter Urbem Mediolanenſem obſeſſam, animo eamdem exſcindendi, & vaſtationem agris Oppidiſque circumjacentibus, ferro & flammis miſerrimè illatam, ùt jam ſuperiùs memoravimus.

Longè poſito, & citò etiam e vivis erepto Conrado, nondum tranquilla & conſtanti quiete frui potuit Heribertus; amoto namque Imperiali hoſte, domeſticum bellum exarſit; quod ut dilucidius fiat, recolendum eſt quod ex Sigonio ſuperiùs retulimus in Landulpho II. Archiepiſcopo Mediolanenſi,

nenſi, excitatum primò tunc fuiſſe civile diſſidium inter Nobiles, Plebemque; eoque veneno ſemel infectam Civitatem noſtram, nonniſi poſt integra Secula convaluiſſe. Igitur antequam Heribertus e vivis excederet, recruduit hoc vulnus, Siquidem cùm nimiùm inſolenti arrogantià ſe gererent Nobiles erga vilioris conditionis homines, & quadam die unum ex hoc cœtu jurgiis ac ferro malè habuiſſent, reliqui ex vulgo inſurrexere, atque rei indignitate Commoti, arma ſumpſerunt injuriam vindicaturi; tantumque in ultionis propoſito perſtitere, ut neque plurium menſium atque annorum decurſu, fervens in compitis feralis hic ardor extingui potuerit. Heribertus pro Paſtorali ſuo munere ſe totum impendit exhortationibus, precibus, paterniſque blanditiis, ut inconditum hunc tumultum ſedaret. Sed, cùm animadverteret, fruſtra ſe laborare, ne odium aut Nobilium aut Plebis in ſe converteret, Modoëtiam profectus eſt. Interim verò validior facta ob ſuccreſcentem multitudinem Plebejorum factio ita prævaluit, ut adacti fuerint Nobiles cum uxoribus, liberis, ac ſupellectile Urbe excedere. Non depoſuere tamen vindictæ deſiderium; ſed collectis hinc inde Amicorum auxiliis, Mediolanenſem Metropolim valida obſidione cinxerunt. Triennio domeſticum hoc bellum perduravit; donec Lanzo miles, quem ſibi Plebs Ducem delegerat, ægris oculis ferens luctuoſam Patriæ ſuæ tam inteſtino diuturnoque odio laceratæ calamitatem, ut teſtante Landulpho nulla dies ſine ſanguine abſcederet, Henricum II., Conradi Succeſſorem adiit, atque ab eo ſubſidium quatuor millium Equitum (non quatuordecim millium, prout perperam tradit Sigonius) impetravit.

Ve-

Verùm reverſus in Patriam, reque meliùs perpenſâ, colloquium cum Nobilium Ducibus habuit, profecitque adeo, ut abſque novo hoc oneroſo militum exterorum augmento pax feliciſſimè fuerit conciliata. Referunt hæc omnia memorati Scriptores Arnulphus & Landulphus Senior.

Ughellus hiſce hiſtoricis fontibus cùm iſta ſcriberet (non tamen Sigonio) deſtitutus, rem omnem pervertit; ait enim: *Heribertus, Henricum II. Conrado ſuffectum coronavit, quem paulo poſt Mediolanum obſidione cinxiſſe, ægris oculis intuitus eſt; cujus excidium ne iterum oculis uſurparet, conceſſit Modoëtiam; ubi jam graviter ſeneſcenti contigit videre rerum converſionem tranquilliorem, cùm minùs poſſe ſperari videretur*. Collatam fuiſſe Regi Henrico II. Italiæ Coronam ab Heriberto, non ita facile quiſque in antiqua eruditione verſatus admittet. Triſtanus Calchus Libr. VI. celebritatem hanc Anno MXLIII. actam fuiſſe a memorato Archipræſule credidit, nixus Diplomate a ſe inſpecto, Immunitatis conceſſæ Eccleſiæ Sancti Felicis eo Anno, ut ipſe tradit, expedito. Carolus tamen a Baſilica Petri Libr. II. *Novariæ Sacræ*, id referendum eſſe affirmat ad Annum MXLVI., quo jam Heribertus e vivis exceſſerat, & Henricus in Italiam verè ſe contulit. Et ſanè illius ævi Hiſtoriæ, Pagius, Sigonius, aliique hoc tantùm tempore profectionem e Germania, a Rege Henrico Conradi Filio ſuſceptam adnotavere. Quòd autem Mediolanenſem Urbem Rex ille obſederit, non opus eſt refellere, cùm prorſus veritati repugnet, quemadmodum allati ſuperiùs Auctores manifeſtum fecerunt; & obſidio iſta non Germaniæ Regis, ſed Nobilium Civium in Plebem furentium vindictæ opus fuerit.

Jam verò ut ad reliqua recenſenda virtutum ornamenta, quibus illuſtrem admodum reddidit Pontificatum ſuum Heribertus, ſermonem convertamus, illud præ ceteris immortali memoria dignum eſt, quod relictum poſteris ab hoc Archiepiſcopo in exemplum admirandæ Caritatis erga pauperes, præſens in noſtra Urbe teſtis Landulphus Senior Libr. II. Cap. XX. *Hiſtor. Mediolan.* chartis commiſit. Cùm enim ingraveſceret per univerſam Italiam annonæ penuria, atque ideo hujus Metropolis Cives fame rabida affligerentur, Heribertus ut inopiæ Gregis ſui opportuno ſubſidio conſuleret, octo mille panes mixturæ &c. ceteris per unumquemque diem ſummo mane diſtribui juſſit, & culinariæ rei præfectis pariter mandavit, ut octo leguminum modios quotidie coquerent, in eleemoſynam egenis ſubminiſtrandos. Quin etiam, ùt Landulphi verbis utamur, *omni menſe circa Calendas, nummos multos & novas veſtes propriis manibus dabat*. Neque parvo temporis ſpatio effuſa hæc largitas in liberaliſſimo Antiſtite emicuit. Cùm enim fames iſta per XX. annos hanc Provinciam vexaſſet, ab Anno nempe MVI., uſque ad Annum MXXVI., per octo ſaltem annos ab inito Archiepiſcopali munere, horrea ſua & nummarias arcas aperire debuit amantiſſimus Ovium ſuarum hic Paſtor, fidem faciente Landulpho jam dicto.

Nec minori luce enituit Religio & amor, quo Heribertus in Deum & Cœlites ferebatur. Viget incolume in hunc diem inſigne ejuſdem ſacræ magnificentiæ monumentum, Cœnobium nempe prope Eccleſiam Sancti Dionyſii, tunc extra mœnia, a fundamentis erectum, in quod Ar-

chie-

chiepiſcopus iſte novam Monachorum Coloniam induxit, ut quotidie Æterno Patri Divinam hoſtiam litarent, & perpetuas Sanctis Dionyſio & Aurelio Epiſcopis laudes perſolverent: Et ne penuriâ aliquando laborarent, paternos Cenſus ac prædia liberali dono in eorum jus tranſtulit, expedito Diplomate, in quo (ùt ait Calchus) *perhorrendo Edicto ſanxit, ne quis ullo unquam tempore acta a ſe immutaret*. Fallitur tamen Clariſſimus hic Auctor, ſtatuens Monaſterii hujus San-Dionyſiani initium Anno MXXXIII.; Puricellus namque Diploma erectionis a ſe perſpectum fuiſſe teſtatur *in Monument. Baſil. Ambroſ.*, num. CCXXVIII., illudque etiam vulgavit Cap. ultimo *Vitæ Sancti Herlembaldi*, in quo ſuperſtes memoratur Magnus Henricus Imperator, adeòque ante Annum MXXIV., qui Vitæ hujus Imperatoris poſtremus fuit. Hinc manifeſtum fit, primum illius Cœnobii lapidem, decennio ſaltem ante, jactum fuiſſe. Certè Mabillonius *in Annalibus Ordinis Sancti Benedicti* Tom. IV., ſub primos annos Archiepiſcopatûs Heriberti conditum tradit Sancti Dionyſii Monaſterium.

Neque hoc unicum fuit vigentis in Heriberto eximiæ Religionis indicium. Alios quoque adjuvit in amplificando Dei cultu, noviſque excitandis Eccleſiis, ut vota ſua eidem offerre quotidie poſſent Fideles, quemadmodum enarrare proſequitur Clariſs. Mabillonius ad Annum MXXVIII. Cùm enim ad hanc Metropolim ſe contuliſſet quidam Civis Aurelianenſis, nomine Anſegiſus, & benignè acceptâ ab Archipræſule noſtro facultate, Eccleſiam in honorem Sepulcri Domini ædificaſſet prope Vicum Trinade (vulgò *Ternato*)

haud

haud procul ab Oppido Beſutio, Agri Mediolanenſis, rogatus Heribertus eamdem ſolemni ritu conſecravit. Subſequentibus autem quamplurimis ſignis, quibus Dominus dignatus eſt oſtendere, ſibi placitum fuiſſe religioſum hoc munus, Archiepiſcopus noſter de conſenſu Cardinalium Eccleſiæ Mediolanenſis, Locum illum, & eleemoſynas a denſis populorum illuc confluentium turmis collatas, eidem Anſegiſo dono conceſſit, dato Diplomate, quod in Puricello pariter, loco laudato legitur, ſub num. CCXXIII.

Alterum documentum profert Ughellus, ex quo colligimus, ab Heriberto donatas fuiſſe duas Curtes cum omnibus adnexis juribus, Abbati & Monaſterio Tollenſi, in obſequium Supremi Numinis, atque in animi ſui grati teſtimonium, quod captivus a Conrado factus, & prope hoc Cœnobium in cuſtodia militum detentus, ſingulari Dei beneficio, & ope etiam Abbatis ibidem ab eo conſtituti, incolumis a tam gravibus periculis evaſiſſet.

Demum, ut alia hic omittamus, de quibus mentionem agemus in referendis ultimis ejuſdem Tabulis, id unum piiſſimi animi erga Dei cultum monumentum proferre, neceſſarium cenſemus, ſcilicet inductam fuiſſe ab Heriberto in militaria quoque caſtra religionem. Siquidem primus vehiculum quoddam excogitavit, appellatum ſubinde ab Italis *Carrocium*, in cujus medio vexillum procero malo affixum dependebat, venerandam Imaginem Crucifixi depictam referens. Trahendo huic Currui ſubdebantur altioris formæ Boves, candido operti panno, ipſumque validiori præſtantes robore militum cohortes circumſepiebant. Nec deerant Sacer-

cerdotes, qui præſto eſſent morientibus, & Sacramenta accepto gravi vulnere laborantibus ſubminiſtrarent. Accuratam hujus *Carrocii* deſcriptionem Libr. VIII. *de Regno Italiæ* Sigonius, atque *Hiſtoriæ* ſuæ *Cremonenſi* Antonius Campi (qui etiam typum exhibet) inſeruerunt.

Celebre etiam redditum eſt Archiepiſcopi Heriberti regimen, ob enatum eo tempore Religioſum Ordinem Humiliatorum. Epocham hujus novæ Inſtitutionis alii ſub Conrado Salico, aut Henrico V. Germaniæ Rege incœptam ſcribunt; alii verò graviore anachroniſmo, ſub Federico Ænobarbo jacta fuiſſe fundamenta memorati Ordinis tradidere. Securior ſententia ea eſt, quæ Anno MXIX. ejuſdem exordium figit. Hanc amplexi ſumus & firmare contendimus *in Hiſtoria Typographico-Literaria Mediolanenſi*, ad Annum MCDLXXXIII., quam Lector conſulere poterit, cùm hic non vacet, de inexplorata adhuc hujus Inſtituti origine progreſſuque plura diſſerere.

Præterire nolumus, quod Clariſs. Mabillonius dignum cenſuit, ut *in Annales* ſuos inferretur ſub Annum MXXVIII., convocatum videlicet fuiſſe ab Heriberto Archiepiſcopo Monachorum Sancti Benedicti Conventum, ad componendos eorum mores juxta purioris diſciplinæ & Regularum leges, ſimulque ad dirimendas lites circa prædia, quæ ipſis largiti fuerant tum Reges tum Archiepiſcopi; ut in poſterum quietè ac commodè rebus Divinis vacarent. Chartam ejuſdem Archipræſulis manu firmatam, omnia hæc complectentem, edidit Puricellus *in Monum. Baſ. Ambroſ.*, num. CCXXII.

Ultimæ Tabulæ, quas integras recitat numquam ſatis lau-

laudatus idem Puricellus, num. CCXXIV., manifeſtiùs ſemper, ùt ſuperiùs innuebamus, religioſiſſimum Heriberti animum produnt. Siquidem celebrioribus omnibus tum intra tum extra Urbem Eccleſiis, ac Cœnobiis Monachorum & Sanctimonialium aut prædia & caſtra, quæ juris ejuſdem erant, aut numeratam pecuniam in eleemoſynam legavit, ut Deo laudes decantarent, animæque ſuæ & ſuorum fuſis omni anno precibus ſuffragarentur. Cùm autem plura ex ibidem deſignatis Cœnobiis, nominibus quæ tunc vigebant atque in præſentia obſolevere, appellarentur, campum hinc ſibi aperuit memoratus Puricellus, ut eruditionem ſuam effunderet, & eadem explicando antiquitatem illuſtraret.

Morti proximus alterum condidit Teſtamentum, in quo hæredes ex aſſe paternorum Bonorum Nepotes & Pronepotes ſuos declaravit; ùno tantùm ipſis onere impoſito, ut ſcilicet Monaſterio Sancti Ambroſii quolibet anno erogarent libras duas argenti, ad celebrandos ſolemniori pompâ dies feſtivos, eidem Sancto Patrono dicatos. Hæ quoque Tabulæ recitantur a Puricello *in Monum. Baſil. Ambroſ.*, num. CCXLV.

De temporis ſpatio, quo Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtravit Heribertus, nulla eſt inter Scriptores diſſenſio, cùm æquè antiqui & recentes Catalogi annos XXVII. enumerent. Obiit die XVI. Januarii, Anno MXLV., quemadmodum nos docet Incriptio, Lapidi Sepulcrali inſculpta hiſce carminibus:

✠ HIC

✠ HIC JACEO PULVIS, CUI QUONDAM CLARUIT ORBIS:
TUNC HERIBERTUS ERAM, NIMIOQUE DECORE VIGEBAM;
OFFICIO PLACIDI FUNGEBAR PRÆSULIS ALMI,
NUNC TUMULOR SERVUS SERVORUM CHRISTE TUORUM:
PRO MERITIS HORUM TIBI DIGNE' COMPLACITORUM,
SANGUINE QUÆSO TUO MIHI TU MISERERE REDEMPTO:
HUC VENIENS LECTOR SIBI DIE: IGNOSCE REDEMPTOR,
ET VIVENS VITA REQUIESCAT SEMPER IN IPSA.

OBIIT ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MILLESIMO QUADRAGESIMO QUINTO, DECIMASEXTA DIC MENSIS JANUARII, INDICTIONE DECIMATERTIA.

Non acquievit antiquo huic teſtimonio Puricellus, aſſerens in fine num. CCXLVIII., Heriberti mortem transferendam eſſe ad Januarium menſem Anni ſequentis MXLVI.. Opinionem iſtam validè (ùt arbitramur) oppugnavimus in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ*, ſub Annum MXLIV. tum auctoritate Landulphi tunc in hac Urbe viventis, tum etiam ex Epocha Piſana, quæ eo Seculo in Italia frequenter uſurpabatur, tum denique ex conſuetudine, Sigonio præſertim familiari, annum inchoandi a Natalis Domini Solemnitate.

Sepultus eſt in Baſilica Sancti Dionyſii, cujus Cœnobium ipſe conſtruxerat.

Antequam calamum hinc removeamus, abolenda eſt macula, quam Heriberti famæ immeritò ac falsò inuſſerunt

X Gal-

Digitized by Google

Galvaneus Flamma *in Chronico*, & Bernardinus Corius in ſua Italica Hiſtoria, uxoratum ſcilicet fuiſſe Heribertum Archiepiſcopum; aſſerentes etiam, veſtigium adhuc extare in Vinea, contiguâ Monaſterio Sancti Dionyſii, nomen ferente *Uſſeriæ*, ob uxorem prædicti Antiſtitis, quæ ita appellabatur, quæque eamdem, utpote juris ſui, religioſis Viris in eo Cœnobio degentibus in perpetuum legaverat. Fabula hæc per vulgi ora, in præſentia quoque excurrit. Verùm quàm iniquus ſit hujuſmodi rumor, conſtat ex iis, quæ Puricellus *in Vita Sancti Herlembaldi* Cap. XCII. profert, & quæ Pagius ad Annum MXLV. addit, affirmans nullum umquam ex Archiepiſcopis Mediolanenſibus incontinentiæ labe fuiſſe notatum a coævis Scriptoribus; neque ab ipſo etiam Sancto Petro Damiani, miſſo Mediolanum a Romano Pontifice, ad extirpandam a ceteris Sacerdotibus hujus Metropolis, perverſam conjugiorum licentiam.

Digitized by Google

WIDO.

INgredimur campum, ſcrobibus, ſentibuſque aſperum obſitumque, ætatem videlicet illam calamo attingentes, qua Clerus Mediolanenſis non tàm Simoniaca lue qua Italia ferme omnis inficiebatur, ſed etiam Nicolaitico morbo miſerrimè contabeſcebat. Id inſuper ærumnas noſtras augebat, quod nempe Eccleſia Mediolanenſis quatuor ſimul Archiepiſcopos pati debuerit, uno tantùm ex iiſdem legitimè electo, ſed numquam conſecrato.

Primus ad viam huic malo aperiendam fuiſſe dicitur VVido, ſeu Guido, Heriberti Succeſſor. Cùm enim, Sede vacante, quatuor ex Ordine Majori inſignes doctrinâ ac pietate Viri a Civibus propoſiti fuiſſent, iique unà cum Legatis Mediolanenſium Solio Henrici Germaniæ Regis adſtitiſſent, ut qui acceptior eidem foret, per virgam & annulum, pro more illius temporis, Archiepiſcopus inſtitueretur, VVido qui ob revelatum criminosè (ùt ait Landulphus Senior) quoddam Heriberti arcanum eumdem Henricum ſibi propitium reddiderat, oblatâ pecuniâ Mediolanenſem Cathedram impetravit. Galeſinius hunc VVidonem, Eccleſiæ Mediolanenſis Canonicum Ordinarium appellat, & Regis Henrici a Secretis; Arnulphus tamen eo tempore in hac Urbe degens, dum primò loquitur de VVidone, hæc habet: *Heinricus . . . . neglecto nobili ac ſapienti primi Ordinis Cle-*

Clero, idiotam & a rure venientem elegit Antiſtitem, cui nomen fuerat VVido; ſtatimque ſubdit Davidicum illud Pſalm. LXXVII. *Revera ſuſtulit eum de gregibus ovium, & de poſt fœtantes accepit eum.*

Diem & annum, quo VVido in pleno Legatorum Mediolanenſium & Principum Germanorum Conſeſſu renunciatus eſt ab Henrico Ambroſianæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, nobis ſervavit Landulphus prædictus, nempe XVIII. menſis Julii, Anni MXLVI., in Feſto Sancti Materni, hujus Metropolis olim Antiſtitis. Is quoque Hiſtoriam ſuam proſequens, ac præſens rebus quæ agebantur, conſcios nos reddit de inſigni anachroniſmo, quo peccavit Galvaneus Flamma ab Ughello relatus, qui tradidit, redeuntem e Germania VVidonem ægro animo exceptum fuiſſe a popularium Cœtu; quinimo cùm primam Miſſam in Pontificalibus, in Eccleſia Majore celebraret, ab univerſo Clero & populo juxta Altare, ſolum relictum, & tamquam Simoniacum ante Leonis Papæ præſentiam citatum fuiſſe. Sanè hæc vera ſunt; ſed minimè hoc Anno accidêre, cohibente omnes tum populi, tum Cleri tumultus Regis Germaniæ metu, quemadmodum refert memoratus Landulphus Libr. III. Cap. II. his verbis: *Cùm Guido veniſſet Mediolanum, uſu antiquo ac imperiis Imperatoriis urgentibus, honorificè ac devotè ſuſceptus eſt: qui per viginti Ambroſianum Archiepiſcopatum pacificè rexit annos* &c. Suo itaque loco de his differemus.

Vergente in finem Anno eodem, Italicam expeditionem ſuſcepit Henricus II.; cùmque Metropolim noſtram adiiſſet, a VVidone Archiepiſcopo ſummâ celebritate Regni Italici

Co-

Digitized by Google

Corona eſt redimitus. Scimus nonnullos rerum Mediolanenſium Scriptores gloriam hujus Coronationis contuliſſe in Heribertum VVidonis Deceſſorem. Sed cùm hæc aſſertio unicè innitatur Diplomati Anni MXLIII., cujus fragmentum edidit Calchus, coævi autem Scriptores Germani nullam aliam expeditionem Henrici in Italiam referant, niſi eam quam ſuſcepit Anno MXLVI., nec integrum Diploma viderimus a Calcho relatum; abſtinemus a ferenda ea Sententia, quam in Adnotationibus ad Sigonium ſub Annum MXLVI. jam dedimus. Opportunum quidem confirmandæ huic Epochæ adventûs Henrici in Italiam, teſtimonium nobis ſuppeditat Documentum ab Ughello relatum *in Epiſcopis Veronenſibus*, colum. DCCLX. Venetæ Editionis. Curaverat Henricus, ut in Urbe Ticinenſi Synodus congregaretur Anno MXLVI. Indictione XV., menſe Octobris. Illuc ſe contulit VValterus Epiſcopus Veronenſis, petiitque a collectis Patribus, & Henrico ibidem præſente, ut ſedes in Conciliis, ad dexteram Aquilejenſis Patriarchæ, quam ſibi de jure competere aſſerebat, non alteri Epiſcopo eamdem ſibi arroganti, decerneretur. Genuinis itaque ab ipſo productis Documentis, omnium ſuffragiis in ejuſdem favorem eſt definitum. Calculum ſuum inter alios propitium præbuit etiam VVido Mediolanenſis Antiſtes, quemadmodum docent Acta illius Synodi, quorum fragmentum hìc damus. „ Anno Dominicæ Incarnationis
„ MXLVI. Indictione XV., octavo Calendas Novembris,
„ regnante Domino noſtro invictiſſimo Rege Henrico III.
„ &c. in ejuſdem glorioſi Regis præſentia, interfuit Eberardus Aquilejenſis Patriarcha, VVido Archiepiſcopus Mediolanen-

„ lanenſis, Adelbertus Archiepiſcopus Remenſis &c. Reſi-
„ dente namque Domino Eberardo venerabili Patriatcha in
„ jam dicta Papienſi Synodo, cum glorioſo Epiſcoporum
„ Collegio, Domini VValterii Veronenſis Epiſcopi ſedile
„ ad jam dicti Patriarchæ dexteram decenter juſſum eſt poni;
„ & per victorioſi Regis Henrici præceptum, & Sanctæ
„ Synodi laudatione atque corroboratione ſtatutum, ut per
„ Synodos & Concilia Urbs Verona apud Aquilegium ſe-
„ cundam ſibi ſedem vindicans poſſideat, & ab hinc perpe-
„ tualiter ſecunda habeatur &c.

Accepto Italiæ regali Serto Sutrium profectus eſt Henricus, ibique alteri Synodo interfuit, in qua depoſiti fuere tres Romanæ Eccleſiæ Pſeudo-Pontifices, qui hactenus Apoſtolicam Sedem tyrannicè occupaverant. Romam verò delatus, auctoritate ac ſtudio ſuo id effecit, ut Svidgerus Bambergenſis Epiſcopus (quo nullus melior in Romana Urbe tunc reperiebatur, teſte Victore III. a Pagio ad hunc annum relato) plenis ſuffragiis in legitimum Pontificem deligeretur. Conſecratus eſt Svidgerus in Summum Hierarcham Natalitio Domini Noſtri die, ſub nomine Clementis II., qui expletis Pontificalibus Sacris, Auguſtali diademate Henrici ejuſque Uxoris Agnetis capita exornavit.

Anno ſequenti MXLVII. ineunte Clemens II. Concilium indixit ac celebravit adverſus Simoniacos; eidemque interfuit VVido Mediolani Archiepiſcopus, qui licèt eodem morbo infectus, tunc veluti genuinus Pontifex habebatur. In ea Synodo, iterum altercatione exortâ inter Ravennatem & Mediolanenſem Antiſtites, cuinam eorum dexterum latus Summi Pon-

Pontificis deberetur, refert Ughellus, ſtatutam fuiſſe a Clemente Papa aliiſque Epiſcopis adſtantibus dexteram manum favore Ravennatis Archiepiſcopi, *niſi forte Imperator affuerit*. Deeſt hoc Concilium in Labbeo; leguntur tamen in Appendice Tomi IX. Literæ Clementis II., quæ hoc Decretum innuunt, deſumptæ ex eodem Ughello in Archiepiſcopis Ravennatibus. Verumtamen de hoc Concilio & Literis memoratis Clementis II., nemo ex coævis Scriptoribus Arnulpho & Landulpho Seniore quidquam enunciat. Sigonius verò, qui hanc altercationem retulerat in primis Editionibus Libr. VIII. *de Regn. Ital.*, in poſtrema Bononienſi, quam ſecundis curis diligentiori examine publici juris fecit, prorſus expunxit, utpote ſtramineis & fallacibus fundamentis innixam. Nos id conſultò adnotavimus in noſtris animadverſionibus ad Sigonium, ſub Annum MXLVII. Sanè Puricellus *in Vita Sancti Laurentii* Mediolanenſis Archiepiſcopi ſolidis argumentis commentitium vocat memoratum Clementis Diploma, atque confictum eſſe tradit poſt Annum MCXXII. ab homine, qui extollere vellet Ravennatem & Aquilejenſem Eccleſiam, ſupra Mediolanenſem. Pater quoque Euſtachius a Sancto Ubaldo, in Libro *de Metropoli Mediolanenſi*, Sect. IV. integrâ Diſſertatione Decretum hoc ad fabulas rejicit. Id quidem verum eſt, exortum fuiſſe diſſidium de primo ad dexteram Pontificis Maximi loco inter Mediolanenſem & Ravennatem Antiſtites, in Concilio, Romæ a Leone IX. celebrato, Anno MXLIX., narrat enim illud Landulphus Senior Libr. III. Cap. III.; victoriam tamen ſtetiſſe pro VVidone Mediolanenſi Archiepiſcopo clarè teſtatur: Atque hujus vin-

vindicati Archipræſuli noſtro antiqui honoris exemplum habemus in Concilio altero, Romæ habito a Nicolao II. Summo Pontifice Anno MLIX. contra Berengarium & Simoniacos; Arnulphus enim Libr. III. Cap. XIII. hæc ſcribit: *Decibiliter tractatur* (VVido) *ab Apoſtolico tunc Nicolao, cujus dextro poſitus eſt in præſenti Synodo latere*. Labbeus Acta hujus Concilii refert, omiſſis tamen Epiſcoporum nominibus, qui eidem ſubſcripſerunt.

Ut verò Seriem chronologicam retexamus, quam hactenus abrupimus, ut ſimul omnia ad hanc controverſiam ſpectantia cumularemus, notum eſt, inſurrexiſſe Anno MLVI. egregium Evangelicæ veritatis præconem Arialdum, ex Nobilibus de Alzate, qui nunc in Sanctorum Martyrum Cœtu ab Eccleſia colitur, contra Cleri & populi Mediolanenſis corruptelas, ut funditùs eas extirparet. Hunc VVido ipſe Diaconum conſecraverat (cùm eum minimè tunc prævideret, futurum ſibi hoſtem acerrimum) iſque novo hoc Ordinis Sacramento initiatus in apertum campum pugnaturus proſiliit, cœpitque Apoſtolicâ eloquentiâ in Simoniacos Clerumque incontinentem publicè declamare. Non tulit VVido hoc quo ipſe arbitrabatur probrum, injuſtè illatum Eccleſiæ Ambroſianæ. Quamobrem Provinciale Concilium in Fontaneto, agri Novarienſis Oppido, congregavit, atque ad illud acceſſivit etiam Arialdum, & Landulphum Presbyterum (qui ſe eidem in Divini verbi prædicatione conjunxerat) ut ab impactis accuſationibus de ſubverſa publica pace ac quiete ſeſe expurgarent. Renuit Arialdus illuc accedere; optimè noſcens paratas ſibi in eo Præſulum Cœtu, uxoratis Sacerdotibus favente,

vente, calumnias injuriaſque; quemadmodum etiam exitus compertum fecit. Siquidem ab hujuſmodi repulſa vehementiùs exacerbati Epiſcopi, latam a VVidone ſacri anathematis contra ipſum ſententiam unanimes approbavere. Arialdus immerito hoc ictu perculſus Romam contendit, ibique coram Stephano IX., expoſito indigno facinore Apoſtolicas Literas obtinuit, quibus intrepidè proſequi ſuſceptum opus jubebatur. Quinimo Pontifex ille tres Mediolanum Legatos miſit Anno MLVIII., ut turbas haſce compeſcerent, & ſerpentem in noſtra Urbe perniciosam luem opportunis remediis eliminandam curarent. Hi fuere (ùt Arnulphus teſtatur) Hildeprandus Cardinalis Archidiaconus, Petrus Oſtienſis, & Anſelmus Lucenſis Epiſcopi. Attamen re infectâ, ob plebis & Sacerdotum pertinaciam, hinc recedere coacti ſunt, ac Romam reverti; nec aliud quidquam moliri potuit in Eccleſiæ hujus bonum Sanctiſſimus is Pontifex, quippe poſt paucos menſes e vivis ereptus ad Superos evolavit. Nihilominus ejuſdem vota implevit Nicolaus II., viduæ Sancti Petri Eccleſiæ regendæ ſuffectus: Proinde duos ipſe ex antea miſſis a Deceſſore ſuo Legatos Mediolanum direxit Anno ſequenti MLIX., nempe Petrum Damiani Cardinalem Oſtienſem, & Anſelmum de Badagio Epiſcopum Lucenſem. Quid egerint in hac Metropoli duo iſti Apoſtolici Præſules, fusè narrat Puricellus *in Vita Sanctorum Arialdi & Herlembaldi* Libr. IV. Cap. X. Hoc unum memorare lubet, perfractam adeò fuiſſe veterem Nicolaitarum audaciam, dexteritate atque ſermonibus Petri præſertim Damiani, ut VVido ipſe Archiepiſcopus unà cum Clero, geminas quibus inficiebatur hære-

ſes Simoniæ atque incontinentiæ publicè ejuraverit, datâ ſponſione defœcatioris vitæ, ac optimè impletis pœnitentiæ oneribus ſibi injunctis. Legationis Mediolanenſis Acta omnia refert ipſemet Petrus Damiani, in Opuſculo eumdem Titulum ferente, inter Sancti hujus Cardinalis Opera jam vulgato.

Emerſerat ea ætate audax Berengarii Hæreſis, qua Euchariſtici Sacramenti Fidem & venerationem inaudito ſcelere proterere conabatur. Ad hanc tutandam veluti baſim Catholicæ Religionis, Synodos ſparſim per Gallias & Italiam Archipræſules in ſuis Provinciis collegere. Leo IX., qui Nicolao II. ſucceſſerat, Vercellis Concilium indixit, eique etiam interfuit, Berengario illuc accito; qui tamen, doloſa excuſatione per duos Clericos oblatâ, abſentiam ſuam Summo Pontifici aliiſque Patribus minus exoſam reddere tentavit. Nihilominus ſerio examine diſcuſſis rebus, cunctorum ſuffragiis excommunicationis ſententiam retulit. Ad hoc Concilium vocatus eſt a Summo Hierarcha etiam VVido, qui in partem venit communis gloriæ, ob profligatum calculo quoque ſuo receptiſſimi apud Chriſtifideles dogmatis everſorem.

Sed citò diſciplinæ jugum excuſſit Archiepiſcopus iſte; in ejuratam namque hæreſim iterum relapſus eſt. Ac primò Clericos duos Modoëtienſes, qui ob Arialdi prædicationem ſeſe ab initis connubiis expediverant, capi præcepit atque a Satellitibus abduci in Caſtrum Leuci, ubi (ùt Andreas Monachus ſcribit *in Vita Sancti Arialdi* Cap. XXIII.) ea perpeſſi ſunt, quæ neque a Paganis illata Martyribus in Hiſtoriis leguntur. Subinde rabie odioque in Arialdum incenſus ac furens, univerſam Urbem interdicto ſubjecit, additâ etiam

Lai-

Laicis pœnâ jacturæ divitiarum & vitæ, donec in hac Metropoli hoſpitaretur Vir Dei. Cùm verò Arialdus Urbe excederet, per inſidias captum, ad Lacum Verbanum deportari juſſit, ibique per Sicarios acerbiſſimis cruciatibus mortem eidem inferri. Omittendæ minimè ſunt extremæ voces Sancti hujus Martyris; interrogatus namque, dum membratim conciderctur, a Sicariis, verus-ne foret Archiepiſcopus VVido, intrepidè reſpondit: *Nec eſt, nec fuit umquam, quia opus Archiepiſcopi in ipſo non eſt, nec fuit umquam*; etenim per Simoniam ingreſſus, Simoniâ diſtrahere Sacra non ceſſabat, hoc referente Baronio ad Annum MLXVI.

Ferale nuncium barbaræ hujus necis, bonorum omnium aures horrore implevit, converſâque in Auctorem irâ odioque, abruptus fuit decurſus ille viginti annorum, quem proſperum ac tranquillum in ſuo regimine tranſegerat VVido, ut ſuperiùs ex Landulphò retulimus. Siquidem tunc ſolus relictus eſt a Sacerdotibus & populo, dum Sacra Solemnia perficeret: Herlembaldus verò Cotta, qui Arialdi Cauſam, ſeu potiùs Caſtitatis partes armis tuebatur, accepto etiam a Summis Pontificibus Sancti Petri vexillo, Romam ante Arialdi cædem Anno MLXVI. contenderat, receptiſque Apoſtolicis Literis latæ in VVidonem excommunicationis ſententiæ ab Alexandro II.; eaſdem Mediolanum reverſus obtulit Archiepiſcopo in Eccleſia degenti: Cùmque ille pervicaciæ ſuæ fidens Sectatores ſuos ad vindictam armaret, pugnamque inſtitueret, fractus in prœlio vix ſe recipere in tutum valuit; Plebs tamen de proſtrato Pſeudo-Archiepiſcopo exultans, in Palatium Archiepiſcopale irruit, diripuitque omnia, veluti

deviĉtæ iniquitatis ſpolia In triumphum reportans.

Interea cùm frequentibus cædibus, ac deprædationibus ſcateret hæc Civitas, miſeratione commotus Alexander II. Pontifex Maximus Legationem Mediolanum direxit, ut pacis fœdera conjungeret inter plebem & Clerum. Calchus ex Arnulpho vetuſto Scriptore hæc refert; Baronius verò ad Annum MLXVII. nômina Legatorum enunciat, nempe Mainardum Cardinalem Silvæ-Candidæ, & Joannem Presbyterum Cardinalem, ſimulque recitat Conſtitutiones ab ipſis præſcriptas Calendis Auguſti. His minimè contentus Summus Hierarcha, cùm Anno eodem celebrandam Mantuæ Synodum indixiſſet, Mediolanum divertit, *multaque fecit Statuta de ſtatu Mediolanenſis populi & Cleri, Beatumque Arialdum Sanĉtorum Martyrum Catalogo adſcripſit*, verba ſunt Landulphi Junioris, *a Sanĉto Paulo* nuncupati, Libr. III. Cap. XXXVIII., qui pariter editus eſt Tom. V. *Rerum Italicar.*

VVido ut eluderet Pontificium Decretum, atque eriperet ſeſe a populi inſultibus, paĉtâ cum Gothofredo ſibi a Secretis pecuniâ, Virgam & annulum ad Henricum Imperatorem remiſit, qui eumdem Gothofredum, Archiepiſcopum illico declaravit. Verùm cùm novus hic Præſul ab ea Dignitate rejiceretur, Clero & populo reluĉtante, deſiderium in VVidone revixit Sedem dimiſſam recuperandi; utque id faciliùs obtineret, reconciliare ſe Herlembaldo ſtuduit, obtinuitque; ſed deteriori exitu quàm ſperaſſet: Herlembaldus enim ſpecie in Metropolim illum introducendi, ad Celſianum Monaſterium conſtitit, ibique ſub cuſtodia eum incluſit, ad agendam commiſſorum ſcelerum pœnitentiam, Anno

quem

quem Puricellus congruentiùs tradit MLXX. Excitato autem ſæviſſimo incendio per hanc Metropolim, in Annalibus noſtris ad funeſtam memoriam deſcripto, VVido e Monaſticis Clauſtris dimiſſus, in Derthonenſem agrum conceſſit; ibique Dignitate omni exutus, tamdem ignobili morte in Bergolio Oppido, ad Tanarum amnem ſito, vitam clauſit Anno MLXXI. ibidem ſepultus, non ſequenti, ut tradit Ughellus.

Mediolanenſi præfuit Eccleſiæ annis XXVI., relictâ poſt cineres exosâ ſui nominis famâ.

GO-

GOTHOFREDUS.

CUm Mediolanenſem Cathedram Gothofredus, cujus paulo ante mentionem fecimus, conſcendere vetaretur, quinimo expulſus Urbe foret, ad paternum Caſtrum, appellatum *Caſtellionum*, naturæ & artis munimentis optimè inſtructum, tamquam ad aſylum confûgit. Non ſegnes tamen fuere Mediolanenſes ad arma arripienda; collecto namque exercitu, & paratis ad Arcis illius oppugnationem bellicis machinis, Duce Herlembaldo, illuc accurrêre, ut inde etiam extruderent hunc Pſeudo-Præſulem, qui frequentibus eruptionibus vaſtationem agris proximiſque vicis inferebat. Voti autem compotes facti fuiſſent, niſi vorax incendium, quod (ut diximus) Templa & Domos Metropolis hujus miſerrimè depaſcebatur, quamplures ex Civibus in Caſtris degentibus Mediolanum revocaſſet; ut ſupellectili ac Familiæ periclitanti conſulerent, & reliquias ſaltem paternorum larium atque opum ab ignis faucibus eriperent.

Quandoquidem verò armis removere a propugnaculo ſuo Gothofredum dominatui Eccleſiæ inhiantem minimè valuere, conſiliis in hac Urbe habitis imminenti malo mederi Cives curaverunt. Quapropter Herlembaldus, qui auctoritate ac præſentiâ Mediolani primas tenebat, colligere populum Clerumque ſtuduit, ut legitimum Gregi huic Paſtorem communibus ſuffragiis inſtituerent, quemadmodum etiam confe-

ctum

ctum ſcribit Arnulphus. Sed de hoc novo Archiepiſcopo inferiùs differemus.

Interim ne a Gothofredo recedamus, cùm cerneret iſte, Æmulum contra ſe in campum educi, Henricum Imperatorem, patronum ſuum precibus ac muneribus adiit, ut in Solio Eccleſiæ Ambroſianæ poteſtate regiâ confirmaretur. Nullam in hac re moram interpoſuit Imperator. Quapropter, expedito Legato interventore, Suffraganeis Provinciæ Mediolanenſis Epiſcopis præcepit, ut apud Urbem Novariam convenientes Gothofredo manum Conſecrationis imponerent, Arnulpho teſtante. Acceptâ Chriſmatis ſacri unctione Archipræſul iſte excidii timorem in audaciam convertit. Siquidem erumpens e Caſtro Caſtelliono, Brebiam & Leucum, Oppida tunc Archiepiſcopalis Mediolanenſis Eccleſiæ, invaſit; quamvis miſſis illuc Mediolano opportunis militum ſubſidiis, ejectus a Caſtro Leuci, etiam Supremum Ducem ſuum, in præceps actum ab alta rupe, amiſſum lugere debuerit.

Dum hæc diſſidia & prœlia in Langobardiæ finibus agerentur, defuncto Romæ Alexandro II. Summo Pontifice Anno MLXXIII., delectus eſt in Succeſſorem Hildeprandus Archidiaconus, ſub nomine Gregorii VII.. Is autem conſcius luctuoſæ calamitatis, qua Eccleſia Mediolanenſis ſub tyrannico Pſeudo-Archiepiſcopi jugo premebatur, Literas miſit ad Beatricem & Mathildem Tuſciæ ac Liguriæ Dominas, eaſdem admonens, ut a communione recederent tum Gothofredi, tum Antiſtitum qui eumdem conſecraverant. Solicitavit inſuper per Epiſtolam Gulielmum Papienſem (Pictavienſem errore fortaſſe Typographi legimus in Pagio) Epi-

Epiſcopum, necnon fideles omnes Sancti Petri Apoſtolorum Principis Antiſtites populoſque, ut manus darent ad exturbandum a Sede Mediolanenſi Gothofredum invaſorem. Præterire ſilentio nolumus verba ipſa, quibus Sanctus iſte Pontifex Epiſtolam hanc poſtremam ſignavit: „ Nam ſicut ſci-
„ tis, Gothefredus vivente Guidone, dicto Archiepiſcopo
„ Mediolanenſi, eamdem Eccleſiam, quæ quondam meritis
„ glorioſiſſimæ Virginis & Genitricis Dei Mariæ, necnon au-
„ ctoritate Clariſſimi Doctoris Beati Ambroſii inter ceteras
„ Longobardorum Eccleſias religione, libertate, ac ſpeciali
„ gloria enituit, nunc quaſi vilem ancillam præſumpſit eme-
„ re, Sponſam videlicet Chriſti Diabolo proſtituere, & a
„ Catholica Fide tentans eam ſeparare, niſus eſt ſimoniacæ
„ Hæreſis ſcelere maculare „ &c. Demum collectâ Romæ ex omnibus Italiæ Epiſcopis Synodo, Gothofredum ſimul cum iis Præſulibus, qui eidem manus impoſuerant, anathemate confixit, narrante Arnulpho; ſeu potiùs confirmavit excommunicationem, quam in eoſdem tulerat Alexander II. in Synodo V. Romana, ùt Pagius animadvertit.

Henricus quidem Imperator, rebellis factus Eccleſiæ Romanæ, cujus obedientiæ ſeſe ſubmiſerat, datis ad Gregorium VII. Literis, Gothofredum, licèt Pontificio decreto ex authoratum atque ab Eccleſiæ corpore anathemate reſciſſum, iterum in Sede Archiepiſcopatûs Mediolanenſis expedito Diplomate confirmavit, quemadmodùm Pagius ex Vita Gregorii VII. a Paulo Bemriedenſi ſcriptâ docet ad Annum MLXXV.. Verùm, cùm Mediolanenſes Schiſmatici eodem anno Legationem miſiſſent ad Henricum, rogantes ut viduæ tamdiu

vero

vero Paſtore Eccleſiæ alterum ſubſtitueret, Imperator ipſe, deſtituto Gothofredo, Thedaldum, de quo inferiùs loquemur, in Archiepiſcopum dedit. Itaque omni Archiepiſcopali jure exutus Gothofredus, inviſus omnibus, extorris & profugus obiit, nemine excepti extremi ſpiritûs d tique ſepulcri gloriam ſibi aucupante, quemadmodum in Commentariis ad Sigonium *de Regno Italiæ* Libr. IX. ſub Annum MLXXV. am adnotavimus.

In Catalogis vetuſtis nulla Gothofredi mentio occurrit; electus namque ſimoniacè, nec umquam a Mediolanenſibus receptus, indignum ſe reddidit qui hujus Eccleſiæ Archiepiſcopis accenſeretur, ejuſque nominis memoria in noſtris monumentis perennaret.

A T H O.

IGnotus quoque eſt antiquis Catalogis Atho Clericus Mediolanenſis, electus in Archiepiſcopum Anno MLXXII., cùm tamen canonicè ad Cathedram iſtam promotus fuerit, aſſentiente ſcilicet Summo Pontifice, ac ſaniore Cleri parte ſuffragium ſuum in eum conferente; Et licèt Sacro Chriſmate inunctus non fuerit, aliquam ſaltem ſui memoriam in hiſce Chartis meretur.

Defuncto apud Tanarum Widone Archiepiſcopo, Herlembaldus qui partes continentiæ tuebatur, atque inſtitutus fuerat a Summis Pontificibus Simoniæ oppugnator, jurejurando Civitatem Mediolanenſem obſtrinxit, ut rejecto Gothofredo, quem intruſerat Henricus, Paſtorem ſibi deligeret hac labe minimè infectum, caſtæque in Sacerdotibus religionis intrepidum aſſertorem. Statutus quoque eſt Epiphaniæ Domini Solemnis dies Anni MLXXII. ad perficiendum hoc Opus gloriâ Dei plenum. Nec irritus fuit conatus; præſente namque Bernardo Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, acclamatus eſt in Archiepiſcopum Atho. Verùm ea Cleri pars & populi portio, quæ Henrico favebat, illique injuriam ac probrum arbitrabatur inferri, ſi alium Antiſtitem acciperet niſi quem ipſe daret, concitato tumultu in Aulam convivii irrupit, tantoque in Athonem furore exarſit, ut vix pepercerit vitæ. Itaque eo periculo deterritus novus Præſul

Tem-

Digitized by Google

Templum Maximum adiit, ac ſuggeſtum conſcendens publicè profeſſus eſt, ſe liberè juri ſuo cedere, & in perpetuum ab ea Dignitate ſeſe abdicare.

Inter argumenta illa, quæ Schiſmaticos Cives moverunt ad fervidam adeò repulſam optimi hujus Paſtoris, nonnulli Scriptores noſtri cenſuere, illud fuiſſe, quod Arnulphus Libr. III. Cap. XXIII. ſcripſit, nempe extitiſſe Athonem *tenera ætate, juvenculum*. Puricellus tamen Libr. IV. *Vitæ Sancti Herlembaldi* Cap. XXII. egregiè oppoſitum tuetur, oſtenditque ſolidis, ex Gregorio ipſo Summo Pontifice, documentis mendacem fuiſſe Arnulphum, utpote Schiſmaticis addictiſſimum. Et ſanè, quis valeat opinari, Hildeprandum Cardinalem, paulo poſt Pontificem Maximum, approbare voluiſſe in Archiepiſcopum contra Sacrorum Canonum ſanctiones Adoleſcentulum, & puerum nondum pubertatis annos egreſſum, quemadmodum illum depinxit Ripamontius? Validiùs etiam fallax hæc fama diſſolvitur, ſi quod Romæ poſtmodum geſtum eſt, attendamus: Accepto namque hoc nuncio illuc perlato, Alexander II. Synodum Epiſcoporum coëgit, in qua Athonis abdicationem ab Archiepiſcopatu Mediolanenſi, utpote vi ac metu mortis extortam, irritam declaravit; cùm potiùs damnanda fuiſſet Electio, cui repugnaſſet antiqua Eccleſiæ conſuetudo, quæ immaturam ætatem prorſus ineptam cenſuit Epiſcopalibus exercendis muneribus.

Dum hæc Romæ agerentur, intempeſtiva mors rapuit terris Alexandrum Summum Pontificem; & Sedem Sponſo ſuo viduam implevit Hildeprandus, ut diximus, Gregorius VII. appellatus. Ad hunc igitur Atho hinc profectus ſe contulit,

tulit, a quo (ùt Calchus refert) *perbenignè exceptus*, *&* *publicè a Pontifice laudatus*, *in penitiorem familiaritatem admiſſus fuit*. Trahit hoc contubernium Athonis in Aula Pontificia, tot benevolentiæ ſignis a Pontifice Maximo acceptis firmatum, trahit inquam Ripamontius *in* ſua *Hiſtor. Eccleſiaſt. Mediolan.*, in argumentum ſuperbiæ; ac ſi Atho Romæ inſtigaret Gregorium, & Herlembaldus Mediolani ſus deque omnia confunderet ac ruinam Patriæ minitaretur, ut Solium Archiepiſcopale Athonis altiùs extolleret, & ſibi liberam in Cives Urbemque pararet dominationem. Verùm Puricellus *in Vita Sancti Herlembaldi* Libr. IV. Cap. XXXVII. carpit dicacitatem Scriptoris hujus, nimiamque licentiam in iſta re tam ignominiosè deſcripta, contra omnem fidem Teſtium coævorum. Porro nihil minus cogitavit Atho, quàm ut diſſidia foveret, & per Contribulium odia cædeſque, viam ſibi ad Mediolanenſem Cathedram aperiret. Miſit quidem Gregorius Pontifex Mediolanum Literas ad Herlembaldum, quibus ipſum hortabatur, ut pro virili ſuſceptam Cauſæ defenſionem ageret, eidem injungens, ut benignè ſe gereret cum iis qui a Schiſmaticorum Cœtu recederent, & inchoatum opus ad Dei gloriam & Eccleſiaſticæ caſtimoniæ leges, prudenti qua poterat clementiâ urgeret conſummaretque. Collecto autem, ùt ſupra indicavimus, Italicorum Præſulum Romæ Concilio, Gothofredum damnavit, atque electum Athonem coram omni Cœtu præſentem laudavit, quemadmodum refert Arnulphus.

De hoc Athone nihil ultra in Hiſtoria legimus, cùm debaccante in Inſubribus altero Pſeudo-Archiepiſcopo, ſimoniacè

niacè

niacè ab Henrico Imperatore electo, numquam patuerit Athoni locus recipiendæ Conſecrationi: cujus defectu ipſius nomen Mediolanenſium Antiſtitum Catalogo minimè adſcriptum videmus.

THE-

Digitized by Google

THEDALDUS.

THedaldum proferimus, tragicæ hujus Scenæ Actorem poſtremum. Fuerat is Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ Subdiaconus; cùmque Henrici Regis ſibi gratiam comparaſſet, in Aulam vocatus eidem Sacris faciendis inſerviit. Miſsâ autem a Civibus noſtris Legatione in Germaniam, ut jugum excuterent Gothofredi, nimiâ ambitione ac rapinis undique deſævientis, Henricus Imperator, nullâ ipſius habitâ ratione, cujus patrocinium hactenus ſuſceperat, Thedaldum Archiepiſcopum Mediolanenſem conſtituit Anno MLXXV. Hic verò indignationem Apoſtolicæ Sedis juſtè metuens, per Amicos tentari curavit animum Gregorii VII., illiuſque conſenſum viis omnibus petiit. Attamen prudentiſſimus ille Eccleſiæ univerſæ Rector, datis Literis ad eumdem Thedaldum, ei præcepit, ne Sacris Ordinibus Archiepiſcopalem gradum ſumere præſumeret, donec recto inito examine dignoſceretur, quis ex duobus Archiepiſcopis, altero Mediolani electo & tunc Romæ degente (nempe Athone), altero ab Henrico Imperatore dato, jus æquius ad Cathedram Mediolanenſem poſſideret. Id autem declarari debere in proximè indicto Romano Concilio, notum eidem fecit: utque faciliùs cauſam ſuam ageret, Thedaldum Romam invitavit, tutum iter, moram, redituṁque ſecuriſſimum ſpondens. Alias quoque Literas ad omnes Mediolanenſis Eccleſiæ Suffraganeos expedivit, iiſdem ve-

Digitized by Google

vetans manuum impoſitionem Thedaldo exhibendam, cujus inſtitutio nondum pro legitima habebatur, & a collectis in prima Romana Synodo Patribus dijudicanda committebatur. Extant hæ Literæ inter alias Gregorii VII., quas recitant Conciliorum Editores. Verùm feſellit ſpem optimi Pontificis pervicax Thedaldi & Epiſcoporum hujus Provinciæ contumacia; ſpretis namque Apoſtolicæ Sedis præceptis, illimet Epiſcopi, qui Gothofredum conſecraverant, Thedaldum quoque Sacro Chriſmate inunxerunt. Teſtis eſt Arnulphus, qui licèt Schiſmaticus, in hanc exclamationis vocem erupit, *Hiſtoriæ ſuæ* Libr. V. Cap. V. *Res mira, & cunctis retro temporibus inaudita, ut Urbis unius uno electo Antiſtite, ſacrato altero, uno eodemque tempore tertius erumpat!*

Thedaldus hac Gregorii æquiſſima Sanctione præ ſuperbia ſua exacerbatus, junctis cum Guiberto Archiepiſcopo Ravennate Schiſmatico amicis fœderibus, in Summi Pontificis perniciem conjuravit. Quinimo excitatis bellicis tumultibus univerſam hanc Metropolim fœdiſſimè exagitavit; quodque dolendum magis eſt, Herlembaldus continentiæ Sacerdotalis egregius Patronus, Pontificum Romanorum præconiis celebratus, atque per Epiſtolas ad ipſum datas ad intrepidè perſeverandum in ſuſcepto munere Ductoris armorum pro Dei & Eccleſiæ gloria conſervanda commonefactus, in quadam inita concertatione ferro hoſtili percuſſus interiit, Anno MLXXVI., relictis mortalibus exuviis inſolentiæ ac ludibrio plebis, quæ illas impiè diripuit, & lapidibus obruit, Arnulpho hæc deſcribente Libr. IV. Cap. X.

Itaque vincente mitiſſimi Gregorii patientiam, hujus Pſeudo-

do-

do-Epiſcopi noſtri arrogantiâ, cum aliis Langobardiæ Schiſmaticis Præſulibus fœderati, Pontifex ille Maximus in tribus Conciliis Romæ habitis, ipſum alioſque Socios Epiſcopos ſacri anathematis telo iterum iterumque confixit. In poſtrema autem Synodo Anno MLXXX. confirmata eſt inter cetera Depoſitio Thedaldi ab Archiepiſcopatu, additâ hac clauſulâ, *ſine ſpe recuperationis*. Quamobrem extorris ab Urbe, circum Verbani oras erravit Thedaldus, vitamque Aronæ explevit Anno MLXXXV.. Malè hoc Oppidum locavit Papebrochius, & ex eo Paglus *ad Fluvium Abduam, mediâ inter Comum & Bergomum viâ*; jacet namque ad oram Verbani Lacus, quinque milliaribus diſtans a Vico appellato *Sexto*, ubi e dicto Lacu Ticini Flumen iterum egreditur & fluit.

Obiiſſe Thedaldum in Schiſmate pertinacem tradidere Puricellus, Ughellus, & alii. Porro ſi ſolidis veterum Documentorum ac Teſtium fundamentis innixa forent ea, quæ narrat Antonius Beſſa Negrinus *in Elogiis* italicè ſcriptis *Gentis Caſtillioneæ*, videlicet eluiſſe hunc Archiepiſcopum male actæ vitæ maculas pœnitentiæ lacrymis, obtentâque a Summo Pontifice abſolutione præteriti Schiſmatis, dies ſuos in pace clauſiſſe, non modica eidem gloria accederet, noſtræque Eccleſiæ decus repararetur. Id quidem etiam Gaſpar Bugattus *Hiſtoriæ ſuæ* Libr. III. inſeruit: Verùm, cùm de hac pœnitentia omnino ſileant ſuperiorum ætatum Scriptores, calamum ſuſpendimus, donec certiora proferantur..

Non ita prætereundum eſt quod Bonaventura Caſtillioneus ſcriptum reliquit in Libro *de Gallor. Inſubr. antiquis Sedibus*, vide-

videlicet conditum eſſe a Thedaldo Aronæ Templum ac Cœnobium, & inductis in ipſum Monachis Sancti Benedicti, ampla ad eoſdem alendos prædia in perpetuum fuiſſe aſſignata. Difficultate tamen non caret etiam hoc eruditiſſimi Auctoris teſtimonium. Siquidem Carolus a Baſilica Petri, ubi agit *in Novaria Sacra* de Oppido *Invorio* antiquam Inſcriptionem metricam refert, cujus primum carmen hoc eſt:

MEMBRA SUB HOC TUMULO REQUIESCUNT PRINCIPIS ADÆ.

Et poſt pauca:

ET STATUIT TEMPLUM HOC IN HONORE DEI.
FECIS COENOBIUM SUB NORMÆ TRAMITE DIGNUM:
SUFFICIENS VICTUM FRATRIBUS ESSE DEDIT.

Alii verò quemdam Obizonem Angleriæ Comitem, ejuſdem Cœnobii conditorem fuiſſe teſtantur: Sed hoc poſtremum, mendacio proximum facilè dignoſcitur ex *Diſſertatione* inſerta *Vindiciis Sanctorum Corporum Protaſii & Gervaſii*, a nobis in lucem editis, in qua *Comitum Angleriæ*, & *Vicecomitum Mediolani* Hiſtoria fabulis expurgatur. Anonymus Auctor *Tabulæ Chorographicæ Italiæ Medii Ævi*, impreſſæ Tom. X. *Rerum Italicar.* pag. CXVII. ea quæ leguntur in Inſcriptione de *Principe Ada*, & quæ narrantur de Thedaldo Archiepiſcopo noſtro, aſſertis Conditoribus Templi & Monaſterii Aronenſis, ingenioſè atque eruditè conciliare ſtudet, chronologicis animadverſionibus rem hanc in tenebris adhuc latentem illuſtrans. Ait verò, omnia quæ expreſſa ſunt in

lapide, tumulo Adæ appoſito, Seculo XI. optime convenire, itaut Peruſiâ Aronam ſe conferens miles ſeu Princeps Ada, ſecumque ferens pretioſa pignora Sanctorum Martyrum Gratiniani & Felini, invenerit ibidem Thedaldum a patrio ſolo exulantem, ejuſque opibus dono datis, aut prædiis ſibi divenditis, Templum & Cœnobium conſtruxerit; eoque titulo a recentioribus Scriptoribus exiſtimatus fuerit primus Cœnobii Auctor, Archiepiſcopus Thedaldus.

Annos regiminis IX., menſes III., dies XXI. huic Archipræſuli tribuunt Catalogi antiqui; Sepulcrum autem Scriptores omnes receptum ab eo fatentur in Aronæ Oppido, tunc juris Archiepiſcopalis. Nec dubium eſſe poteſt, cùm Petrus Paulus Boſca *in Notis ad Martyrolog. Ambroſ.*, *ad diem I. Junii*, teſtetur effoſſum fuiſſe Thedaldi Cadaver Anno MDCXCV., dum *fundamenta cujuſdam propugnaculi jacerentur ad mœnium tutelam*. Opinatur autem Anonymus Auctor *Tabulæ Chorographicæ*, ſuperiùs memoratus, ibidem olim extitiſſe Templum ac Cœnobium, aliò translatum Anno MCDLXXXIX.

De emortuali die Thedaldi dubium ſe oſtendit Puricellus, aſſerens neminem ſe habuiſſe, cui ſatis acquieſcere poſſet. Nos tamen antiqui Catalogi teſtimonio freti, eumdem migraſſe ex hac vita VIII. Calendas Junii ſecure pronunciamus.

AN-

ANSELMUS III.

POſt annum vacantis Sedis Mediolanenſis, Anſelmus a Vico Rhaude oriundus ſuffectus eſt Thedaldo, Anno nempe MLXXXVI., menſe Julio vix inchoato, juxta calculum Papebrochii. Utrum verò canonicè electus fuerit, an ab Henrico Imperatore Schiſmatico, hujus Metropolis Archiepiſcopus fuerit inſtitutus per virgam & annulum, variè opinantur Scriptores. Baronius in *Annalibus* ad Annum MLXXXV. relatâ Thedaldi morte, iſta ſubdit: *Mediolanenſis Eccleſia erigere caput cœpit, excuſſoque e cervicibus jugo Schiſmaticorum, Catholicum ſibi delegit Antiſtitem Anſelmum, ejus nominis tertium*. Ughellus quoque in hanc ſententiam conceſſit, aſſerens Anſelmum a Catholicis fuiſſe electum in Archiepiſcopum. Eadem Pagius repetit, ſugillans Puricellum, & Sigonium, qui hunc Anſelmum *Henricianum* appellant. Attamen doctiſſimus Vir in hac re plurimùm a vero aberravit. Primò enim credidit, ſuperiora verba a Baronio prolata, eſſe eadem, quæ Bertholdus ſynchronus Scriptor *Hiſtoriæ ſuæ* inſeruit, cùm tamen nihil tale Auctor ille ſomniaverit, ne dum chartis mandaverit (in hunc errorem incidit etiam Papebrochius *in Exegeſi*). Deinde argumentum illud, quo Pagius fulcire ex Bertholdo contendit opinionem ſuam, videlicet tunc temporis Mediolanenſes cum quibuſdam aliis Langobardiæ Civitatibus conjuraſſe contra Henricum ejuſque fautores ad vi-

ginti annos, inane prorſus eſt; Bertholdus enim rem hanc affixit non Anno MLXXXVI., ut Pagius cenſuit, ſed Anno MXCIII., quemadmodum in Adnotationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ* ſub Annum MLXXXIV. compertum jam fecimus. Itaque ſecurior ſententia videtur ea, quam Sigonius, Puricellus, & Papebrochius adoptavere, nempe Anſelmum verè ab Henrico Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum fuiſſe inſtitutum; ſed poſtmodum vel a Victore III. Gregorii Papæ VII. Succeſſore, vel ab Urbano II. qui brevem Victoris Pontificatum excepit, in Catholicæ Eccleſiæ communionem receptum. Idque etiam validè confirmatur auctoritate Laudulphi junioris, appellati *de Sancto Paulo*, qui *Hiſtoriæ ſuæ* Cap. IX. loquens de Groſſulano Mediolani Archiepiſcopo hæc habet: *Groſſulanus dedit ſententiam deponendi Andream Primicerium, & alios Sacerdotes, quos Anſelmus de Rode Mediolanenſis Archiepiſcopus, & a Rege Henrico inveſtitus ordinavit*; ſcribebat autem in noſtramet Urbe, ſub finem Seculi ejuſdem. In hac controverſia, in qua Pagius, commendatione omni alioquin digniſſimus, nimium judicio ſuo detulit, ac conceptæ opinioni blanditus eſt, reliquos, Sigonium præſertim, contrarium aſſerentes acri ſtylo configens, veritatis propugnandæ gratiâ nonnulla hic cogimur adnotare. Primò inſignis iſte Scriptor Puricellum coarguit, qui minimè inficiatur, potuiſſe Anſelmum ab Henrico Cæſare inſtitui, ſed ait ſubinde, Eccleſiæ Romanæ fuiſſe reconciliatum, inquiens, *nonniſi poſitivis argumentis in medium adductis id aſſeri poſſe*. Porrò quid ad fidem ſtatuendam magis idoneum, quàm auctoritas Arnulphi, & Landulphi

dulphi junioris coævorum, & apertis verbis rem hanc teſtantium, deſiderandum relinquitur? Rediiſſe autem in gratiam Apoſtolicæ Sedis Anſelmum ipſemet Pagius negare nequit, cùm Bertholdi de illo Elogium paulo antea protulerit, videlicet *Venerabilem Anſelmum Mediolanenſem Archiepiſcopum in cauſa Sancti Petri fuiſſe ſtudioſiſſimum*. Quod autem ad Sigonium ſpectat, qui pariter inſtitutum ab Henrico in noſtrum Antiſtitem Anſelmum profitetur, miramur, e Pagii calamo excidiſſe hæc verba: *Sigonius multa de ſuo dicere ſolitus eſt, & cum magna cautela legendus*; quamvis enim Scriptor iſte celeberrimi apud omnes nominis, inopiâ documentorum, quæ ex pulverulentis Tabulariis poſtmodum emerſere, aliquando a vero aberraverit, hoc loco tamen veritatem optimè conſectatus, injurioſam hanc notam minime promerebatur. Sed Pagio fucum fecere verba illa, quibus Baronius paragraphum narrationis ſuæ de electione Anſelmi in Archiepiſcopum Mediolanenſem claudit, videlicet: *hæc ex Bertholdo*; cenſuit enim eruditiſſimus Pagius, in Bertholdo reperiri omnia, quæ Baronius eo loco narraverat, minimè animadvertens, plura in eam paginam Baronium e ſuo penu intuliſſe, inter quæ numerari debet periodus illa, cujus gratiâ diſceptare aggreſſus eſt contra illos, qui in adverſa parte conſtiterant. Præſtat eamdem hic tranſcribere: *E medio ſublato potentiſſimo Eccleſiæ Mediolanenſis invaſore* (Thedaldo) *erigere caput ea cœpit, excuſſoque e cervicibus jugo Schiſmaticorum, Catholicum ſibi delegit Antiſtitem Anſelmum, ejus nominis tertium*. Verùm evolutâ ab exordio ad calcem Bertholdi Hiſtoriâ, ne veſtigium quidem aſſertæ a Baronio Catholi-

tholicæ electionis Anſelmi nobis occurrit. At de his ſatis.

Parcè admodum Auctores ævi illius præclaras Anſelmi noſtri Antiſtitis res geſtas recenſuere; ſplendidis tamen elogiis ornatum ejuſdem nomen ad nos tranſmiſerunt, ùt infra videbimus. Nonnulla nos innuemus, quæ laudem illi non modicam peperere; eaque ex Urbani II. Epiſtolis, & Bertholdo coævo Scriptore colligimus. Incidit in illa tempora Anſelmus, quæ pacatis in hac Metropoli rebus, lætiori Civibus noſtris dierum ſerenitate affulgebant. Siquidem ab Anno MLXXVII. ſeſſi diuturna calamitate ad meliorem frugem ſeſe converterunt qui Henrico favebant, & Pontificii anathematis vinculo irretiebantur; atque ob hoc ipſum Legationem miſerunt ad Gregorium VII., ut ſolutionem a clementiſſimo Pontifice conſequerentur. Nec ille abnuerat, ad ſe revertentes Mediolanenſes excipere: Quinimo expeditis Mediolanum duobus Legatis, nempe Anſelmo Lucenſe, poſtea Sanctorum Catalogo adſcripto, & Gerardo Oſtienſe Epiſcopis, poteſtatem iis tribuit, Civitatem univerſam ab excommunicatione abſolvendi; quemadmodum etiam feliciter peractum eſt a Legatis, trium dierum eloquenti prædicatione præmiſsâ. Narrat hæc Arnulphus Libr. IV. Cap. XII., qui unum ſe fuiſſe ex Oratoribus ad Apoſtolicam Sedem miſſis, ſeque ad ſaniorem vitæ caſtigatioris integritatem ejus muneris occaſione redactum teſtatur.

Supererant reliquiæ aliquæ tranſacti Schiſmatis abolendæ in Sacerdotibus, quos Aris reſtituere opus erat. Urbanus itaque II. peculiari erga Eccleſiam Mediolanenſem caritate ſuccenſus, Literas ad Anſelmum Antiſtitem noſtrum dedit, ut

hæc

hæc etiam labes ab ejuſdem vultu abſtergeretur. Ejus verba ſunt: „ Diſcretioni noſtræ videtur, quatenus ſecundùm „ præcepti noſtri tenorem, quando *ſecundùm Eccleſiæ veſtræ* „ *morem* ſacros daturus quibuslibet aliis Ordines, benedicere cœperis; eos quos tua duxerit ſolertia reconciliandos, „ inter benedicendum & manus imponendum facias intereſſe: quibus cetera omnia conſecrationis inſtrumenta præter „ unctionis explebis; & ſic ad Sacra miniſteria reconciliabis. „ Refert hoc Urbani Reſcriptum Baronius ſub Annum MLXXXVIII.; ſed cùm illud ex Ivone, Part. VI. Cap. CDVI. deſumpſerit abſque ullis Chronicis notis, quo verè anno datum ſit, nos ignorare candidè profitemur.

Ancipites hærere non poſſumus circa ea, quæ narrat Bertholdus memoratus ad Annum MXCIII., ait enim: *Civitates de Longobardia Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia contra Henricum in viginti annos conjuraverunt*. Hæc autem omnia in laudem non modicam Anſelmi refluunt. Neque enim opinari quiſquam poteſt, Societatem hanc inter finitimas Civitates initam fuiſſe abſque conſilio & conſenſu Archiepiſcopi Mediolanenſis, qui in Comitiis, arduiſque rebus diſponendis principem in Italia locum obtinebat, ut Eruditis Viris notum jam eſt.

Altera non minus decora Celebritas peracta eſt ab Anſelmo, Anno ſupra memorato. Cùm enim Conradus Henrici Imperatoris filius a Patre, quem pudendis aliis ſceleribus ſcatentem toties Summi Pontifices execraverant, deſciviſſet, & Mediolanenſem Urbem adiiſſet, noſter iſte Archiepiſcopus expanſis ulnis illum excepit, Regemque Italiæ inſtitutum ferreo

ferreo diademate ſolemni pompâ præcinxit, quemadmodum narrare proſequitur idem Bertholdus. Neque omittendum eſt elogium, quo illius memoriam celebrat Auctor prædictus, ſubdens: *In Longodardia Venerabilis Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus, in Cauſa Sancti Petri ſtudioſiſſimus, & qui nuper Conradum Regem incoronavit, ſatis laudabilem finem fecit, magnumque mœrorem Fidelibus Sancti Petri reliquit.*

Octo *omnino* annos Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtraſſe Anſelmum, tradit Ughellus. Verùm antiquus Catalogus dilucidè adnotat; *Sedit ann. VII., menſes V. dies IV. Obiit pridie Nonas Decembris, ſepultus in Baſilica Apoſtolorum.*

Antequam manum retrahamus ab hujus Archiepiſcopi Vita, neceſſe ducimus refellere, quæ præpoſterè inſeruit Galeſinius *Tabulæ Archiepiſcoporum Mediolanenſium*; ſcribit enim, ab Anſelmo III. *magnam claſſem exercitumque comparatum, ut Babylonem caperet; quò profectus, multis commiſſis præliis nihil profecit.* E lutulentis certè fontibus hæc hauſiſſe Scriptorem iſtum, in ceteris commendatiſſimum, credendum eſt. Neque enim umquam audivimus, Claſſes paratas a Præſulibus noſtris, nec ullus eo tempore de expeditionibus in Saracenos ſermo increbuerat. Itaque excuſare prorſus non valemus amplum anachroniſmum quo peccavit Galeſinius, quodque omnino expungendum eſt ab eadem Tabula, ne oſcitantiæ nobis labes inuratur.

AR-

ARNULPHUS III.

STatim ac Anſelmus vitâ deceſſit, Arnulphus hujus nominis tertins, appellatus *de Porta Argentea*, ideſt quæ in noſtra Urbe Orientem ſpectat, aſſumptus eſt in Archiepiſcopum Anno MXCIII., teſte Bertholdo, die verò VI. Decembris, poſt unum tantùm Sedis vacantis diem, ùt ex antiquo Catalogo colligit Papebrochius. Qnæ autem fuerit cauſa hujus præter morem feſtinæ electionis, excogitare aliam nequimus, niſi eam, ne videlicet Henricus Imperator antiqnæ conſuetudinis tenax, alium in hac Dignitate per virgam & annulum conſtitueret. Attamen Ughellus a Sigonio deceptus affirmare non dubitavit, per virgam & annulum, tradente Cæſare, fuiſſe Arnulphum Mediolanenſis Eccleſiæ inſtitutum Archiepiſcopum. Porro, quantum iſta repugnent Hiſtoriæ hactenus allatæ, conjurationis nempe Langobardiæ Civitatum in viginti annos contra Schiſmaticum Henricum, & adventûs in hanc Urbem Conradi filii, in eumdem pugnantis, nemo eſt qui non videat. Plura in hanc rem adnotavimus in calce ad Libr. IX. Sigonii *de Regno Italiæ*, ad Annum MXCII., quæ hìc non vacat repetere, cùm manifeſtè pateat error tum Sigonii, tum Ughelli eumdem exſcribentis. Id quidem certum eſt, Arnulphum electnm minimè tunc manum admoviſſe ad habenas in hac Eccleſia regendas, causâ alterâ id prohibente. Siquidem deficientibus Epiſcopis Suffraganeis, qui anathemate ob contumaciam

in Schiſmate innodati erant ab uno tantùm Catholico Epiſcopo, iis quidem conſentientibus, ſed non imponentibus manum, conſecrationem receperat. Quamobrem Apoſtolicus Legatus irritam eamdem declaravit: Neque (ùt optimè animadvertit Ughellus) Præſul ille, cujus cordi plus inſita erat pietàs quàm ambitio, quidquam in ſuî favorem adduxit, ſed Eccleſiaſtica acceptæ Dignitatis Inſignia deponens, Cœnobio ſe incluſit, ibique honeſtiſſimam vitam tranſegit, donec Urbanus II. abſoluto feliciſſimè Concilio Placentino, Mediolanum ſe contulit, ad aliud Claromonte in Gallia celebrandum profecturus. Tunc enim eductus eſt e Clauſtris Arnulphus, & juſſu ejuſdem Pontificis Maximi a Dimone Saltzburgenſi Archiepiſcopo, Gebeardo Conſtantienſi Epiſcopo, & Udalrico Pataviensi, ſacro Chriſmate unctus, ritè huic Eccleſiæ datus eſt Paſtor; imo etiam a memorato Summo Pontifice Pallio decoratus Anno MXCV., teſte Bertholdo.

Neque hoc ſolummodo beneficium Mediolanenſibus attulit Urbani II. præſentia, ut videlicet paterna Arnulphi cura & regimine, quo ſupra annum caruerant, fruerentur, ac legitimè ſedentem in Solio Archiepiſcopum ſuum conſpicerent; ſed etiam aliud nobilius Aris ipſis noſtris impartitus eſt, Sanctorum Martyrum Catalogo adſcribens Herlembaldum, Civem hujus Metropolis claro genere ortum, qui pro inducenda in Sacerdotes caſtimonia, atque abolenda Simoniæ corruptela vitam poſuerat. Puricellus inſuper refert, voluiſſe quoque hunc Summum Pontificem Sacrum Corpus effodere, ac e priori Tumulo in alterum Eccleſiæ Sancti Dionyſii honeſtiorem transferre. Huic autem pio operi perficiendo adfuit noſter etiam Antiſtes Arnulphus, quem-

quemadmodum teſtatur Inſcriptio, quam recitat idem Puricellus Cap. LXXIX. *Vitæ Sancti Herlembaldi*, & his verſibus clauditur:

URBANUS SUMMUS PRÆSUL, DICTUSQUE SECUNDUS,
NOSTER ET ARNULPHUS PASTOR PIUS ATQUE BENIGNUS,
HUJUS MEMBRA VIRI TUMULANT TRANSLATA BEATI.

Comitem quoque ſe dediſſe Arnulphum Urbano in Gallias proficiſcenti, ut ſimul cum eodem, Concilio Claromontano intereſſet, fidem facit Claudius Robertus, qui id adnotavit in *Galliæ Chriſtianæ* Appendice, ubi Catalogum texit Archiepiſcoporum Mediolanenſium.

Expeditis in Gallia maximis pro Eccleſia negotiis, & ſtatutâ in pluribus Conciliis morum regulâ, necnon indictâ in Saracenos expeditione, ſeſe Romam reſtituturus Urbanus iterum Mediolanum inviſit, ubique beneficentiæ ſuæ fructus relinquens. Landulphus a Sancto Paulo mentionem faciens in Chronico ſuo rei cujuſdam in juventute ſua geſtæ, hæc habet Cap. XXVIII. „ De Francia Mediolanum (Urbanus) redivit „ (Anno MXCVI.) in qua Civitate cùm ipſe Papa ſtaret, in „ Pulpito Sanctæ Theclæ, immenſæ multitudini hominum utriuſ„ que ſexûs prædicavit, & prædicando de magna ſapientia ſua „ protulit; quòd minimus Clericulus de Eccleſia Dei eſt major „ quolibet Rege mortali. Addidit etiam, quòd Clerici & Sa„ cerdotes per pecuniam in Eccleſias non ſunt introducendi, „ ſed per electionem hominum, qui ſunt Eccleſiarum vicini „. Cur autem in Templo Sanctæ Theclæ potiùs, quàm in ſug-

geſtu Metropolitanæ Baſilicæ Concionem habuerit Pontifex Maximus, ea ratio eſt, quòd Ambroſiano tunc temporis Ritu Primarius Clerus a Paſchate Reſurrectionis uſque ad tertium Dominicum diem Octobris, in Eccleſia Sanctæ Theclæ, quæ ideo *Æſtiva* dicebatur, Sacra omnia peragebat.

Pagius in Critica Baronii ad hunc Annum, num. XVI. Puricello adverſatur in iis, quæ ſuperiùs ex ipſo retulimus, nempe in Sanctorum Album relatum fuiſſe Sanctum Martyrem Herlembaldum, ejuſque exuvias tumulo nobiliore donatas a memorato Summo Pontifice, antequam Gallias adiret; aſſerens, convenientius ſibi videri, transferenda hæc eſſe ad ſecundam Mediolani moram, cùm minimè opinandum ſit, feſtinantem Urbanum ad urgentia univerſæ Eccleſiæ negotia componenda, peculiari huic Eccleſiæ voluiſſe gratificari, atque in hiſce, piis licèt, operibus tempus impendere, gravioribus curis deſtinatum. Parùm tamen id noſtrà refert, ſive ante diſceſſionem ab hac Urbe, ſive in reditu ad noſtram Metropolim dignatus ſit Maximus ille Pontifex, Herlembaldum novo Tumulo & Aris donare, & hanc geminatæ præſentiæ ſuæ gloriam immortalem Mediolanenſibus indulgere. Ceterùm vix credibile eſt, a Landulpho, qui præſens erat rebus Mediolani eo anno geſtis, & non tantùm Concionem ab Urbano pronunciatam, ſed etiam ejuſdem argumentum chartis commiſit, omiſſam fuiſſe ignavo ſilentio ſacram Celebritatem, a Summo ipſo Romano Hierarcha raro admodum exemplo apud nos peractam; præſertim cùm procul dubio eidem intereſſe debuiſſet frequentiſſima Civium & Exterorum corona, ſi verè Urbanus illam tunc inſtituiſſet: Proinde ſtandum eſſe Puricelli narrationi ſecuriùs arbitramur.

Quanto

Quanto erga Deum amore ac deſiderio amplificandi ejuſdem cultûs æſtuaret Arnulphus, colligimus ex Diplomate, quod nos jam vulgavimus in Diſſertatione *ad vindicandam veritatem* &c. Cap. XIV. in calce, ex Tabulario Metropolitani Mediolanenſis Capituli. In eo autem iſta leguntur: „ Nobis in noſtra Mediolanenſi Domo, noſtrorum Cardinalium, „ ſcilicet Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum interventu reſidentibus, animarum noſtrarum ſaluti providentes, & noſtræ Sancti Gemuli paupercul æ Eccleſiæ vigilantes, „ tam præſentibus, quàm futuris, notum fieri volumus, quatenus vigintiquatuor denarios, quos homines de Belare, qui „ vocantur Garilioli, Presbytero de Arcidiate dabant, duodecim propter duodecim Miſſas, quas in Sancti Gemuli Eccleſia cantabat, & duodecim propter duodecim prandia, deinceps nullo modo dentur. Candelæ verò, quæ in ipſius Sancti Gemuli feſtivitate Eccleſiæ Sancti Victoris de Arcidiate „ dabantur propter luminaria, amodo ab aliquo non exigantur „. Ne autem plebs illa detrimentum pateretur, *à Venerandis Viris, ſcilicet Athone Presbytero, Ingizone Judice, & Arderico Cangellarii Ariprandi Germano, qui abjecto Mundo ad eamdem Sancti Gemuli concurrerunt Eccleſiam*, tanta terræ portio empta eſt, unde annualiter reciperet Plebs ſegetem & panicum, quem poſſet Canonicæ de Arcidiate perſolvere, ſimul cum quatuor ceræ candelis, tribuendis Sancti Victoris Eccleſiæ pro luminaribus ſupradictis. Vult autem Arnulphus, ut *omni anno* mittantur *ad Eccleſiam Metropolitanam Sanctæ Mariæ duæ Candelæ, per unamquamque unam libram ceræ habentes, quæ in Domini & Salvatoris Noſtri Nativitate ardeant ſuper Altare*

Sanctæ

Sanctæ Mariæ in nocturna Miſſa Sanctæ Anaſtaſiæ , & peractâ Miſsâ perveniant in poteſtate Cimiliarchæ illius Eccleſiæ . Præcipit etiam , ut Ambroſianum Officium celebretur *a Presbyteris , & Clericis* , vel aliis , quos ipſi elegerint. Eximit demum Eccleſiam illam omnino a juriſdictione *Presbyteri , vel Clericorum de Areidiate* . Subſcripta eſt hæc Charta manu propria Arnulphi , Dei gratiâ Archiepiſcopi Mediolanenſis , Gothofredi Archipresbyteri , & aliorum ; data verò eſt *in Domo Sancti Ambroſii , Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo quinto , ſecundo die menſis Novembris , Indictione quarta* .

Diploma hoc Arnulphi poſtmodum typis commiſit Clariſs. Muratorius , inſeruitque Tom. V. *Antiquitat. Ital. Med. Ævi* , colum. CCLXVII. Animadvertit autem diligentiſſimus Scriptor iſte , nullum Monachorum ibidem habitantium veſtigium in hoc Privilegio occurrere ; Cùm tamen Boſca *in Martyrologio Mediolanenſi* ad diem IV. Februarii hæc adnotaverit : *Monaſterium Gannenſe fuit olim Benedictinorum : Nunc Cœnobitis caret ; illius ſiquidem reditus Pius IV. Pontifex Maximus addixit Noſocomio Majori Mediolani* , veriſimile cenſet Muratorius , tunc Cœtum aliquem Clericorum eum in locum coaluiſſe , cùm ipſum Arnulphus Archiepiſcopus eximat a juriſdictione Archipresbyteri , ſeu Plebani Areidiatenſis Eccleſiæ ; poſtea verò ſibi elegiſſe Abbatem , & Inſtitutum Benedictinum ſuſcepiſſe . Perennem certè memoriam meretur pietas Arnulphi Archiepiſcopi , qui campum aperuit hac inſtitutione , ut paupercula ea Sancti Gemuli Eccleſia religioſorum hominum evaderet domicilium , ac ſubinde Cœnobium Monachorum .

Hal-

Digitized by Google

Hallucinati plurimùm ſunt Galeſinius non ſecus ac Ughellus, qui conſtanter aſſeruere, ab hoc Arnulpho Archiepiſcopo collecta fuiſſe ſeptem militum millia Cruce ſignata, ut ad redimendam e Barbarorum manibus Jeroſolymam mitterentur; de hoc namque bellico Arnulphi apparatu ne verbum quidem protulere Scriptores: Neque tempus eidem ſuperfuit, rem tot difficultatibus obſitam, tantique diſpendii propemodum excogitandi; ſiquidem morte præreptus Anno MXCVII., die XXIV. Septembris Eccleſiam hanc regere deſiit; multòque magis hoc verum eſſet, ſi Ughellum ſequeremur, qui uno ante anno defunctum Arnulphum ſcribit: quo tempore vix promulgata in Concilio Claromontano Expeditio in Barbaros fuerat, ſed nondum inſtructa.

Eccleſiæ Ambroſianæ præfuit annis III., menſibus IX., diebus XIX., ùt ex antiquo Catalogo diſcimus.

Sepultum fuiſſe Arnulphum apud Sanctum Victorem, *cujus ille Templum ditaverat fortunis gratiiſque, ac privilegiis exornaverat*, proximè relatus Ughellus teſtatur. Si tamen veteres Catalogos conſulamus, tumulum Arnulphus habuit in Monaſterio Clivatenſi; atque idem adnotavere Galeſinius, aliique. Quocirca facilè cenſeri poteſt, fucum feciſſe Ughello duplex Cœnobium Monachorum Montis Oliveti, alterum Mediolani, alterum in Vico Clivate Mediolanenſis Diœceſis, ut unum pro alio deſignaret, in quo Archiepiſcopi hujus noſtri Oſſa condita fuerint.

AN-

ANSELMUS IV.

ELectionem Anſelmi IV. , de Buis appellati, in Archipræſulem Mediolanenſem deſcribit Landulphus de Sancto Paulo , illius temporis Scriptor , qui ait , defuncto Arnulpho Archiepiſcopo , Mediolanum adveniſſe Armanum Brixienſem Epiſcopum electum , Provinciæ noſtræ Suffraganeum , atque collectis Comitiis deſignatum fuiſſe Succeſſorem Landulphum de Badagio , Præpoſitum Canonicæ Sancti Ambroſii , Virum moribus ac vita optimè ornatum ; ſed eodem Antiſtite Armano minimè conſentiente , acclamatum poſtea fuiſſe Anſelmum Canonicæ Sancti Laurentii Præpoſitum , & gratiâ Comitiſſæ Mathildis , necnon Urbani II. Summi Pontificis aſſenſu accedente confirmatum . Quandoquidem verò Sacris Ordinibus carebat , eoſdem ſtatim recepit ; deficientibus autem Suffraganeis , ab alterius Provinciæ Epiſcopis in Archipræſulem Mediolanenſem eſt conſecratus . Nec defuit eidem exornando in hac Dignitate Pontifex Maximus , mittens ex veteri more per Legatum ſuum Stolam ſeu Pallium , quo in ſolemnibus Sacrificiis indueretur .

Prudentiæ ſuæ præclarum teſtimonium ſtatim dedit Anſelmus ; cùm enim Obertus quidam , cognomine *Baltricus* , Sedem Brixienſem invadere tentaret , utpote ab Henrico Imperatore Schiſmatico ad eamdem promotus , conſtanter obſtitit Archiepiſcopus noſter , eoque prorſus rejecto , ſacro Chriſ-

Digitized by Google

Chriſmate inunctum Armanum, illius Eccleſiæ jampridem electum, ùt diximus, Epiſcopum declaravit.

Inſederat eo tempore altè animo Epiſcoporum ac Principum Italiæ deſiderium ac ſolicitudo inſtruendi exercitum adversùs Saracenos, undique perſonantibus vocibus, quæ populum ad magnanimum hoc Opus impigrè aggrediendum incitarent; præcipuè cùm Urbanus II. frequentibus Monitis Literiſque, etiam ad Anſelmum noſtrum datis, Expeditionem in Orientem urgere proſequeretur. Proinde ſuccenſus ab iiſdem Antiſtes noſter vires omnes impendit, ut ex Inſubribus ac Langobardicis huic Metropoli ſubditis Provinciis validum militum ſubſidium pararetur exercitui, jam profecto ad ſacrum contra Barbaros bellum aperiendum. Nec ſibi ipſi pepercit inclytus Præſul, citatis itineribus per Italiæ Urbes excurrens, ut præſentiâ & fervidis exhortationibus animos juvenibus ac viris adderet, ad ſeſe ſacræ militiæ conſcribendos, vitamque pro tutanda Fide Deique gloria amplificanda, bellorum periculis intrepidè exponendam. Tantum autem induſtriâ laboreque profecit, ut Abbate Urſpergenſi & Sigonio teſtantibus, quinquaginta millia Langobardorum, inter quos ſeptem millia Mediolanenſium numerabantur, colligere atque armare valuerit.

Antequam tamen profectionem in Orientem iniret, Paſtoralis Officii ſui munera exercere non deſiit. Ac primò, cùm Eccleſiaſtica diſciplina plurimùm concidiſſet, depravatis Sacerdotum moribus, excitatis Civilibus bellis, & Henriciano Schiſmate in Eccleſias inducto, Concilium celebrare Mediolani ſtatuit, pluresque Catholicos Epiſcopos non tam Pro-

vinciæ ſuæ, quàm exterarum regionum ad illud convocavit, aperuitque Anno MXCVIII., Indictione VI. Nonis Aprilis. Nicolaus Sormanus antiquitatis peritiſſimus & Collega noſter, ejuſdem fragmentum publici juris fecit in ſuo Opere, edito *in Cauſa Præeminentiæ* &c. Integrum ipſe archetypum ſervat, quod optandum eſſet, ut quamprimùm typos ſubiret, unà cum ampla Serie Documentorum veterum ac Diplomatum, quam ipſe ſummo labore ac ſtudio ex Archivis collegit, Notiſque illuſtravit. Hujus Concilii ea tantùm vulgavit, quæ ad rem ſuam ſpectabant, addiditque Anſelmi Diploma, quod abſoluto Concilio expeditum fuit favore Canonicorum Baſilicæ Ambroſianæ, cum ſubſcriptionibus Præſulum, qui eidem Synodo interfuere, iique ita deſcribuntur: *Anſelmus Archiepiſcopus Mediolanenſis: Guibellinus Arelatenſis Archiep.: Gotefredus Magalonenſis Ep.: Aldo Plaſentinæ Eccleſiæ Præſul: Bonſenior Reginæ Eccleſiæ Proviſor: Ubaldus Mantuanus Antiſtes: Guido Cumanus Gubernator: Herimanus Briſſienſis: Guido Terdonenſis, Azo Aquenſis Electi: & Gregorius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis*. Eruditiſſimus Pater Joannes Dominicus Manſi, e Congregatione Matris Dei, noſtrîque amantiſſimus in Tom. II. *Supplement. ad Concilia*, Lucenſis Editionis Anni MDCCXLIX. fragmentum iſtud inſeruit fol. LV., ſuaſque animadverſiones adjecit, in quas mendum irrepſit, cùm Anſelmo *de Rode*, tertio hujus nominis, Anno MXCIII. e vivis erepto attribuat hanc Synodum, quæ congregata eſt ab Anſelmo *de Buis*, Anno MXCVII. ad Archiepiſcopalem Mediolanenſem Sedem evecto.

Alterum laudis argumentum in noſtro hoc Antiſtite colligit

Digitized by Google

ligit Puricellus ex Lapide adhuc ſuperſtite in fronte Atrii, præjacentis Templo Sancti Ambroſii, & ibidem poſito Anno MXCVII., quo ipſe præerat Eccleſiæ Mediolanenſi, conceſſam videlicet fuiſſe ab eodem Immunitatem a publicis vectigalibus, iis omnibus qui Mediolanum ſe conferrent ad celebrandam Sanctorum Protaſii & Gervaſii Martyrum Solemnitatem. Equidem libentiſſimè amplecteremur Puricelli ſententiam, cùm ageretur de præcipuis Metropolis noſtræ Patronis, quos Sanctus Ambroſius profeſſus eſt, tales ſe ambire Defenſores. Verùm ſi expendamus ſerio examine Lapidem illum, clarè patebit, non cœpiſſe eo primùm anno ſolemnem hanc inſtitutionem: In eodem namque leguntur hæc verba: *Statutum eſt ab Archiepiſcopo Anſelmo, & ejus poſtea Succeſſoribus ſub nomine excommunicationis, & communi Conſilio totius Civitatis, ut non liceat alicui homini in eorum Feſtivitate, & per tres dies antea, & per tres poſtea, Curadiam tollere*, ideſt Vectigal a viatoribus perſolvendum. Cùm igitur de re præterita Lapis loquatur, quis ex tribus aliis Anſelmis fuerit primus Auctor hujus indulgentiæ, divinare non licet. Nihilominus negari nequit, plurimum gloriæ in hunc Anſelmum refluere, cùm notum ſit, eo tempore principem locum habuiſſe Archiepiſcopum Mediolanenſem in publicis rebus; & præſertim cùm ſubjungatur in ea Inſcriptione, *per octo dies ante Feſtum, & per octo poſt Feſtum, pacem omnibus hominibus ad Solemnitatem venientibus & redeuntibus communi Conſilio firmatum eſſe, Adam & Pagano huic bono opem dantibus, Anno jam dicto*. Sed de his fuſiùs egimus *in Vindiciis Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii*, Cap. I. pag. XXV.

Solido procul dubio fundamento nititur Judicium habitum ab Anſelmo Archiepiſcopo Anno ſequente MXCIX. Cùm enim controverſia agitaretur diu vigens inter Vicinos Parœciæ Sancti Protaſii, & Monachos Sancti Simpliciani, qui ibidem degebant antequam ad illud Cœnobium tranſmigrarent, re maturè perpensâ Decretum edidit Archiepiſcopus in favorem Congregationis Monachorum, quo lites omnes in futurum compeſcuit. Extat hujus Sententiæ Exemplar apud Ughellum, ab ipſo Anſelmo ſubſcriptæ, & latæ Anno MXCIX., IV. Nonas Februarii.

Eodem anno animum adjecit Antiſtes hic noſter excitandis Civium cordibus ad religioſiorem perſolvendum cultum Sancto Martyri Arialdo, incontinentiæ & Simoniæ, Sacros Altaris Miniſtros eo Seculo fœdè contaminantium, egregio profligatori. Quamobrem inſtitutâ ſolemni Supplicatione, ejuſdem Corpus ex primo in Eccleſia Sancti Celſi Tumulo, ad Sancti Dionyſii Templum tranſtulit, ut ſimul quieſceret cum altero Sancti Herlembaldi Martyris, qui in eadem arenâ tamdiu decertavit, donec fuſo proprio ſanguine triumphalem a Deo palmam promeritus fuiſſet. Recitat Puricellus *in Vita Sancti Herlembaldi* Cap. LXXXIII. Inſcriptionem appoſitam Sancti Arialdi Sepulcro in prædicta Eccleſia Sancti Dionyſii, in qua idem animadvertit, memoriam inſeri etiam Socii ſui Sancti Herlembaldi. Translationem hanc ab Anſelmo peractam fuiſſe *circa tempus Autumnale* ſcripſit Pagius ad hunc Annum. Seriùs tamen id contigiſſe nos docet Landulphus Senior Lib. III. Cap. ultimo; ait enim, ſuſceptam fuiſſe a noſtro Antiſtite ſacram hanc curam *poſt biennium ſuæ Conſe-*

ſe-

ſecrationis. Cùm autem ipſe Epiſcopalem unctionem receperit die II. Novembris Anni MXCVII., memoratus verò Auctor minimè aſſerat, ſtatim poſt biennium in Æde Dionyſiana collocata fuiſſe Oſſa Sancti Arialdi, clarè patet, fortaſſe provecto jam Novembre Sanctum Corpus ibidem fuiſſe repoſitum.

Interim perlatum eſt in hanc Urbem lætiſſimum nuncium, captam videlicet fuiſſe a Gothifredo Bullionio cum ſuis Commilitonibus Cruce-ſignatis Jeroſolymam Idibus Julii, ibidemque erectum Sanctæ Crucis Vexillum. Quapropter feſtivis vocibus ac plauſu reſonantibus undique compitis, meditatus eſt Anſelmus Archiepiſcopus perenne aliquod tantæ victoriæ monumentum in hac Metropoli figere. Aderat in Urbis meditullio Templum, Anno MXXXI. extructum a Benedicto de Rozone in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, quod religioſiſſimè colebatur. Hoc renovari placuit in accuratam ſimilitudinem Sancti Jeroſolymitani Sepulcri, atque hoc nomen in hodiernum uſque diem eidem Templo perſeverat, adjectis Clauſtris, & ibidem fixâ Sede Congregationis Oblatorum, quam poſtmodum inſtituit Sanctus Carolus Borromeus. Ipſe autem Anſelmus Archiepiſcopus ſolemnem diem indixit peragendæ Dedicationi, nempe Idus Julii, Anni ſequentis MC.; utque alliceret Cives exteroſque ad devotiùs ſolemniuſque ſacram hanc Celebritatem recolendam, expedito Diplomate, quod Puricellus, & Ughellus integrum recitant, ſanxit, ut Supplicatio Cardinalium Eccleſiæ Majoris iniretur à Templo Maximo ad aliud Sancti Sepulcri, eaque quolibet anno impoſterum renovaretur. Inſuper edixit, ut *octo diebus ante Solemnitatem, & octo poſtea pax fieret, & tregua per*

per Comitatum Mediolanenſem. Nundinas etiam ab omnibus immunes vectigalibus, affluentes mercibus inſtituit, nihilque omiſit, quod magnificentiam non ſpiraret.

Imminebat tempus ſtatutum itineri in Orientem ſuſcipiendo, Duce ipſo Anſelmo Archiepiſcopo. Compertum minimè eſt, quâ viâ proceſſerit. Conſcendiſſe ipſum Genuæ Claſſem, quæ Calendis Auguſti Anni MC. inde ſolvit, a Liguſticis Annalibus tradi Calchus affirmat. Nihil tamen de hac re habere Juſtiniani, & Foliettæ Hiſtorias advertit etiam Pagius ad Annum MCI., num. VII. Addimus quoque Caffarum editum Tom. VI. *Rerum Italicar.*, qui exordiens Hiſtoriam ſuam ab Anno MC., nullum prorſus verbum facit de Archiepiſcopo Mediolanenſi, & ejuſdem exercitu; cùm tamen profectionem Triremium Januâ Jeroſolymam accuratè deſcribat. Arbitramur potiùs, terreſtri Anſelmum itinere Conſtantinopolim contendiſſe; Uſpergenſis namque Abbas refert, Langobardorum exercitum Carinthiâ permeatâ in Bulgariæ Civitatibus hyemaſſe, ac tamdem Anno MCI. Conſtantinopolim perveniſſe.

Duplicem profectionem in Orientem nonnulli ex Scriptoribus ab Anſelmo ſuſceptam affirmant, præſertim Puricellus, & Ughellus; alteram ſcilicet Anno MXCVIII., ex qua reverſus ea peregerit, quæ ſuperiùs deſcripſimus; alteram Anno MC. poſt Dedicationem Eccleſiæ Sancti Sepulcri. Arduum tamen captu eſt geminatum hoc iter; cùm videamus quolibet anno, poſt indictam ab Urbano II. Summo Pontifice Expeditionem in Syriam, exercuiſſe Anſelmum Mediolani Præſulatûs ſui officia, & Celebritates, quæ abſolvi non poterant brevi morâ ab ipſo habita in hac Urbe; Concilium nempe collectum, ac celebratum

Anno

Anno MXCVIII.; compoſitam litem inter Monachos Sancti Simpliciani, & Vicinos Sancti Protaſii Anno MXCIX.; Translationem Corporis Sancti Arialdi Martyris ſub finem ejuſdem anni; & demum quam proximè retulimus magnifico apparatu peractam Dedicationem Templi Sancti Sepulcri. Porro quis autumare umquam valeat, Archiepiſcopo tot publicis negotiis expediendis occupato ſuperfuiſſe dies ac menſes, quibus tam longam peregrinationem iniret, reditum expleret, ac iterum eidem itineri ſeſe committeret? Pater Euſtachius a Sancto Ubaldo reſpondere nititur in Libro *de Metropoli Mediolanenſi* Clariſſimo Muratorio, qui eamdem Sententiam tuetur, conciliare omnia ſatagens, quæ difficultatem non levem geminato huic itineri injicere poſſe videntur; num. tamen CCLXXXIV. hæc habet: *Ut Muratorio meo morem gerere non deſinam, eam aſſertionem, quòd Landulphus* (a Sancto Paulo) *unam tantùm Archiepiſcopi Expeditionem referat, libenter amplector*; eam enim magis conformem rationi, & veterum Auctorum Scriptis agnovit.

Paſtoralis caritas, qua Gregem ſuum fovebat Anſelmus, minimè paſſa eſt, vacuam relinqui Rectore ſuo Sedem Mediolanenſem, atque ita occaſionem præbere dilectis Ovibus ſuis ejuſdem abſentiam inani dolore, ac multo earum diſpendio lacrymis proſequendi. Quapropter ante diſceſſum ſuum, conſilium iniit Vicarium ſibi aliquem ſubſtituendi, Virum peculiari doctrina ac prudentia inſtructum: Is fuit Groſſulanus, quem ut præſtantiori auctoritate muniret, Saonenſi Epiſcopatu ab illius Clero & Populo ornari ſtuduit, miſſis illuc duobus Legatis; quemadmodum etiam communibus votis ad eam Sedem fuit promotus. Electionem hanc contigiſſe Anno MXCVIII. affirmat Ughellus

in Epiſcopis Saonenſibus; ſeriùs tamen id factum ex Landulpho colligitur. Cùm enim eum dicat eodem tempore ordinatum Epiſcopum, quo Archiepiſcopi Mediolanenſis Vicarius eſt conſtitutus, & in hoc munere per biennium perduraſſe, donec videlicet certum de Anſelmi obitu nuncium accepit, clarè deducitur, non potuiſſe illum uſque ab anno memorato Epiſcopum eligi, atque ordinari; ſecus namque quatuor annos in hujus Mediolanenſis Eccleſiæ adminiſtrandæ officio inſumpſiſſet, fide Landulphi repugnante. Statuenda igitur eſt hujuſmodi electio, & conſecratio ad Annum MC., ante menſem Julium, ſicuti eamdem Pagius *in Critica* ad hunc Annum refert. Quid egerit in hoc munere Groſſulanus, ſuo loco narrabimus.

Infelicem exitum habuit tot conſiliis ſumptibuſque maturata Expeditio Anſelmi in Orientem; conferentibus namque manus militibus noſtris cum Turcarum copiis apud Daniſman, in Romania ſitam, improſperè cecidit pugna, fuſis Catholicorum agminibus, ipſoque Archiepiſcopo vix fugâ elapſo. Radulphus, unus & ipſe ex Cruceſignatis, Familiaris Tancredi Antiochiæ Principis, cujus etiam res geſtas deſcripſit, narrat, initum prælium apud memoratam Urbem, & inter alios Duces nobileſque milites, Anſelmum quoque Mediolanenſem Archiepiſcopum fuiſſe interemptum. Antiquiorum tamen omnium, & recentium Scriptorum una vox eſt, obiiſſe hunc Præſulem Conſtantinopoli. Itaque ne alicui ex coævis fides abnegetur, cenſeremus dici poſſe, exiſtimatum fuiſſe ab aliquibus in pugnæ fervore mortuum Anſelmum; ſed fortaſſe poſt acceptum vulnus, Conſtantinopolim ductum fuiſſe, ubi in gravi luctu expiraverit. Certè modicum temporis effluxit ab inito prælio ad obitum

hujus

hujus Antiſtitis, adeòque veriſimile admodum eſt, gravi alia de cauſa, quàm ex ſolo mœrore, ac luctu illum interiiſſe.

Inaudita res eſt, quam nobis *in Tabula Archiepiſcoporum Mediolanenſium* Galeſinius obtrudit, inquiens: *Fidei nomine in exilium pulſus* (Anſelmus) *Conſtantinopolim venit, ubi obiit*; nuſquam enim legimus enatam occaſionem exilium indicendi Anſelmo, quod alioquin eidem glorioſum fuiſſet. Commentum hoc vulgavit Cattaneus in Libro inſcripto: *Succeſſores Sancti Barnabæ*, ubi agit de Anſelmo, hujus nominis quarto, & plura de ſuo miſcet, a vero prorſus aberrantia, ut alibi jam adnotavimus.

Quo anno ſublatus e vivis fuerit Anſelmus, diverſa tradidere Scriptores. Sigonius, Ughellus, aliique annum Secularem ſtatuunt ejuſdem morti. Verius tamen ſequens Annus MCI, & dies XXX. Septembris, poſtremus fuit vitæ Anſelmi; atque in hunc etiam conſenſit Puricellus, qui Cap. LXXXIII. *Vitæ Sancti Herlembaldi* priorem ab ipſo vulgatam opinionem de Anno Seculari apertè rejecit.

Regimini Anſelmi annos III., menſes X., & dies XXVIII. aſſignat antiquus Catalogus; ſepulcrum autem habuiſſe in Monaſterio Sancti Nicolai in Byzantina Urbe connotavit.

GROSSULANUS.

STatim ac Anſelmus IV. profectionem in Syriam ſuſcepit, Groſſulanus Epiſcopus Saonenſis electus, Mediolani conſecratus, & Vicarius Anſelmi Archiepiſcopi conſtitutus Anno MC., quemadmodum proximè retulimus, munus ſuum a Dei cultu & caritate in proximos inchoavit, inſtituens ut ſingulis ſecundis Feriis cujuſlibet hebdomadæ Clerus ac Cives omnes ad Sancti Ambroſii Baſilicam ſeſe conferrent, ibique fervidas preces ad Deum effunderent, ut felicem Anſelmo ejuſque exercitui peregrinationem largiri dignaretur. Inſuper Groſſulanus ipſe non iis tantùm Feriis, ſed in ſingulis ferme diebus Feſtis e ſuggeſtu concionabatur, quinimo parcitate cibi aſperique veſtitûs, quo utebatur, exemplo ad Chriſtianæ modeſtiæ ac virtutum exercitationem populum ſuccendere conabatur. Per biennium in hac vivendi norma, Vicariique officio perduravit; donec infauſtum nuncium ad hanc Urbem perlatum eſt, Archiepiſcopum Mediolanenſem Conſtantinopoli obiiſſe. Poſtquam verò luctui & funebribus Sacris ſatisfactum eſt, ut anima tanti Antiſtitis ab expiatorio igne eruta celerem ad Superos tranſitum faceret, de ſubſtituendo altero Archiepiſcopo cogitationem ſumpſit Groſſulanus, habitoque conſilio cum Clericis & Nobilibus Comitia indixit; cùmque ſpectante populo initum fuiſſet Colloquium ut Succeſſor declararetur, & a Cleri Primicerio propoſiti eſſent duo ex Canonicis Metropolitanæ

Ba-

Baſilicæ, qui a bello Jeroſolymitano iter aggreſſi fuerant, in Patriam reverſuri., Landulphus nempe de Badagio, & alter Landulphus de Vareglate, qui ex Præpoſito Baſilicæ Sancti Nazarii delectus eſt in Epiſcopum Aſtenſem, ac Beatorum albo etiam adſcriptus; Groſſulanus vetuit, ne in abſentes ſuffragia ferrentur. Quamobrem, inſtante Arialdo Abbate Monaſterii Sancti Dionyſii, pars Cleri & populi Groſſulanum ipſum in Antiſtitem acclamavit: Is verò Archiepiſcopalem Sedem illico conſcendit, Epiſcopali paludamento indutus a memorato Arialdo Abbate, Anno MCII.

Non arriſit omnibus hæc electio; atque ideo excitatus eſt in compitis tumultus: Liprandus autem Rector Eccleſiæ Sancti Pauli (qui ſociam opem præſtiterat Sancto Herlembaldo in exſtirpanda labe incontinentiæ ac Simoniæ, atque ob id a Sicariis naſo & auribus fuerat mutilatus) Groſſulanum de Simonia increpavit, ſeque obtulit ad eamdem comprobandam judicio ignis. Imo Legatos Romam præmiſit, qui Paſchalem II. Pontificem Maximum admonerent, ne hunc electum Archiepiſcopum conſenſione ſuâ firmaret. Non auditi tamen fuere Clerici ad Apoſtolicam Sedem directi; Bernardus enim S. R. E. Cardinalis, poſtmodum Parmenſis Epiſcopus, impetratum a Summo Pontifice Pallium ipſemet Mediolanum detulit, eoque Groſſulanum publicè exornavit. Non defuit promiſſo Liprandus, ſed poſt varias concertationes tamdem obtinuit, ut utrâque conſentiente Parte ſuæ fidei experimentum daretur. Igitur coram Principibus & Epiſcopis, quos ex univerſa Provincia ad Synodum convocaverat Groſſulanus Anno MCII., paratum ſe Liprandus obtulit

ad vitæ ſuæ periculum faciendum, ut Dei ipſius teſtimonio indubiè conſtaret, Groſſulanum *ſimoniacum eſſe per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obſequio*. Itaque ineunte hebdomada Sanctiore Anni MCIII. (non MCI., ut perperam ſcripſit Ughellus) publico ære comparata ligna ante Atrium Baſilicæ Sancti Ambroſii diſpoſita fuere hinc inde, in latitudinem decem ulnarum, atque in altitudinem ſuperiorem humano corpore, ideſt ulnarum quatuor; via verò intermedia lignis pariter ſtrata erat in latitudinem unius ulnæ & ſemis. Stato autem die, Feriâ nempe IV., ipſo præſente ac conſentiente Groſſulano, præmiſſis Sacris cæremoniis, quæ in hiſce Judiciis ex more adhibebantur, intrepidus in ignem ſe conjecit Liprandus Sacerdotalibus indumentis ornatus. Tum verò recedentibus hinc inde flammis, quaſi tramitem ad exitum commonſtrarent, candentes prunas veluti mollem arenam calcavit, ſeque illæſum in tuto poſitum reperit, ne attactis quidem aut denigratis Sacris veſtibus lineis ſericiſque. Hujuſmodi Judicia vigebant illâ ætate, & non tam Statutis Judicum ſed etiam Archiepiſcoporum Mediolanenſium præſcripta erant, ut involuta ambagibus veritas eluceret. Extat MStus Codex in Ambroſiana Bibliotheca Conſuetudinum Mediolani, Anno MCCXVI. Conſulum & Judicum auctoritate compactus, in quo de variis Judiciorum generibus agitur, *Monomachiæ* videlicet *per Campiones*, *aquæ frigidæ*, & aliorum ſimilium. Superſunt quoque in Antiphonario hujus Eccleſiæ Metropolitanæ noſtrorum Antiſtitum regulæ, obſervandæ in Judiciis *ferri candentis*. De his omnibus nonnulla expoſuimus in noſtra *Hiſtoria Literario-typographica*, ad Annum

num MCDLXXX. Plura protulit Muratorius ſæpe laudatus in Tom. III. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. DCXIII., & ſeqq.; fusè autem de his diſſeruit Edmundus Martene *de Antiqu. Eccleſ. Ritib.* Tom. II. Libr. III. Cap. VII. Perduravit mos iſte in hac Metropoli uſque ad medium Seculi XIV.; Statuta enim, eo tempore edita a Principibus ex Vicecomitum Familia, prædicta Judicia prorſus abrogavere.

Sed Groſſulanum ſequamur, qui audito clamore univerſæ Plebis, Presbytero Liprando plaudentis, Sedem Archiepiſcopalem deſeruit, & conſcenſo equo, ſeſe a Civitate proripiens Romam profûgit. Ibi non modò benignè exceptus a Paſchali II. Pontifice Maximo, verùm etiam auctus eſt honore, cujus non alterum in Hiſtoriis exemplum legimus. Siquidem (ut verbis Landulphi de Sancto Paulo utamur) *ipſe Papa Paſchalis ſuper Sedem ſuam ipſum Groſſulanum poſuit, & per quot dies ipſe Groſſulanus tunc temporis Laterani fuit, eumdem ſuper Sedem ſuam ſedere fecit, atque ipſi ſedenti ceſſit & locum dedit; ſuam quoque Curiam & omnes Cauſas Eccleſiaſticas a ſe diſcernendas & judicandas, ipſi Groſſulano ad diſcernendum & judicandum tradidit*; idque contigit Anno MCIV.

Sequente anno idem Pontifex Concilium II. Lateranenſe coëgit, ad quod convenere Groſſulanus & Liprandus, necnon Landulphus de Vareglate, aliique Suffraganei Epiſcopi, & Clerici, qui adhuc Groſſulano adhærebant. Exitus autem hujus Synodi fuit reſtitutio ejuſdem in Archiepiſcopum Mediolanenſem, ab ipſo Paſchali & univerſis Patribus decreta. Quamobrem memoratus Archiepiſcopus iter ſuſcepit, ut Sedis poſ-

poſſeſſionem reciperet. Verùm a Primoribus Cleri ac Civitatis admiſſus minimè fuit, nec ulla Arcium aut Locorum Archiepiſcopalis Menſæ poſſeſſio eidem relicta. Quinimo Collegium Canonicorum Eccleſiæ Majoris, regimen ejuſdem ſuſcepit, ac ſi Sedes vacaret, & per annos duos adminiſtravit; quod etiam facto comprobatum eſt. Cùm enim Anno MCV. in Eccleſia Sanctæ Mariæ appellatæ *ad Portam* inventæ fuiſſent inſignes Reliquiæ Paſſionis Chriſti Domini, aliorumque Sanctorum, Cardinales Metropolitanæ Eccleſiæ, & Primicerius cum univerſo Clero Feſtum diem publicis Literis indixere, VII. nempe Idus Maji, quo a ſervilibus operibus vacaret populus, non ſecus ac in ſolemnioribus diebus Feſtis, datâ etiam publicis nundinis quolibet anno a vectigalibus immunitate per octo ante, & totidem poſt dies. Statuta eſt etiam annua Supplicatio Cleri a Baſilica Æſtiva ad memoratam Sanctæ Mariæ Eccleſiam ſub nomine Feſti *Αγίων*, ideſt *Sancti Sanctorum*. Integram hanc Epiſtolam recitat Landulphus de Sancto Paulo Cap. XXII.

Conſtans indignatio, quam Mediolanenſis Civitas conceperat in Archiepiſcopum Groſſulanum, ob crimen Simoniæ quo infectum verè illum arbitrabatur, feralis occaſio contentionum & etiam cædium fuit. Cùm enim Antiſtes ille quamplures quoque ex Primoribus Viris ac Præſulibus fautores haberet, qui tamquam pro aris & focis in ejuſdem gratiam decertabant, ut Solio hujus Eccleſiæ reſtitueretur; alii verò pari nobilitate ac opulentia præſtantes Groſſulanum execrarentur, pugnatum eſt ſæpiùs, variâ exitûs conditione. Tamdem propitia ſors eò Groſſulanum adduxit, ut Aronæ

Ca-

Digitized by Google

Caſtrum aliaque Loca Archiepiſcopalis juris feliciter poſſideret. Aberat tunc Olricus Vice-Dominus, unà cum aliis Sociis ſtudiorum causâ in Gallias profectus; admonitus autem de hac Groſſulani (ùt ait Landulphus) invaſione, illico Mediolanum feſtinus advênit; cùmque collectis auxiliaribus copiis Aronam ſeſe contuliſſet, vacuam Arcem & finitima Loca a factione ejuſdem deſerta invênit. Siquidem qui Groſſulano familiares erant, eidem conſilium præbuerant iter Jeroſolymitanum aggrediendi, quod etiam admiſit perfeçitque.

Landulphus hæc ſcribens, ſequentia verba chartis commiſit: *In hac manifeſta diſpoſitione, & alia non pluribus cognita, Groſſulanus Jeroſolymitanum iter intravit.* Pagius ad Annum MCX. num. II. cenſuit, vocem illam *diſpoſitione* amanuenſis mendum eſſe, ac loco illius reponendum *depoſitione*, quemadmodum in ſuo Exemplari ita ſcriptum Puricellus teſtatur; hoc enim verbo perſpicuum fieri ait, Groſſulanum tunc ab Archiepiſcopali Sede ſeſe prorſus abdicaſſe. Verùm in geminis Exemplaribus Ambroſianæ Bibliothecæ, patentibus literis legimus *diſpoſitione*; quamobrem in incerto adhuc verſamur. Veritati tamen proximiorem eſſe lectionem noſtram ipſe Groſſulanus oſtendit, qui & antequam iter in Orientem aggrederetur, ſibi Vicarium in hac Eccleſia Ardericum Novarienſem reliquit, & redux poſt biennium ab Jeroſolymis, rectà in hanc Metropolim iter intendit, & armis etiam ingredi eam tentavit, quamvis irrito conatu, ùt infra narrabimus.

Baronius *in Annalibus* ad Annum MCXVI. nobiliori de

causa

cauſa exſtimulatum putavit hunc Archiepiſcopum ad profectionem in Jeroſolymitanam Urbem, mandato ſcilicet Paſchalis II., qui eumdem Legatum miſerit ad Alexium Comnenum, ob cauſam ſibi incognitam. Hæc opinio in alios quoque celebres Scriptores irrepſit, eamque Libris ſuis inſeruere. Verùm ſilentibus coævorum Hiſtoriis, Landulpho autem noſtro aſſerente, ſola Amicorum ſuaſione permotum Groſſulanum difficili ac longinquo huic itineri ſe dediſſe, ſatis clarè colligere poſſumus, hujuſmodi Legationem ſuppoſititiam eſſe. Sanè illam commentum vocat Pagius ad Annum MCXVI., a Leone Alatio adoptatum, & aliis paſſim. Nihilominus certum omnino eſt quod a Viris iſtis celeberrimis traditur; diſputaſſe Archiepiſcopum noſtrum coram Alexio Imperatore de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio, contra Græcos; legitur namque in Baronio fragmentum Orationis, quam habuit in ejuſdem Auguſti Principis præſentia memoratus Præſul Groſſulanus, qua egregiè argumenta omnia Doctorum Græcorum illam oppugnantium convellit. Integrum hoc Opuſculum aſſervari MStum in Bibliotheca Regia Pariſienſi, ſub titulo: *Petri Groſſulani Epiſcopi de Proceſſione Spiritus Sancti*, teſtatur Pagius loco laudato.

Sigonius *de Regno Italiæ* Libr. X., aliique recentes Auctores affirmant, a Groſſulano impoſitum fuiſſe Henrico V. Imperatori Regium diadema Mediolani, vel Modoëtiæ Anno MCX. Attamen Coronationem hanc ad fabulas rejiciendam eſſe ex eo conſtat, quòd Landulphus præſens in hac Urbe nullum de ea verbum profert; aſſerit verò, Groſſulanum menſe Aprili receſſiſſe ab hac Metropoli, ut Jeroſolymam pete-

peteret: Henricus autem ineunte Autumno in Italiam deſcendit, Donizone coævo Scriptore id expreſsè narrante. Imo cùm idem referat, exciſam ferro & flammis fuiſſe Novariam, & Mediolanenſes Henrico ipſi conſtanter obſtitiſſe, arguere poſſumus, nedum minimè coronatum, ſed nec fortaſſe etiam in Urbem noſtram admiſſum illum fuiſſe in hoc ſuo adventu in Italiam. Hinc hallucinatos credimus Ciaconium & Sigonium, qui retulere, a Groſſulano Henricum in ingreſſu Vaticanæ Baſilicæ oblatum fuiſſe Paſchali II., cùm ad Coronam Imperii poſtularet admitti; quæ enim mox attulimus de itinere Groſſulani in Orientem, ubi per biennium moram duxit, errorem evincunt; eòque etiam dilucidiùs, cùm Henricus nonniſi Anno MCXI. Imperii Coronam acceperit.

Dum Groſſulanus cum Græcis pro Catholicæ Fidei dogmate de Spiritu Sancto glorioſè contendebat, Mediolani Pars eidem adhærens ignominioſâ contentione cum altera adverſâ digladiabatur. Quandoquidem verò odia invicem fovebantur, & ſanguis Civium affiniumque infructuoſâ effuſione a frequentibus plagis manabat, quidam Ardericus de Carimate, Archidiaconus Eccleſiæ Metropolitanæ, auctoritate plurima in hac Urbe pollens, ut finem civilibus bellis faceret, meditatus eſt utramque Partem in unum conciliare. Approbatum eſt ejuſdem conſilium, ſimulque convenerunt, ut novem ex iis, qui Groſſulanum peculiari patrocinio tutabantur, totidemque alii, qui eidem obſtabant, coram Metropolitanæ Baſilicæ Canonicis Ordinariis, & reliquo Clero, necnon Primoribus Nobilium, & Populi, judicium facerent, utrum Groſſulanus abſens poſſet eſſe Archiepiſcopus Mediolani, necne; præſtito etiam ab om-

nibus juramento ſtandi Sententiæ, quam illi decemocto Viri protuliſſent. Itaque ſtatuta eſt dies Calendarum Januarii Anni MCXII., qua illuceſcente, & Arderico ipſo cum Vice-Domino ſuggeſtum conſcendente definitum eſt in hæc verba: *Nos ſalvâ reverentiâ Papæ, ſecundùm auctoritatem & juſtitiam Canonum dicimus, quòd Groſſulanus non poteſt eſſe Archiepiſcopus Mediolani*; atque a cunctis hoc confirmato, in Jordanum de Clivi Presbyterum ſuffragia converterunt, eumdem Mediolani Archiepiſcopum deligentes, conſentiente poſtmodum Summo Pontifice.

Semen tamen aliquod diſcordiarum adhuc remanſerat; quamobrem cùm Anno ſequente MCXIII. Groſſulanus Jeroſolymis reverteretur, & intellectâ Jordani ſubſtituti electione, in hanc Metropolim greſſus dirigeret (quod certè abdicationem Mediolanenſis Præſulatûs non ſapit, ùt ſuperiùs contra Pagium dicebamus) occurrêre illi, qui obſtinati in ejus obſequio erant & dilectione, eique hoſpirium paraverunt in Turri, quæ imminebat Portæ, appellatæ *Romanæ*, juxta parvam Ædem Sancti Victoris. Qua re cognitâ a ceteris Civibus, illuc plurimi accurrerunt, & gravis pugna commiſſa eſt tanto ardore, ut egredi coactus ſit Groſſulanus, prorſus expulſus. Placentiæ igitur domicilium ſibi ſtatuit in Monaſterio Sancti Marci, Congregationis Vallis-Umbroſæ.

Tertio poſt anno, ideſt Anno MCXVI. Paſchalis II., ut utriuſque Archiepiſcopi Cauſa expenderetur, Concilium Lateranenſe indixit, ad illud advocans Jordanum, & Groſſulanum, qui Pontificiis mandatis illico paruere. Cùm ergo collecta eſſet Synodus, ſedit Jordanus, nullo intermedio, ad dexteram Paſcha-

chalis, Groſſulanus verò ultimo poſt Archiepiſcopos loco, ſed ante alios Epiſcopos. Agitata eſt per quinque dies illius Cauſa, ipſomet egregium ſuî patronum agente. Demùm Summus Pontifex doctrinam & eloquentiam Groſſulani commendans, ſimulque mentionem faciens experimenti ignis, a Presbytero Liprando editi, & ea etiam quæ in Concilio Anni MCV. acciderant commemorans, Sententiam tulit, Synodo univerſa conſentiente, in hunc modum, ab Abbate Urſpergenſi deſcriptum *in Chronica*, ad Annum MCXVI.: *Translationes Epiſcoporum duobus fieri modis, neceſſitate, vel utilitate; hujus autem translationis Groſſulani, quæ videbatur, utilitatem, in animarum & corporum damna converſam*: Proinde ad Epiſcopatum Saonæ remittendum Groſſulanum, Jordanum verò ab ipſo approbatum Archiepiſcopatui Mediolanenſi dandum decrevit.

Abſoluto Concilio Groſſulanus, loco reſtituendi ſe Saonenſi Eccleſiæ eamque adminiſtrandi, Romæ perſtitit, Dignitatem Epiſcopi ſervans, hoſpitiumque elegit in Domo Sancti Sabæ, quæ olim a Græcis Monachis incolebatur. Ibi autem Anno MCXVII. extremum ſpiritum Deo reddidit VIII. Idus Auguſti, poſt annum unum, & menſes quatuor moræ habitæ in eo Monaſterio. Catalogus antiquus Metropolitanæ Eccleſiæ annos VII., & menſes IV. regiminis Groſſulano attribuit; noſter verò, quo hactenus uſi ſumus, ad annos IX., & menſes IV. illud extendit. Conciliari tamen invicem poſſunt, ſi dicamus, in primo connotatum fuiſſe tempus reſtitutionis Anno MCV., cùm antea putaretur Sedes vacaſſe; in altero autem initos fuiſſe calculos ab electione, nempe ab Anno MCII., uſque ad MCXII., quo electus eſt Jordanus.

Digitized by Google

Sepulcrum recepit in eodem, ubi degebat Cœnobio. Scriptores noſtri Galeſinius, Boſſius, aliique paſſim aſſerunt, tumulatum fuiſſe Groſſulanum Romæ, ad Sanctum Sebaſtianum; ſed falsò, quemadmodum Puricellus ex vetuſtis Hiſtoriis & Catalogis ſolidè probat *in Vita Sancti Herlembaldi* Cap. LXXX. Epitaphium ejus Sepulcro appoſitum recitat idem Puricellus *in Monum. Baſilicæ Ambroſ.* num. CCCXXVI., quod nos ex illo tranſcribimus.

INSUBRIUS PATRIÆ CHRYSOLAUS GENTIS ALUMNUS
AMBROSIÆ PRÆSUL RELLIGIONIS ERAM:
ROMANA LASSO PRO TE, NON ITALA TANTUM
LUSTRATA EST OMNIS PARRHASIS ORA MIHI:
INVIDA MORS MERITUM NIHIL EST QUOD TOLLIS HONOREM;
PENSATA ÆTERNIS SUNT MEA DAMNA BONIS:

Vir fuit eximiis animi dotibus ornatus, niſi eas plurimùm denigraſſet impotens dominandi libido. Ceterùm Theologicis Scientiis, Sanctorum Patrum & Canonum ſtudio, Latinæque ac Græcæ Linguæ peritiâ illa ætate excelluit, ùt docent Libri ab eo editi, quorum Catalogum texuit Tritemius, & ex eo Baronius.

Monere hoc loco Lectorem opus eſt, ne ſe in errorem abduci ſinat a Galeſinio, qui de Chryſolao, ſeu Groſſulano agens in Tabula Archiepiſcoporum Mediolanenſium hæc habet: *Henrici I. Imperatoris opibus adjutus Eccleſiam Mediolanenſem occupavit, pulſo inde Anſelmo, eoque nomine apud Paſchalem II.* Pon-

Pontificem accuſatus Romam venit. Sanè una iſta periodus pluribus ſcatet mendis contra hiſtoricam veritatem. Primò namque Henricus I. Imperator ultra centum annos a Groſſulani Præſulatu diſtabat; in Henricum autem IV. per viginti annos conjuraverant Mediolanenſes, ab Anno nempe CMXCIII.; neque amplius ille in noſtrorum Antiſtitum electionibus immiſcere ſe potuit. Erroneum quoque omnino eſt, pulſum fuiſſe ab Archiepiſcopali Sede Anſelmum, cùm, ſicuti vidimus, conſtitutus Groſſulanus ab eodem fuerit in hac Diœceſi Vicarius, antequam peregrinationem in Syriam Anſelmus ſuſciperet; nec inde umquam redierit, Conſtantinopoli moriens. Quòd verò eo nomine accuſatus Groſſulanus apud Pontificem Paſchalem II. fuerit, nemo hactenus ſomniavit; de Simonia namque tantummodo, fortaſſe cum Optimatibus aliiſque Electoribus exercita, qui poſtmodum in ejuſdem favorem pertinaciter uſque ad ſanguinem perſtitere, querimoniæ Romam delatæ ſunt, ſumptumque ignis Judicium, quemadmodum ſuperiùs narravimus.

JOR-

J O R D A N U S.

ELectum fuiſſe Jordanum de Clivi Anno MCXII. Calendis Januarii, in Groſſulano jam adnotavimus. Emendandus igitur eſt Calchus, qui id contigiſſe ſcribit biennio ante, nempe Anno MCX. Vocati ſunt poſtmodum Suffraganei Epiſcopi, ut ejuſdem Ordinationi intereſſent; Mamardus autem Taurinenſis Romam contendit, Pallium a Summo Pontifice impetraturus, illudque obtinuit, eâ tamen conditione, ut Jordanus antequam eo indueretur, ſacramentum præſtaret. Quod eſſet hoc ſacramentum, Landulphus non exprimit; attamen conjectare poſſumus, fuiſſe ſacramentum fidelitatis erga Romanam Eccleſiam in ea rerum perturbatione, in qua plures Henrico V. Imperatori adhærebant, adeòque jura Epiſcopatûs ab eodem Imperatore poſtulabant. Neque hoc caret exemplo; Innocentius namque II. in Concilio Piſano ſacramentum a Robaldo, Archiepiſcopo Mediolani electo exegit, antequam illum confirmaret. Renuit Jordanus oblatum a Mamardo Pallium induere; demum poſt ſextum menſem paſſus eſt, illo ſe ornari. Sequenti menſe poſt electionem ſuam in Eccleſia Hyemali, ſacro Chriſmate inunctus fuit ab Arialdo Januenſi, & Mamardo Taurinenſi Epiſcopis; Landulpho de Vareglate Aſtenſi Antiſtite adſtante quidem, non tamen ùt Epiſcopo, ſed ſpectatore: Reliqui verò Suffraganei Præſules Conſecrationi intereſſe minimè voluerunt, acti metu Henrici Imperatoris,

toris, qui auctoritatem inveſtiendi Epiſcòpos, tot Summorum Pontificum & Conciliorum Decretis abrogatam, mordicus adhuc ſibi arrogabat. Inter ceteros Azo Aquenſis pertinaciter obſtitit, ſeque incentorem conſtituit tumultuum & cædium, quæ ſubinde Urbem noſtram luctu & ſanguine repleverunt. Teſtis factioſi hujus animi eſt Epiſtola, quæ legitur in Codice Udelrici Bambergenſis, ab Eccardo vulgato, in Tom. I. *Scriptorum Medii Ævi*. Miſſa autem illa eſt ad Henricum Imperatorem his inter alia verbis pag. CCLXVII. *Mediolanenſes quemdam Archiepiſcopum* (ideſt Jordanum) *elegerunt, & a quibuſdam Parochianis ſuis* (intellige Suffraganeos Arialdum Januenſem & Mamardum Taurinenſem) *eum conſecrari fecerunt; quod ego videns contra Imperii veſtri honorem fieri, omnino interdixi, & licèt ab ipſis multùm rogatus, hujuſmodi Conſecrationi intereſſe, nec aſſenſum præbere volui; imo dedi operam erigendi magnum parietem populi contra populum ſub occaſione cujuſdam alterius Archiepiſcopi* (ideſt Groſſulani) *quem pars illorum intendit deponere, Viri ſcilicet perfectiſſimè literati, & ingenio aſtutiſſimi & eloquentiſſimi, Curiæ veſtræ valde neceſſarii, cujus partem propter honorem veſtrum tantum auxi, quòd medietas populi contra medietatem populi contendit. Nunc itaque videat pietas veſtra, ſi ad hoc velitis me laborare, ut & populus ille maneat diviſus, & antiquus ille Archiepiſcopus a veſtra Majeſtate adjuvetur, ſcribendo præcipite; quoniam quidquid mandaveritis & de his, & de aliis fideliter implere ſtudebo* &c. An & quid reſcripſerit Imperator, adhuc in tenebris latet.

Pontificatûs ſui initia illuſtria reddidit Jordanus, pacto cum

cum Papienſibus & Mediolanenſibus fœdere; eique ſtatuendo conſenſum ſuum præbuere ambo Antiſtites Jordanus Archiepiſcopus, & Bernardus Ticinenſis. Sed amicâ pace, quam cum Exteris ſancivit Præſul noſter, frui minimè potuit in hac ipſa Metropoli. Siquidem cùm redux ab Oriente Groſſulanus Anno ſequente MCXIII. Portæ Romanæ immineret, & ingreſſum ſibi aperiret armis Civium qui eumdem patrocinio ſuo fovebant, manus conſerere debuit ad Sacram Sancti Joannis Ædem, appellatam *ad Concham*, ut Æmulum ſuum progredi tentantem e mœnibus exturbaret longèque propelleret. Nihilominus, eo etiam abſente, quies nulla Jordano fuit, vigentibus ferme quotidie inter adverſas factiones frequentibus præliis per biennium; donec Paſchalis II., coacto Lateranenſi II. Concilio, ferale hoc incendium prorſus extinxit, depoſito ab hac Sede Groſſulano, & ad Saonenſem ſuam Eccleſiam recedere juſſo; confirmatoque Jordano, ùt ſuperiùs innuimus.

Actis a Præſule noſtro in Synodo prædicta demiſſiſſimis gratiis, ab eodem Summo Pontifice erectus Paſtoralem virgam recepit; ſequenti verò die Brixienſem Electum, nomine Villanum, in Epiſcopum conſecravit, Armano ejuſdem Urbis Antiſtite depoſito ab illa Sede, quibus de Cauſis Hiſtoriæ ſilent. Eodem anno Româ Mediolanum reverſus Jordanus mandata implevit, quæ ab Apoſtolica Sede injuncta eidem fuerant, & a Cardinali Joanne Cremenſe admonente receperat, ut videlicet Henricum Imperatorem, reum perpetrati ſacrilegi criminis ob conjectum in vincula Summum Pontificem & Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, publicè ferali ana-

anathemate perculſum denunciaret. Itaque conſcendens Archiepiſcopus Sanctæ Theclæ ſuggeſtum, coram univerſo Clero & populo eumdem a Catholico corpore conſuetis Eccleſiæ diris, veluti putidum membrum reſcidit.

Sequens Annus MCXVII. infauſtus Italiæ fuit ob inſolita prodigia in aëre, in aquis, in montibus, in planitiebus ac ſilvis viſa, auditaque ſubterranea tonitrua magno cum populorum terrore, quæ iram Dei flagello armatam Civitatibus oſtendebant. Inter cetera terræmotus ingens, tertio Januarii die cœptus hanc Metropolim adeò concuſſit, ut non tam Domus & Palatia, ſed Eccleſiæ ipſæ auguſtiores in ruinam deciderint, quemadmodum Landulphus præſens tunc infortuniis quæ accidebant, non ſine lacrymis teſtatur. Peculiare eſt quod Rogerius de Hoveden, æqualis iis temporibus narrat, quadraginta nempe dierum ſpatio concuſſam fuiſſe Langobardiam; de noſtra verò Urbe hæc tradit: *Viri Mediolani Patritiæ dignitatis, dum de Republica tractantes ſub una reſiderent Turri, auribus omnium vox foris inſonuit, unum ex illis nomine vocans, & feſtinatò exire rogans; quo tardante, perſona quædam apparuit, quæ vocatum Virum, ut egrederetur obtinuit. Exeunte illo, Turris repentè cecidit, & omnes qui ibidem erant caſu miſerabili oppreſſit*. In hac animorum perturbatione publicaque calamitate Provinciale Concilium convocandum cenſuit Jordanus. Itaque miſſis nunciis Suffraganeos ſuos invitavit, ut Mediolanum concederent; illique reſtitutâ jam telluri quiete, & temperato pavore præteriti infortunii in unum convenere. Landulphus de Sancto Paulo innuit tempus, quo celebratum eſt hoc Concilium;

ait

ait enim, *poſt hoc Colloquium, & tempus terræmotûs, non ultra decem menſes & dimidium, Paſchalem ſupervixiſſe*. Cùm ergo certum ſit, diem obitûs Summi illius Pontificis fuiſſe vigeſimum primum Januarii, Anni MCXVIII., inito calculo aſſignare poſſumus celebrationi noſtri Concilii finem Februarii, aut initium Martii anni præcedentis.

Collectam fuiſſe hanc Synodum in patenti *prato*, non verò in Eccleſia Hyemali, ùt mos erat, noſter Scriptor enarrat; fortaſſe ob metum, ne iterum ſubſiliret tellus, Ædeſque corruerent. Certè Landulphus tradit, nonnullis poſt diebus Jordanum veniſſe in locum, qui dicitur *Brolium Archiepiſcopi*, ibique pias aliquas Cauſas audiviſſe, cuncto populo affluente *timore ruinarum*, ut Miſſæ & Concioni intereſſet. Adfuere etiam diſtinctis Sedibus, præter Archiepiſcopum & Provinciales Epiſcopos, Conſules duo, & Judices juriſperiti, adſtante in circuitu innumera multitudine Clericorum & Laicorum, necnon mulierum quoque ac virginum *expectantium* (ùt ſcribit Landulphus): *ſepelitionem vitiorum, & ſuſcitationem virtutum*. Quid actum ſit in eo Concilio, Auctor noſter, querelis ſuis deſcribendis intentus, ſilentio præterit; ex communi tamen memorata expectatione cujuſcumque conditionis hominum conjicere poſſumus, præſcripta fuiſſe Decreta apta placandæ Supremi Numinis indignationi, & moribus imposterum neceſſariò formandis ad Catholicæ vitæ normam. In eo etiam Conventu pertractatum fuiſſe de Cauſis Civilibus arguere licet ex ipſo Landulpho Cap. XXXV., in quo refert, Calixtum II. Summum Pontificem Derthonæ commoratum fuiſſe Anno MCXVIII. circa finem Quadrageſimæ, ibique in Ra-

nis

mis Palmarum declaraſſe, conjugium initum a Guazzone Clerico, Mediolanenſis Eccleſiæ Lectore, eſſe legitimum, quod *Jordanus Archiepiſcopus cum ſuis Conſulibus in tempore terræmotus de ſuo Theatro divulgaverat eſſe adulterium*.

Comenſe Bellum, cujus feralis memoria in ore omnium viget, & in Hiſtoriis ad exemplum florentium aliarum Urbium, extremi excidii deſcriptione perennat, hoc Anno MCXVIII. exordium habuit. Cives illi viribus ſuis & Arcium munitionibus, quæ Urbem circumvallabant, nimiùm fortaſſe confiſi, violentas manus injecere in Landulphum de Carcano, Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinarium, eumque carceri mancipaverunt; Nepotes autem ejuſdem, Ottonem præſertim hujus Metropolis egregium Capitaneum, rabida aggreſſione trucidaverunt. Perlato Mediolanum inexpectato hoc nuncio, in iram exarſit populus omnis, arma & vindictam inclamans. Itaque coacto militum & Civium Conventu, actum eſt de conſcribendo Exercitu, & de movendis militaribus ſignis in hoſtes adeò præfervidos & ſuperbientes. Jordanus quoque Concionem ingreſſus, plurimùm conqueſtus eſt de irruptionibus in Eccleſiaſtica prædia, injuriiſque illatis in homines, qui Archiepiſcopali cuſtodiendo patrimonio inſerviebant; quamobrem animos jam ad ultionem paratos vehementiùs incitavit. Collecto igitur valido agmine, indictoque bello, Caſtra in Comenſi Agro non longè ab Urbe fixerunt, viâque non cuſtoditâ vallis, quæ torrenti Aperto adjacet, Comum deſcendêre; cùmque vacua defenſoribus mœnia reperiſſent, ob egreſſum copiarum, quæ in Arce Baradelli conſederant, Urbem ferro & flammis incenderunt, & Landulphum de Carcano e vinculis extraxere. Non diu tamen

ex hac victoria gloriam ſibi aucupare potuerunt Mediolanenſes; accurrentibus namque Cumanis militibus, qui proximos Colles tutabantur, intenti prædæ Cives noſtri, acri pugnâ commiſsâ, irruenti hoſti Urbem cedere coacti ſunt. Decennium ferme abſumpſit hoc Bellum, variâ hinc inde fortunâ; ſed maximâ utriuſque Partis cæde, excurrentibus undique infeſtis ſignis, & Claſſe navium in Lacu Lario ruinam Oppidis Viciſque adjacentibus inferente. Supereſt luctuoſum monumentum hujus infelicis & pertinacis odii inter æmulas Partes, in Poëmate inſcripto *Cumanus*, quod publici juris fecit Palatina Societas Tom. V. *Scriptor. Italiæ*; illudque eruditis adnotationibus illuſtravit Vir Clariſs. Joſeph Maria Stampa Clericus Regular. Congreg. Somaſchæ, Libris in lucem editis de Literaria Republica optimè meritus. In eo leguntur quæcumque in longo hoc annorum curriculo accidêre, & tamdem refertur exitialis Obſidio, qua Cives Mediolanenſes Comum vallarunt, aditum omnem ſubſidiis præcludentes, occupato etiam armatis navibus Portu. Quamobrem feſſi Comenſes diuturnis nocturniſque vigiliis, & ſpe dejecti conſervandæ Patriæ ac libertatis, conſulere ſtuduere fœminis pueriſque; ideoque excitato in Urbe magno fragore, ne obſidentes animadverterent fugam eorumdem, cum muliebri cœtu ac theſauris ad proximam Arcem *Vici* confugientes, vacua compita reliquerunt, itaut manè facto, ex ſilentio obſeſſorum, de illorum receſſu admoniti Mediolanenſes, Comum ingreſſi injectis undique flammis, veluti parato funebri rogo, omnia excidentes, nobiliſſimæ ac florentiſſimæ Urbi ſuiſmet ſub ruinis ſepulcrum præſtitere Anno MCXXVII. Reliquum decennii impenſum eſt expugnandis Arcibus in Comenſium circuitu, aut armis, aut di-

di-

ditione. Stetit ferale hoc veſtigium vindictæ & ſtrenuitatis Mediolanenſium, donec volventibus ſeſe annis, erectiſque in ſpem meliorem Civibus caritate in Patriam flagrantibus, effectum eſt, ut Novocomum e cineribus ſuis auguſtius renaſceretur.

Jordanus Archiepiſcopus, qui inter alios Proceres Mediolanenſes manum admoverat ſuccendendo huic Bello, citò naturæ debitum ſolvit, neque integro biennio ſuperſtes. Haſce autem vitæ ſuæ reliquias gravibus Sedis Romanæ negotiis abſolvendis inſumpſit. Mortuo Paſchali II., Gelaſius II. cùm Capuæ moraretur, recentiſſimè anathemate confixerat Henricum Imperatorem. Langobardiæ Principes Marchiones & Comites, Regis ſui a gremio Eccleſiæ expulſi partes firmiter tuebantur. Ad Jordanum igitur querelas de injuſtè inflicta hac pœna direxere: Is autem convocato ex univerſa Provincia altero Epiſcoporum Conventu Anno MCXVIII. Concilium celebravit. Illic adfuere memorati Principes Proceresſque, innocentiam Henrici comprobaturi, tantâque eloquentiâ peroravere, ut quamplures arbitrati ſint, Henricum culpâ carere. Non hoc tamen ſenſerunt collecti in Synodo Præſules, atque in primis Archiepiſcopus noſter, qui ſpretâ Imperatoris benevolentiâ ac Principum gratiâ, pro virili in favorem Gelaſii II. egregiè diſſeruit, protulitque ſententiam. Mortuo interim, integro nondum expleto anno, Gelaſio Calixtus II. Pontificiam Sedem tenuit, qui ſtatim in Gallias profectus, pluribus celebratis Conciliis, Romam revertebatur, ut inde eliminaret Burdinum Pſeudo-Pontificem, ſub nomine Gregorii VIII. ab Henrico intruſum. In itinere Derthonam pervênit ſub finem Quadrageſimæ Anni MCXX. Ad eum Mediolano properavit Jordanus, ipſum allocuturus de inſolentia tum Re-

Regis, tum Principum, qui in jura Eccleſiaſtica ſe ingerebant; ibique conſtitit uſque ad Calixti receſſum. Cùm autem Petrus quidam iu Epiſcopum illius Urbis delectus fuiſſet, Jordanus Archiepiſcopus cum Suffraganeis ſuis Epiſcopale Chriſma eidem adminiſtravit; qui tamen Dignitate ſua malè utens, ab Innocentio II. in Concilio Piſano exauthorari meruit ob manifeſtiſſimas vitæ culpas, teſte Ughello in Epiſcopis Derthonenſibus, num. LII.

Alterum ipſe Jordanus Epiſcopum Anno MCXVII. amovit a Cremonenſis Eccleſiæ Sede, nempe Ugonem de Noceto, antea Parmenſis Eccleſiæ Archidiaconum; eum enim Henricus Imperator, virgæ & annuli traditione, illius Urbis Antiſtitem constituerat, quemadmodum refert Landulphus noſter in extremo Capite *Hiſtoriæ Mediolanenſ.*; illique ſuffecit Obertum, ſive Ubertum, quem ipſemet conſecravit.

Recedente a Derthonenſi Urbe Calixto II., ut Placentiam adiret, Jordanus ſe Mediolano reſtituit. Attamen paucis menſibus ſuperfuit in vivis; ineunte enim Octobri ſpiritum Deo reddidit Anno MCXX, IV. Nonas ejuſdem menſis, non die VI., ùt ſcripſerunt Galeſinius & Ughellus; cùm ſediſſet an. VIII., menſ. IX., dies III. Sepultus eſt in Baſilica S. Ambroſii, juxta ſuggeſtum.

Prætereundum non eſt, plurimùm erraſſe Galeſinium in Tabula ſæpiùs memorata, dum ait, Jordanum Archiepiſcopum noſtrum *Concilio Guaſtallio, quod Pontifex* (Paſchalis II) *habuit, præſentem adfuiſſe*. Siquidem Concilium illud coactum eſt ſex annis antequam Jordanus in Archiepiſcopum Mediolanenſem deligeretur, ideſt Anno MCVI., quemadmodum Pagius adnotavit ad eum Annum, num. IV., & Labbeus in Tom. X. *Conciliorum*.

OL-

Digitized by Google

OLRICUS.

POſt Jordanum defunctum, & menſem unum, dieſque treſdecim Sedis vacantis, Olricus, aliis Henricus, ex Vice-Domino, & ſubinde Archipresbytero Eccleſiæ Mediolanenſis, Archiepiſcopali dignitate decoratus eſt die XVII. Novembris: Atque in hoc emendandus eſt Ughellus, qui eumdem electum fuiſſe in Archiepiſcopum Anno ſequenti MCXXI. tradit; multòque magis Galeſinius, qui hunc Antiſtitem ſubſtitutum fuiſſe Jordano ſcripſit ſub Gelaſio II. Summo Pontifice, creato & vitâ functo Anno MCXVIII., cùm adhuc viveret Jordanus.

Triennio poſt, ideſt Anno MCXXIII. (non XXII., ùt cenſuit Ughellus, Baronius, aliique) Calixtus II. Pontifex Maximus, Concilium indixit, Laterani celebrandum ad reformandam præſertim (ùt ait Baronius) labefactatam diuturnis Schiſmaticorum factionibus Eccleſiaſticam diſciplinam. Eidem adfuit Olricus noſter, contra quem ſæpiùs diſcuſſam ac definitam veterem controverſiam excitavit Ravennæ Archiepiſcopus, principe poſt Summum Pontificem loco ſedere præſumens. Attamen auſus iſte irritus cecidit; Olricus namque dexteram Calixti Sedem tenuit, quam proximis temporibus Groſſulanus & Jordanus (ùt oſtendimus) nullo contranitente obtinuerant, quemadmodum teſtatur Landulphus Hiſtoricus, qui in eadem Synodo Cauſam ſuam præſens agebat; ſubdens etiam, vergente ad exitum Quadrageſimæ tempore, eumdem Olricum *oraſſe pro Henrico Rege*,

Rege, *& ramos Palmarum*, *prout moris & legis conſuetudo exigebat*, *per Landrianenſem Thealdum*, *Eccleſiæ Mediolanenſis egregium Notarium*, *in Germaniam miſiſſe*. Altum eſt ſilentium in Hiſtoriis Patriæ noſtræ de hac lege & conſuetudine mittendi Ramos Palmarum ad Reges Italiæ; ſed cùm aſſerat Landulphus, illam ſuo tempore viguiſſe ex more jam indućto, de eadem dubitare vix poſſumus. Huic autem, ſive ex debito, ſive gratuitò eò libentiùs ſatisfecit Olricus, quòd in eodem Concilio firmata pax fuerat inter Sacerdotium & Imperium, teſte Pagio ad Annum MCXXIII.

Fervebat Anno MCXXV. lis acerrima inter Epiſcopos Ardericum Laudenſem, & Petrum Derthonenſem de jure, quod ambo ſibi adſcribebant ſupra Cœnobia Præcipiani & Lavianonis. Propterea cùm ad Metropolitani Olrici judicium appellaſſent, ipſe in Broleto, juxta Domum Archiepiſcopatûs judiciario more reſidens, Suffraganeis Præſulibus adſtantibus, in favorem Eccleſiæ Laudenſis ſententiam tulit. Placitum hoc Archiepiſcopi noſtri vulgavit Ughellus in Epiſcopis Laudenſibus, actum Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti MCXXV. (oſcitantiâ Typographi impreſſum fuit in Editione Veneta MCCCXXV.) menſe Decembri Indictione IV. Subſcripſere novem Epiſcopi, coram triginta quinque Teſtibus ibidem ſignatis. Hanc Chartam iterum typis commiſit Clariſs. Muratorius Tom. V. *Antiquitat. Ital. Med. Ævi*, colum. MXXVII.

Immortali memoria dignum eſt pium Inſtitutum, quod Olricus in Eccleſiam Mediolanenſem induxit, etiam antequam ejuſdem curam Paſtoralem ſuſciperet, Jordano illam admini-

ni-

niſtrante: Qua in re plurimùm aberravit Galeſinius, qui Jordanum ejuſdem Auctorem fecit, cùm illud tantùm auctoritate ſua firmaverit. Sanctus Odilo Abbas Cluniacenſis Seculo XI. vivens, ut gementibus in expiatorio igne animabus Defunctorum æternæ gloriæ poſſeſſionem Divinique Sponſi nuptias accelerarat, commendatiſſimum Opus excogitavit, Commemorationem nempe omnium Fidelium defunctorum ſtato die in Eccleſiis celebrandam. Attamen intra illius Ordinis clauſtra ſolummodo viguit hæc conſuetudo; poſtmodum verò univerſi Chriſtifideles illam amplexi ſunt, deſignatuſque eſt dies ſecundus Novembris ab Apoſtolica Sede, ut Sacrificiis precibuſque ad Deum effuſis tantæ pietatis Opus erga parentes, affines, amicos, omneſque alios in oſculo Domini defunctos, collectis in unum ſuffragiis perficeretur. Contigit hæc gloria Eccleſiæ Ambroſianæ, ut prima exemplum fraternæ caritatis in mortuos, Olrico ejuſdem Eccleſiæ Archipresbytero ritum hunc præſcribente, exerceret; quamvis alio die ſtatuto, nempe Feriâ II. poſt Dedicationem Eccleſiæ Majoris, quæ imperturbato ordine celebrata ſemper fuit tertio Octobris Dominico die. Beroldus ea ætate ſcribens Librum Cæremoniarum, *Manuale* appellatum, in paginas retulit quidquid in uſu erat tunc temporis in noſtra Eccleſia, circa Feſtorum dierum, Officiorum, & Miſſarum Solemnium celebrationem. De hoc autem Inſtituto iſta habet: „ Feriâ II. „ poſt Dedicationem Eccleſiæ inſtituit Dominus Olricus bonæ „ memoriæ Archiepiſcopus (quia poſt illam inſtitutionem, „ eam Dignitatem adeptus eſt) Commemorationem & Of- „ ficium fieri omnium Fidelium Defunctorum in Eccleſia

„ Mediolanenſi pro animæ ſuæ remedio ; quod hoc ordine „ celebratur . Finito itaque Matutino ſupradicti diei , omnia „ tintinnabula Eccleſiarum pulſantur , & Matutinum Defun- „ ctorum publicè cantatur . Simili etiam modo , facto mane , „ Miſſa ubique Defunctorum tantùm voce excelſa celebratur . „ His verò finitis , & ſonito Signo , univerſus Clerus Urbis „ convenit in Eccleſiam Æſtivam cum Præſule ſuo , ut va- „ dat cum Proceſſione in Eccleſiam Hyemalem „ ubi Sacra Solemnia ab Archiepiſcopo celebrabantur . Eleemoſynas quoque Sacris Miniſtris erogandas quotannis Olricus legavit , earumque diſtribntionem ita partitus eſt , ut Archiepiſcopus ſolidos IV. , & tantumdem Hebdomadarii cum denariis IV. , Presbyteri autem & Diaconi Cardinales per unumquemque denarios VI. haberent &c. Tunc namque monetæ valor , longè noſtræ ætatis æs & argentum pretio ſuperabat . Perduravit mos iſte in noſtra Eccleſia ferendi in univerſum ſuffragia Defunctorum animabus , memorato die poſt Eccleſiæ Dedicationem , donec Sanctus Carolus Borromeus Anno MDLXXXII. diem ſecundum Novembris fixit , ratus magis proficuum fore , ſi unà cum Romana Eccleſia , Mortuorum Officium decantaretur , & conjunctis piis operibus Sacrificiiſque , plenum levamen degentibus in luſtrali igne Animabus a piiſſimo Domino omnes Chriſtifideles deprecarentur .

In aſſignando mortis Olrici anno perturbatam admodum Seriem Mediolanenſium Antiſtitum conſpicimus , cùm varii varias proferant opiniones . Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. CCCXXXV. , Sigonium pluresque alios ſententiæ ſuæ fautores enumerans , mordicus tenet , deceſſiſſe Olricum

Anno

Anno MCXXIII. Pagius quoque eumdem Annum adnotat illius morti, licèt in utraque Editione Antuerpienſi & Lucenſi impreſſus per errorem legatur Annus MCXXII., cùm ipſe Pagius fateatur, Olricum interfuiſſe Concilio Lateranenſi, celebrato Anno MCXXIII.; alii verò hujus Archiepiſcopi obitum figunt Anno MCXXIV., XXV., & etiam XXVI., ipſo Puricello adnotante. De hac controverſia fusè egimus *in Commentariis ad Landulphum de Sancto Paulo*, Cap. XXXVII., editis Tom. V. *Scriptorum Italiæ*, in quibus accuratum calculum inivimus juxta antiquos Catalogos, qui Olrici Sedi aſſignant annos V., menſes VI., dies XI; obitum verò ſtatuunt V. Calendas Junii, ideſt die XXVIII. Maji. Hinc autem retrogrediendo conſtabit, fuiſſe illum electum Anno MCXX., die XVII. Novembris, poſt menſem unum & dies treſdecim Sedis vacantis; ideòque e vivis exceſſiſſe Anno MCXXVI., die XXVIII. Maji. Papebrochius, qui optimè noverat, Catalogos omnes in hoc conſentire, quòd memoratum Olrici regiminis tempus ad annos, menſes, & dies relatos productum fuerit, ut ſententiam ſuam tueretur de morte Olrici figenda Anno MCXXIII., eos decurtare conatus eſt, inquiens: *videntur Scriptori Catalogi obrepſiſſe anni quinque pro duobus, itaut obierit Olricus Anno ipſo MCXXIII.* Equidem mirum eſſet, ſi omnes Catalogi veteres ac recentiores, mendaces forent, nec ullus umquam Scriptorum Patriæ mendum hoc deprehendiſſet, aut ſaltem ſuſpicio diligentiam eorumdem ad veritatem inquirendam excitaſſet. Præterea non ſoli Puricello innitendum erat, qui uni tantùm Parti, nempe Monachis Sancti Ambroſii militabat; poſtmodum enim duo

Gg 2 alia

alia Documenta emerſere, vulgata a Nicolao Sormano Collega noſtro, in Libro ſcripto *ad Concordiam in Cauſa Præeminentiæ* &c., alterum Olrici Archiepiſcopi, alterum Calixti II. Summi Pontificis, quæ data ſunt menſe Octobri, & Decembri, Anni MCXXIII., & clarè oſtendunt adhuc viventem Olricum poſt Majum menſem, cui etiam Papebrochius affixit ejus deceſſum. Demum apud Ughellum legitur in Epiſcopis Laudenſibus Sententia lata in favorem Epiſcopi illius Urbis, cui ſe ſubſcripſit Olricus Anno MCXXV. Indictione IV., menſe Decembri. Licèt autem eidem ſubſcriptus ſit etiam Anſelmus Archiepiſcopus, facili negotio idem Puricellus nodum ſolvit *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. CVI. num. X. & ſeqq., aſſerens in exemplum binas Algiſii ſubſcriptiones, quæ in Diplomatis a Sancto Galdino manu propria firmatis extant (de quibus ſuo loco agemus); ait enim, non eo protinus tempore appoſitas Chartis fuiſſe, quo Documenta ipſa confecta fuere, ſed poſt aliquot inde annos: Fortè ſiquidem aliæ poſtea lites excitatæ ſunt, quibus e medio tollendis prodeſſet, ſubſcriptionem illam Archiepiſcopi ſuperaddi: quæ omnia aptari poſſunt Documento huic in cauſa Sententiæ ab Olrico prolatæ. Nec novum eſt antiqua verſanti Diplomata, reperire in Chartis veteribus geminas & etiam plures Archiepiſcoporum ſubſcriptiones uni eidemque pergamenæ adjectas, in confirmationem earum rerum, de quibus in illis agebatur.

Poſtrema ratio, quæ celebrium Scriptorum opinionem de morte Olrici Anno MCXXIII. prorſus evertit, teſtimonium

eſt

eſt Landulphi de Sancto Paulo, qui Cap. XXXVII. narrat, ſe cùm in Germaniam iter aggreſſus eſſet, ut felicem exitum Cauſæ ſuæ conſequeretur ab Henrico Imperatore, intellexiſſe in confiniis Epiſcopatûs Tridentini, memoratum Imperatorem vitâ exceſſiſſe, ideòque Mediolanum versùs greſſus revolvit. Dum verò in domuncula ſua morabatur, & mercenario calamo alienas lucubrationes exſcribens victum ſibi parabat, ululatum & gemitus Civium audivit, Olrici Archiepiſcopi mortem deflentium. Quamobrem ſurrexit ab officio ſuo, & properè ad Anſelmum de Puſterula perrexit, qui in Archiepiſcopum a Clero & Suffraganeis Epiſcopis delectus fuerat, poſt menſem unum ac dies duos Sedis vacantis. Vivebat igitur Olricus poſt obitum Regis Henrici: Itaque cùm notum ſit Eruditis, obiiſſe Regem illum Anno MCXXV., X. Calendas Junii, nemo non videt, dici minimè poſſe, Olricum e vita migraſſe Anno MCXXIII., niſi denegare quis velit fidem Scriptori rebus iis præſenti, & omnia prout accidebant ſincerè narranti. Imo ex ipſo Landulphi textu clarè patet, ſuperſtitem adhuc fuiſſe hunc Archiepiſcopum Anno ſequente MCXXVI.; refert enim, ſe accepto nuncio mortis Henrici ſub finem menſis Maji, cùm longè ab hac Metropoli degeret, reditum in Patriam paraſſe, ſuaque in domo quieviſſe, donec excitatus a ſingultibus Civium lugentium Paſtoris ſui feralem jacturam, ad Anſelmum Succeſſorem jam electum properavit, ejuſdem ſibi gratiam conciliaturus. Hæc autem omnia componi certè nequeunt cum die XXVIII. Maji (cui Catalogi Scriptoreſque Olrici obitum

tum concordes affigunt) Anni MCXXV. Transferenda igitur eſt mors prædicti Præſulis noſtri ad Majum anni ſequentis .

De loco Sepulcri nemo ambigit , obtigiſſe Olrico in Eccleſia Hyemali , prope ſuggeſtum .

AN-

Digitized by Google

ANSELMUS V.

SUcceſſorem Olrici habuit Eccleſia Mediolanenſis Anſelmum V., *de Puſterula* nuncupatum: In ſtatuendo tamen Anno electionis eàdem premimur difficultate, ob quam veluti ad ſcopulum alliſi inſignes etiam Viri, triennio imminutam Deceſſoris vitam voluere. Ad hunc implicandum validiùs nodum acceſſit auctoritas alterius Scriptoris, qui in Poëmate ab ipſo confecto, Comenſe Bellum deſcripſit, eique interfuit; atque inter alia, duo hæc carmina inſeruit Hiſtoriæ ſuæ poëticis numeris elaboratæ:

Qui ferus Anſelmo fuerat, tunc mittere tentant
Archiepiſcopus inthronizatus, ſed malè pactus.

Locum hunc obſcuriſſimum, qui Ædipo indigebat, illuſtrare ſtuduit eruditiſſimus Pater Stampa ſuperiùs memoratus, inquiens, ſenſum Auctoris eſſe, miſſos Legatos ad Anſelmum, Virum immitem, qui tunc videbatur *inthronizatus* Archiepiſcopus Mediolanenſis, ſed malis pactionibus; ſeu (ùt Clariſs. Muratorius dilucidiùs explicat in Præfatione ad prædictum Poëma) *malè pactus*, quia ùt arbitratur inconſultâ, imo adverſante Romanâ Curiâ ſe tamquam Archiepiſcopum gerebat, intactâ tamen auctoritate ac reditibus Olrici viventis; veritati namque a nobis hactenus propugnatæ obſequens, profeſſus ibidem eſt, Olricum verè obiiſſe Anno tan-

tùm

Digitized by Google

tùm MCXXVI. Quocirca ut Partem utramque diſſidentem conciliaret, hanc ſibi cogitationem in mentem induxit atque etiam edidit, triennio nempe poſt Annum MCXXIII. ſuperfuiſſe Olricum, Anſelmum verò electum fuiſſe Archiepiſcopum, ùt vocant *Coadjutorem*. Hiſce omnibus reſponſum jam dedimus in *Commentariis* tum *ad Landulphum de Sancto Paulo*, tum ad Sigonium *de Regno Italiæ*. Ne igitur Lectorem fatigemus, ea regerendo in hunc Librum, quæ jam vulgavimus, pauca ſubjungimus; videlicet diversâ methodo incedere Hiſtoricum, ac Poëtam, nec eamdem fidem mereri in ſingulis verbis unum, & alterum: Novimus namque, Poëtæ ludentis arbitrium hoc eſſe, ut res etiam veras figuratè exprimat, ac metaphoris involvat. Quo poſito, quis nobis vadem ſe præbeat, Anonymum Comenſem voluiſſe nobis depingere Anſelmum ea Dignitate prorſus ornatum, qua verè (ùt creditur) ſulgebat; an potiùs ejuſdem ſuperbiam exprobrare, qua, Olrico in Lateranenſi Concilio Romæ ſedente, ſe gereret Mediolani veluti *Archiepiſcopum inthronizatum, ſed malè pactum*, ideſt omni fundamento prorſus carentem; fortaſſe enim in ſuî abſentis vicem eidem Olricus injunxerat, ut Comenſe Bellum urgeret. Profectò divinando hæc proferimus, cùm nota minimè ſit Poëtæ intentio. Certè hoc abſonum non eſt à mente & ſtylo Poëtæ. Subinde quomodo jam evectum Anſelmum ad Solium referre poterat Anonymus, cùm fatente Clariſſimo Muratorio poſſeſſionem Archiepiſcopatûs inire non poſſet, reluctante Curiâ Romanâ? Qua demum obſiſtente ratione rem tanti momenti ſilentio contegere debuiſſet Landulphus, qui Condiſcipulum in

ſtudiis

ſtudiis Anſelmum habuerat atque ad eum, ſtatim ac mortuo Olrico delectus eſt in Archiepiſcopum, advolaverat, ùt ſuperiùs jam diximus? Aut quid opus erat convocandis Epiſcopis Suffraganeis, ut alterius Antiſtitis poſt Olrici deceſſum electionem curarent, ſi jam & *Archiepiſcopus* & *inthronizatus* Sedis ſuæ ſecurus erat Anſelmus? Addimus quoque, novam prorſus eſſe vocem hanc Archiepiſcopi *Coadjutoris*, a laudato Muratorio adinventam, cujus nullum omnino veſtigium occurrit, in univerſis Præſulum Mediolanenſium Catalogis, ac Scriptoribus Rerum noſtratum. Exemplum autem Algiſii ſubſcribentis ſe titulo Archiepiſcopi, viveute adhuc Sancto Galdino, quod unicum profert in tot Seculorum, quæ ad hunc diem fluxerunt, intervallo, non modò levi manu evertitur juxta Puricelli doctrinam, paulo ante allatam in Documento ſubſcripto a duobus Archiepiſcopis Olrico, & Anſelmo; ſed etiam veritati omnino repugnat, cùm (ùt ſuo loco oſtendemus) diſputatum diu ſit poſt Sancti Galdini obitum, quis ad Archiepiſcopale Solium promovendus eſſet, in Archipreſbyterum partim, partim in Archidiaconum conſpirantibus ſuffragiis; Algiſio ne quidem propoſito, niſi ut contentio diuturna dirimeretur. His ita per compendium expoſitis, judicium Lectori relinquimus, cui magis fidendum ſit, Landulpho-ne Hiſtorico, aut Anonymo Poëtæ, ambobus ſynchronis Scriptoribus, ſed diverſimodè illius temporis res geſtas narrantibus. Nos certè in ea ſententia conſiſtimus, Anſelmum haud electum fuiſſe, niſi poſt obitum Olrici Anno MCXXVI. Id autem dilucidiùs firmatum oſtendemus infra, cùm de annorum ſpatio, quibus Anſelmus Eccleſiam Medio-

lanenſem rexit, ſermonem habebimus.

Statim ac promotus eſt Anſelmus ad Ambroſianam Sedem ſuffragiis Epiſcoporum Provinciæ, Clerique & populi, ut adnotavimus, Romam ſe contulit, ut Stolam ſeu Pallium obtineret, reluctante licèt univerſa hac Metropoli, ne antiquum decus Ambroſianæ Eccleſiæ imminueretur, illud recipiendo e manibus Summi Pontificis. Ibi Anſelmum egregiè propugnaſſe Eccleſiaſticas conſuetudines & decora Mediolanenſis Archiepiſcopatûs coram Honorio II. Pontifice Maximo & Cardinalibus, teſtis eſt Landulphus Cap. XXXVIII. Cùm autem de Pallio a memorato Summo Hierarcha ſuſcipiendo actum eſt, Honorio illud ultro offerente, intrepidè abnuit, & abſque hoc ornamento ſe Mediolano reſtituit. Ambigente tamen Clero populoque, an ille ſecretò violaſſet Ambroſianæ Eccleſiæ veterum conſuetudinum prærogativas, antequam Solium conſcenderet, publicis in Tabulis jurare coactus eſt Anſelmus, ſe non acceptando Pallium a Pontifice oblatum, eaſdem Romæ intactas ſervaſſe.

Præſtat hìc referre quod in Commentariis ad dictum Landulphi Caput attulimus, ut de hac re lumen aliquod hoc etiam loco affulgeat. Conſuetudo honorque Archiepiſcopalis ſuæ Dignitatis, quam apud Honorium & Cardinales præcipuè defendebat Anſelmus, ea erat, qua donatam fuiſſe antiquitus Mediolanenſem Eccleſiam ex Hiſtoriis colligimus, ut videlicet Pallium a Summo Pontifice, nonniſi per Legatos miſſum, acciperet. Id in uſu poſitum reperimus uſque ab Anno DXCIV., quo Indictione XII. ſcribens Sanctus Gregorius Magnus Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi, Epiſtola I. Libr.

Libr. IV. hæc habet: *Præterea Pallium ad Sacra Miſſarum ſolemnia utendum, ex more tranſmittimus*. Seculo X., Anno circiter CMXXX. conſervatam hanc honoris prærogativam Mediolanenſi Archiepiſcopo legimus *in Hiſtoria Leodienſi*, in qua Ratherius Veronenſis primò, ac dein Leodienſis Epiſcopus in Epiſtola ſua teſtatur, Hilduino Antiſtiti noſtro Pallium detuliſſe, a Joanne XII. ad eumdem tranſmiſſum. Proximè verò ad hunc Anſelmum, peculiaris decoris teſtimonium receperat ab Urbano II. Arnulphus hujus nominis III., nec non Anſelmus de Buis, & a Paſchali II. Groſſulanus atque Jordanus, ut Landulphus ſuperiùs narravit. Quanti autem momenti decus hoc foret, ex Baronio intelligere poſſumus, qui ad Annum MLXX. refert, Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo petenti, ut ab Alexandro II. Pallium mitteretur, negatum id fuiſſe, atque ab Ildebrando Archidiacono, poſtea Gregorio VII., in hæc verba reſcriptum: *Neceſſarium nobis videtur, vos Apoſtolorum limina viſitare*. Præclarius eſt quod in Epiſtola ſua apud Papebrochium *in Exegeſi*, num. CII. ad Arnulphum præmemoratum ſcribit Urbanus II.: *Pallium Fraternitati tuæ, præter conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, quæ nulli hoc Dignitatis genus, niſi præſenti, concedit, Literis tuis exoratì ex Apoſtolicæ Sedis benedictione tranſmittimus*. De ſingulari hac prærogativa adeò tenaces fuere etiam poſt Anſelmum Cives Mediolanenſes, ut cùm electus in Archiepiſcopum ſuum Robaldus, Piſas ad Innocentium II. ſe contuliſſet, ad juramentum fidelitatis eidem præſtandum, ipſique Summus Pontifex Pallium offerret, ab illius præſentia receſſerit, ac Mediolanum reverſus fuerit,

 non

Digitized by Google

non modicâ Innocentii indignatione, quem poſtea Sanctus Bernardus Abbas Claravallenſis pacatum reddidit, obtinuitque ab eodem Pontifice, ut ad hanc Metropolim Pallium remitteret, quemadmodum infrà patebit.

Fauſtiſſima contigere Anſelmo Archiepiſcopatûs initia; redux namque a Romanâ Urbe exceptus eſt a Mediolanenſibus Civibus, eximiis benevolæ venerationis ſignia; præſtitoque jurejurando, a ſe ne latum quidem unguem læſum fuiſſe Ambroſianæ Eccleſiæ honorem, ſolemni pompâ deductus eſt ad Solium Pontificium Mediolanenſe, atque ad omnium Arcium & Oppidorum ejuſdem Menſæ pacificam poſſeſſionem, juxta Catalogorum fidem. Ipſi etiam obtigit propitia fors conſummandi obſtinatiſſimum Bellum contra Comenſes, glorioſâ de illis relatâ victoriâ, dirutâque funditus eorum Urbe, ac ſpoliis opimis Mediolanum advectis Anno MCXXVII. Sequenti autem Anno illuſtri honore cumulatus eſt, Italici Regni Sertum imponendi Conrado in Italiam advenienti. Nec unâ tantùm vice; Landulphus enim de Sancto Paulo, qui præſens erat huic Celebritati, ſcriptum reliquit, memoratum Principem primò fuiſſe Modoetiæ Coronâ ferreâ redimitum, ſeque virgam Paſtoralem in ſolemni Supplicatione detuliſſe ab Eccleſiâ Sancti Michaëlis, uſque ad alteram Sancti Joannis Baptiſtæ, ubi Conradus diadema & Sacram unctionem ab Anſelmo recepit in Feſto Sancti Petri Apoſtoli. Poſt aliquot ſubinde dies, altera inſtituta eſt Celebritas Mediolani in Sancti Ambroſii Baſilica, in qua, plaudente populo, iterum coronatus acclamatuſque eſt in Regem Italiæ.

At-

Attamen citò evanuit tranquilla hæc dierum ſerenitas, converſâ in luctum lætitiâ, plauſuque in opprobrium, ſeu potiùs execrationem. Etenim cùm prædictus Conradus aliena jura invaſiſſet, & debitam Lothario (legitimis ſuffragiis ac Honorii II. approbatione delecto ad Imperium Regnumque Germaniæ Anno MCXXV.) reverentiam contumaci rebellione denegaſſet, ejus Imperium ſibi arrogans, idem Summus Pontifex illum repulit a Romanæ Urbis ingreſſu, anathematis telo confixum. Eadem quoque adverſa fortuna Anſelmum Archiepiſcopum afflixit; Joannes namque Cardinalis Cremenſis, jubente Honorio, Concilium Provinciale Papiæ convocavit, ad quod Anſelmum in Caſtello Eccleſiaſtici ſui juris morantem accivit: Cùmque nonniſi per Legatos Concilio intereſſe voluiſſet, Papienſis, Cremonenſis, Novarienſis, & aliarum Civitatum Epiſcopi, qui pro Lothario ſemper ſteterant, inclamantes, Coronationis opus ab Anſelmo peractum, contrarium eſſe Deo & magno Regi Lothario, Nuncios ab illo miſſos rejecerunt, ipſumque Anſelmum auctoritate Joannis Cremenſis Cardinalis, excommunicationis pœnâ multavere, ſicuti narrat Landulphus; qui tamen ſubdit, catholicam reverentiam a Mediolanenſibus exhibitam fuiſſe Anſelmo, donec in vivis fuit Honorius Pontifex Maximus. Celebratum eſt hoc Concilium Anno MCXXIX., non verò præcedente, ut Pagius tradit; ejuſdem namque mentionem minimè agit Landulphus, niſi poſt relatum Conradi diſceſſum ab Italia, qui contigit ſub finem Anni MCXXIX., quo moratum illum fuiſſe in Italica regione ex Diplomatis conſtat; & valde credibile eſt, nonniſi expulſo ab Italia Conrado,

rado, proceſſiſſe Honorium ad plectendum Anſelmum illius fautorem.

Parvo tempore ſuperſtes fuit Honorius II., ereptus e vivis Anno MCXXX., XVI. Calendas Martii. Sequenti die poſt ejus mortem, ideſt XV. Calendas Martii electus fuit in Romanum Pontificem Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli, ſub nomine Innocentii II., Vir tantâ morum integritate conſpicuus, ut *unicus unicæ Dignitati Divinâ jam videretur providentiâ præformatus*, ut verbis utamur Arnulphi Sagienſis Synchroni, editi Tom. III. *Rerum Italicarum*. Sed minimè quieta electio fuit: Exortum namque eſt nefandum Schiſma, quod Eccleſiam Dei ſummopere perturbavit. Siquidem poſtridie Innocentii electionem, ideſt decimoſexto Februarii die, in Cathedram Apoſtolicam intruſus eſt Petrus, Petri Leonis filius, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim, flagitiis omnibus deturpatus (ut idem Arnulphus Cap. III. ſcribit) *Anacletus II.* dictus, Pſeudo-Papa. Anſelmus Archiepiſcopus, qui ab Honorii manibus Pallium ſumere detrectaverat, illud recepit a Schiſmatico Anacleto, miſſum per ſuos Legatos a Landulpho deſcriptos: Ipſe verò coram univerſo populo & Clero, ut obtenti ab hoc Pontifice adulterini honoris pompam ageret, publicè illud e manibus Legatorum accepit induitque. Addit Oldoinus, Anacletum, qui ut ſe in Pontificia Dignitate firmaret Amicos quamplurimos aggregare ſtudebat, retuliſſe quoque Anſelmum ſuarum partium fautorem in Pſeudo-Cardinalium numerum Anno MCXXXI., menſe Decembri. Facilè allici ſe paſſus eſt ab Anacleti favore ad ejus obedientiam Anſelmus

Digitized by Google

mus; quinimo (ut tradit Sigonius) & Mediolanenſes Cives, & plerosque Langobardiæ Epiſcopos in ejuſdem partes trahere contendit, ſed exitu infelici. Siquidem cùm plures ex Primoribus Metropolitani Cleri, Decumanis, & Sacerdotibus cœpiſſent Conradi & Anacleti cauſam latenter deridere ac ſpernere, Anſelmus Archiepiſcopus admonitus, atque acri in eos odió exſtimulatus, ab Eccleſiæ gremio illos ſegregavit, excommunicationis telum publicè in eoſdem contorquens, e ſuggeſtu Eccleſiæ Sanctæ Theclæ.

Non tulit injuſtè illatum hoc probrum Major Ordo Metropolitanus, & reliquus Clerus Mediolanenſis. Quamobrem cùm Anſelmus Archiepiſcopus ad Populi adhuc Conrado & Anacleto faventis Concionem provocaſſet, Archipresbyter, nomine Guandeca, cum ceteris patenti ore verba hæc a Landulpho relata, in Archiepiſcopum converſus pronunciavit: *Tu es hæreticus; perjurus, ſacrilegus, & aliis criminibus, quæ non ſunt hic notanda, es reus*; ſeque paratum aſſeruit, omnia de quibus illum exprobraverat, comprobare, edito ſuper Codicem Evangeliorum, quem manu tenebat, juramento coram Provinciæ Præſulibus. Placuit utrique Parti Synodi convocatio. Quapropter advocatis in hanc Metropolim per Conſulum nuncios reliquis Epiſcopis, acclamatum eſt omnium vocibus, expellendum a Sede Urbeque Archiepiſcopum. Diſſoluto autem Conventu quiſque ex Suffraganeis Epiſcopis ad Sedem ſuam rediit; Anſelmus verò per Caſtella & Vicos Eccleſiæ Mediolanenſis extorris oberravit. Hujus infortunii Epocham figit Pagius Anno MCXXXIII., quidquid in contrarium ſtatuant Puricellus & Papebrochius, biennio inter ſe diſſentientes.

In-

Digitized by Google

Interim Innocentius II. Generale Occidentis Concilium Piſis congregavit ; ſtatimque illuc confluxere Mediolanenſis Cleri Primores Myſtæ , ut legitimum Pontificem Innocentium revererentur , eique obedientiam jurarent ; Summuſque ille Pontifex depoſitionem atque expulſionem ſæpedicti Anſelmi de Puſterula firmavit . Supererat Populus ad unitatem Eccleſiæ & obſequium Lotharii Imperatoris revocandus ; repudiato Conrado . Itaque Innocentius expedivit Bernardum Abbatem Caræsvallenſem , tamquam Angelum pacis , duoſque ſimul Cardinales Guidonem Piſanum & Matthæum Albanenſem Epiſcopum , unà cum Gaufrido Carnotenſi Antiſtite . Quæ fuerit Mediolanenſium Civium lætitiâ plauſuſque in tanti Viri adventu , explicari vix poteſt . Ad ſeptem uſque milliaria obviam illi occurriſſe populum , tantâ ſexûs omnis ac conditionis frequentiâ , ut triumphali veluti more excipi ac deduci in hanc Metropolim videretur , Ernaldus in ejus Vita Cap. II. Libr. II teſtatur . Longum eſſet , ſingillatim recenſere , quantum profecerit in hac Urbe Abbas ille Caræsvallenſis . Id unum ſatis ſit referre , Mediolanenſes Cives , tamquam Oves placidiſſimas , ſeſe illius ductui commiſiſſe tanta demiſſione , ut ad illius conſilium ac nutum , ejurato Schiſmate & Anacleto , ſe converterint ad Innocentium Pontificem Maximum , & Lotharium Imperatorem . Proinde per Cardinales Legatos ſublatum eſt ab Urbe Interdictum , redditus Metropoli priſtinus honor , diſrupta anathematis vincula , afflictæque Eccleſiæ noſtræ pax & tranquillitas reſtituta .

Anſelmus , dum hæc feſtivis in Civitate acclamationibus agerentur , inter triſtes ancipitis animi cogitationes fluctuabat ;

bat; cùmque ſe Dignitate exutum, abjectumque a Clero & populo inſpiceret, neſcius quò ſe verteret, conſilium a Familiari petiit, qui ei ſuggeſſit, Romam pergeret experturus, an ſub eo Cœlo ſerenius ſibique favorabilius Sidus affulgeret, Anacleto ibidem cuncta regente. Verùm ſpes iſta infelici auſpicio concepta, extremam potiùs calamitatem eidem peperit. Siquidem cùm iter ingreſſus eſſet, & per Mantuanum ac Ferrarienſem agrum Romam ire tentaret, ad Padi flumen incidit in manus Goizonis de Martinengo, captuſque tranſmiſſus eſt ad Innocentium Summum Pontificem. Quis eſſet hic Goizo, divinare non licet; veriſimile tamen videtur, fuiſſe illum qui inter Cardinales ab Innocentio II. creatos appellatur *Goizo Presbyter Cardinalis, Titul. Sanctæ Cæciliæ*, & pluribus Diplomatis ejuſdem Innocentii ab Ughello relatis ſubſcriptus legitur, atque interfuit Comitiis pro eligendo Cœleſtino II., Innocentii Succeſſore. A Piſana Urbe Anſelmum Romam remiſit Innocentius, ubi in cuſtodia poſitus, vitam & fortunas, quas ſibi auſpicabatur, amiſit.

Mortuum fuiſſe Anſelmum die XIV. Auguſti, fermè omnes Hiſtorici & Catalogi aſſerunt. De anno gravior diſſenſio eſt apud Scriptores. Triſtanus Calchus & Morigia deceſſiſſe Anſelmum tradunt Anno MCXXXIII.; ſequentem ejuſdem morti aſſignant Puricellus, Pagius, & recentiores Catalogi. Papebrochius *in Exegeſi* eam in Annum MCXXXV. conjicit; neque enim (ùt ipſe ait) videtur, res tot tantaſque a Landulpho narratas perfici potuiſſe illomet Anno, quo celebratum eſt Concilium Piſanum. Nos verò ex hoc eodem Papebrochii argumento ſeriùs etiam Anſelmi obitum

protrahendum cenſemus, nempe ad Annum MCXXXVI. Nec fundamento deſtituimur; ſiquidem cùm in aſſignando regiminis tempore conſentiant Catalogi, Anſelmo tribuentes annos X., menſem I., & dies XIV., ſi calculum retro ineamus a die XIV. Auguſti, quo obiit Anno MCXXXVI., ad XXX. Junii diem Anni MCXXVI., perveniemus ad tempus, quo electus fuit poſt menſem unum & dies duos vacantis Sedis a morte Olrici. Et hoc poſito implentur prorſus anni dieſque Sedis, Anſelmo tributi.

Antequam ultro progrediamur, neceſſarium ducimus, nonnulla de Actis ac morte Anſelmi peculiariter adnotare: Tot enim commenta de Anſelmo iſto ubique in noſtris Annalibus tradita occurrunt, ut eadem ex Landulpho noſtro emendare opus ſit, ne poſteritati amplius imponant. Coronatum ab Anſelmo Mediolani Lotharium Imperatorem refert Calchus ad Annum MCXXIII., & fidentiſſimè Zucchius etiam Modoëtiæ, teſtem producens Ottonem Friſingenſem; cùm nihil tale umquam narraverit Scriptor ille, nec Lothario Anſelmus adhæſerit, Conrado addictiſſimus, atque ob id etiam a Sacris & Sede ipſa Mediolanenſi repulſus. Abſurdius eſt quod tradit Ripamontius Libr. I. *Hiſtor. Eccleſ. Mediolan.* Part. II., iviſſe videlicet Romam Anſelmum, petendæ a Pontifice abſolutionis gratiâ, ibique magnâ dignitate tranſegiſſe velut in altera Patria reliquum vitæ tempus, aſſiduum Pontifici Innocentio, qui amicè illum liberaliterque tractavit; Innocentius enim nec Romæ tunc erat, nec diu in ea Urbe ſupervixit Anſelmus, carceri mancipatus ac mortuus illomet Auguſti menſe, quo Romam fuerat Piſis tranſmiſſus.

miſſus. Quid, quod memoratus Morigia, & Catalogus inſcriptus *Succeſſores Sancti Barnabæ* teſtantur, videlicet ab Anſelmo Sanctum Bernardum ſæpenumero hoſpitio receptum, ejuſque intuitu Caræva!lenſe Monaſterium ab Anſelmo Archinto conſtructum atque dotatum? Figmenta omnia fœdiſſima hæc ſunt; cùm ex Landulpho conſtet, dejectum a Sede atque extorrem fuiſſe hunc Antiſtitem, antequam redux a Piſano Concilio Mediolanum primò ingrederetur Sanctus ille Abbas. Adde, a Calcho Anſelmum iſtum Mediolani defunctum affirmari, quo nihil a veritate magis alienum: Ut exteros Auctores prætereamus, Angelum nempe Manrique, qui *in Annalibus Ciſtercienſibus* ad Annum MCXXXIV. Cap. II. num. VII. inter alia falsò narrata de noſtro Anſelmo toto illo Capite, ſcribit, eumdem ſicuti Schiſmatis ſocium, ita Ducem pœnitentiæ Mediolanenſibus fuiſſe, unioniſque & debitæ obedientiæ perſuaſorem; imo impetratum ab ipſis, ut in Sede reſtitueretur: quæ quomodo cum Auctoris noſtri, de re ſibi præſente ſcribentis, Hiſtoria componi poſſint, prorſus non videmus. Et Claudium Robertum, qui Part. II. *Galliæ Chriſtianæ* ſepultum Anſelmum tradit in Monaſterio a ſe condito Carævallis; humatum namque Romæ in Eccleſia Sancti Joannis Lateranenſis docent Catalogi vetuſtiores. Inde autem colligit Pagius ad Annum MCXXXIV., num. XII. pœnituiſſe Anſelmum contumaciæ ſuæ, atque in Catholica Fide & unitate, anathemate ſolutum obdormiviſſe.

Omitti prorſus nequit Galeſinius, cujus Tabulam Archiepiſcoporum Mediolanenſium nos emendare contendimus; Elenchum enim omnium errorum, quos hactenus retulimus, in

Epilogo Vitæ Anſelmi V. congeſſit, hæc ſuo marte addens, nempe miſſum eumdem fuiſſe Legatum in Germaniam, ac reverſum in hanc Urbem fregiſſe audaciam Aſtenſis Epiſcopi, detrectantis obedientiam & obſequium Metropolitano Archiepiſcopo exhibere. Excuſari tamen poteſt Vir iſte doctus, quòd diligentiæ ſuæ laudem craſſis adeò mendis fœdaverit; nondum enim eo tempore a pulvere & tineis emerſerat Hiſtoria Landulphi, quæ facem prætulit ſuperioris ævi caligini diluendæ.

SANCTUS BERNARDUS.

MEdiolanenſium Archiepiſcoporum numero Sanctum Bernardum CaræVallenſem Abbatem Galeſinius accenſuit; jure quidem & merito: Quamvis enim admiranda ejuſdem humilitas illuſtrem hanc gloriam nobis inviderit, illiuſque animum ab acceptando ſplendido hujuſmodi honore averterit retraxeritque, nihil tamen defuit, quin revera, ob ſumma quæ Eccleſiæ & Civitati Mediolanenſi impertitus eſt dona, appellare illum debeamus ac colere, ùt Paſtorem ac Patrem. Inſonuerat undique per Europæ Provincias fama ſanctimoniæ virtutumque Sancti Bernardi; quamobrem cùm evocatus ab Innocentio II. Summo Pontifice ad Piſanum Concilium e Galliis in Italiam tranſmigraret, Clerus omnis, Seniores, Nobileſque Viri, quorum non modica pars turbulento illo tempore mundanæ vanitatis fallacias agnoverat, rudique atque abjecto indumento per vias incedebat, Ciſtercienſis Ordinis diſciplinam amplecti expetens, Nuncios ad illum direxerunt, rogantes, ut Piſas profecturus, Mediolanum versùs iter ſuſcipere dignaretur. Annuere precibus Mediolanenſium non potuit Sanctus Abbas, urgente ſolicitudine adeundi Piſas, cùm immineret dies ſtatuta aperiendo Concilio. Tres tamen Epiſtolas plenas venerationis amoriſque erga hanc ab ipſo laudatiſſimam Civitatem remiſit, ad Clerum nempe, ad univerſos Cives, & ad Novitios apud Mediolanum converſos; quas, cùm obviæ ſint in Operibus Sancti Bernardi toties recuſis,

non

non vacat referre. Itaque citatis equis proſecutus eſt iter, atque illuc pervênit, pridie quàm Synodus inchoaretur. Ibidem graviſſimis expeditis negotiis Eccleſiæ univerſæ, injunctâque ipſi ab Innocentio Summo Pontifice Legatione ad Mediolanenſes, viam ingreſſus eſt, hanc Metropolim versùs, Anno MCXXXIV. Qua exultantis animi ſignificatione illum exceperit Civitas noſtra, quove proventu Ordinum omnium Urbis totiuſque Diœceſis moram apud nos duxerit, jam ſuperiùs retulimus. Plura tamen adhuc ſuperſunt, quæ hìc recenſere opus eſt, curſim ſaltem, ut quanto emolumento fuerit Civibus omnibus hujus Sancti Viri præſentia dignoſcamus. Siquidem non rantùm publicam tranquillitatem nobis paravit, Innocentio & Lothario Auguſto pacatis, ſed etiam animabus corporibuſque medelam qua indigebant indulſit, miraculorum frequentiâ. Ut brevitati conſulamus, teſtimonio tantùm utemur Landulphi Scriptoris, ea quæ propriis oculis perſpexit, ſtrictim narrantis Cap. XLII., ubi hæc habet: *Ad nutum hujus Abbatis omnia ornamenta Eccleſiaſtica, quæ auro & argento palliiſque in Eccleſia ipſius Civitatis videbantur, quaſi ab ipſo Abbate deſpecta, in ſcriniis recluſa ſunt; & non ſolùm maſculi, ſed etiam mulieres tonſæ ſunt, & ciliciis & laneis viliſſimis induti ad quælibet religioſa convertuntur. Aqua in vinum mutatur, Dæmones fugantur, contracti eriguntur, & quoſcumque captivos infirmos Mediolanenſes habebant de inimicis ſuis in cuſtodia, Abbas ipſe ſolvit, & liberos dimiſit.* Multò magis autem virtutem ſuam cœlitus datam exercuit Sanctus Bernardus in ſolvendis Dæmonum laqueis, quibus Energumeni premebantur; ait enim Ernaldus Bonævallenſis Abbas *in Vita Sancti Bernardi* Libr. II. Cap. II. *Cùm diu*

diu ſub Anſelmi Schiſmate, qui Petri (Antipapæ Anacleti) *fautor Mediolanenſem occupaverat Cathedram, Sacerdotes gementes, Virgines ſqualidæ, ſanctificationes maledictæ, Altare pollutum iram Dei in populum provocaſſent: At verò in adventu Viri Dei, abdicatis Anſelmi præſtigiis, & in Sedis Apoſtolicæ obedientiam ſub Innocentio revocatâ Eccleſiâ, impedita eſt Dæmonum licentia; & quotidie dabat locum, & ad preces Viri Dei diffugiebat Diabolus; & ſi quando reſiſtere conabatur, in ipſo conflictu ſuccumbens glorioſiùs vincebatur.* Innumeræ ſunt gratiæ aliarum curationum, quas Mediolani larga manu impertitus eſt Civibus noſtris Sanctus Bernardus; eaſque ſingillatim recenſuit ejuſdem Vitæ Scriptor Ernaldus loco laudato, quas hìc præterire lubet, ut ad reliqua progrediamur.

Vacabat eo tempore Sedes Mediolanenſis, depoſito Anſelmo in Provinciali Mediolani Synodo, & confirmatâ Piſis ab Innocentio II. ejuſdem exauthoratione. Ideo cùm præſentem haberent Cives Virum, Dei Spiritu plenum, ſummiſque omnium virtutum donis ornatum, effugere ſibi e manibus opportunum tempus nolebant implendi hanc Sedem Paſtore tam digno. Quapropter confluentes turmatim ad Hoſpitium Canonicæ Sancti Laurentii, in quo Bernardus degebat, illum *cum hymnis & laudibus, & ſolito ſuo Kyrie eleiſon*, ùt ait Landulphus, in Archiepiſcopum acclamavere. Reſtitit feſtivis hiſce vocibus illius humilitas; utque mitiori repulſa deſiderium Cleri populique leniret, inquit: *Ego in craſtino aſcendam Palafredum meum, & ſi me extra vos portaverit, non ero vobis quod petitis.* Reſponſo tamen huic non acquievit Civitas,

vitas, *qua* (ùt refert Manrique *in Annalibus Ciſtercienſ.* ad Annum MCXXXIV. ex ore Venerabilis Ramaldi, Sancti Bernardi Socii, facto præſentis) *cùm ad illum acceſſiſſet, raptura potiùs unanimi conſenſu quàm electura, parata erat omnino vim facere, niſi latenter in fugam evaſiſſet*.

Deſperato tam felicis ſortis beneficio, quæſitum eſt, ut ſaltem veſtigium aliquod Sancti Bernardi apud nos perennaret, Cœnobium videlicet Ordinis Ciſtercienſis, in quo ſi non præſentiâ, ſaltem ſpiritu tanti Viri in Alumnos ſuos effuſo, Cives fruerentur. Spoponderant Mediolanenſes Sancto Abbati Carævallenſi, ſe locum extructuros excipiendis Filiis ejuſdem, dum in hac Urbe moraretur; ſed refrigeſcente caritate ſuſpenſum remanſerat Ædificium, etiam poſt illius diſceſſionem: Jamque Ciſtercienſes Monachi, quos miſerat ad hanc Urbem Sanctus Bernardus, rem infectam cernentes, in Gallias reditum maturabant. Verùm Mediolanenſes acti pudore, quòd a fide data Sancto Abbati deficerent, nuncios misêre, ut ab itinere jam Novariam versùs ſuſcepto, prædictos Monachos revocarent; opemque omnem contulerunt, ut conſtructo nobili Cœnobio, emptiſque prædiis Sedem hujus Ordinis Alumnis, dignam hac Metropoli in perpetuum pararent, nomenque eidem indidere *Caravallis* Anno MCXXXV. Illius temporis memoria, inſculpta Lapidi perantiquo caractere in hunc modum, etiam nunc legitur in Clauſtro, e qno in Eccleſiam itur:

ANNO

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MILLESIMO CENTESIMO TRIGESIMO QUINTO CONSTRUCTUM EST MONASTERIUM S. MARIÆ CARÆVALLIS TEMPORE SANCTI BERNARDI ABBATIS CARÆVALLIS, UNDECIMO CALENDAS FEBRUARII.

Ex hac Inſcriptione colligit Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſian.*, num. CCCLXXXIII., diem prædictum, incluſum verè Anno MCXXXV. juxta Æram Incarnationis, pertinere ad ſubſequentem Annum XXXVI., ſumptum ab ejuſdem Domini Nativitate. Ad conſtructionem hujus Cœnobii, quarto ab hac Metropoli lapide diſiti, liberalem opem contuliſſe Guidonem ex Capitaneis Portæ Orientalis, ſcriptum reperiri in antiquo Codice illius Monaſterii affirmat idem Puricellus loco laudato. Nobiliſſimam quoque Familiam Archinteam, Patriciam Mediolanenſem, ampliſſimis prædiis dono datis plurimùm auxiſſe eorumdem Monachorum Cenſum, teſtis eſt Tabula Sepulcralis, ante Portam Eccleſiæ Carævallis adeuntibus obvia, quæ hæc verba refert:

MILLESIMO DUCENTESIMO VIGESIMO OCTAVO CALENDAS MAJAS MANFREDUS ARCHINTUS PATRICIUS MEDIOLANENSIS EROGATIS ILLUSTRI CŒNOBIO LATIFUNDIIS MONUMENTUM SIBI ET POSTERITATI P.

Digitized by Google

Hæreditariam veluti in Poſteris hujus vetuſtæ præclariſſimæque Gentis Archinteæ largitatem erga hujus Cœnobii Monachos commendare proſequitur Ughellus, afferens etiam monumentum grati animi, exſculptum in marmore, in fronte Eccleſiæ illius poſito, licèt mendosè deſcriptum.

Laudari etiam ipſe Ughellus meretur, quòd inhærens veſtigiis noſtri Landulphi, inoffenſo pede percurrerit Acta noſtrorum Antiſtitum illius ætatis. Non ita profectò cautè inceſſerunt plures alii Mediolanenſes Hiſtorici, quos hìc emendare juvat, ut deſœcatior rerum noſtrarum ſeries oculis legentium occurrat. Corius plurimùm erravit, dum electum Sanctum Bernardum Anno MCXIX. aſſeruit; eique ſubſcripſit etiam Gaſpar Bugattus, expuncto prorſus Olrico, & ſubſtituto ſtatim Anſelmo poſt Sanctum Bernardum: quodque mirum admodum eſt, in eamdem ſcrobem impegit Triſtanus Calchus, qui ad Annum prædictum, ùt in marginalibus Notis legitur, Sanctum Abbatem Caræ vallenſem impetraſſe ait a Primoribus noſtræ Urbis, in Theatro quod tunc adhuc durabat ſedentibus, exemptionem a vectigalibus pro Cœnobio in Bergomatium Vico Pontida, ab iiſdem conſtructo in honorem Sancti Jacobi, expedito Diplomate, a quinque & triginta Viris ſubſcripto. Auctores hos omnes in errorem duxit nomen *Bernardi*, quo appellabatur alter ex tribus Monachis Mediolanum miſſis; non enim alium eſſe arbitrati ſunt eum, quàm Bernardum Caræ vallenſem; cùm tamen Cluniacenſis Ordinis ii forent, & Sanctus Abbas nonniſi Anno MCXXXIV. primò attigerit Mediolanenſem Civitatem, ùt animadvertit quoque Puricellus *in Monum. Baſil.*

Am-

Ambroſ. num. CCCXXXI. Alii tolerabiliori mendo ſtatuerunt electioni in Archiepiſcopum Sancti Bernardi Annum illum, quo cenſuerunt mortuum Olricum Deceſſorem, nempe MCXXIII. (quamvis falsò, ùt jam ſuperiùs de Olrico agentes comprobavimus), eoque in errore verſati ſunt Sigonius, Joannes Franciſcus Beſutius, & Claudius Robertus in ſua *Gallia Chriſtiana*, qui omnes Anſelmo de Puſterula præmittunt Sanctum Bernardum, acclamatum in Archiepiſcopum. Neque maculâ ſuâ caret *Hiſtoria Chronologica Sancti Bernardi*, alioquin diligentiſſima, italicè edita ab Abbate Don Gaſpare Antonio Petrina Anno MDCCXXXVII. in Taurinenſi Urbe: Ubi enim de Legatione ejuſdem Sancti Abbatis ad Mediolanenſes agit Scriptor ille, inter cetera, quæ ab Innocentio II. Piſis morante obtinuit in favorem noſtrorum Civium, impetraſſe quoque narrat confirmationem in Archiepiſcopatu Anſelmi V. noſtri Archipræſulis. Id autem repugnat veritati, cùm nihil de hac re Landulphus ſcripſerit; imo aſſeruerit, Anſelmum in itinere ad Pſeudo-Pontificem Anacletum Romam versùs ſuſcepto, captum tranſmiſſumque Piſas ad Innocentium II., atque ab eodem traditum fuiſſe cuſtodiæ Petri Latri, Miniſtri ſui in Romana Urbe, ibidemque e vita migraſſe. Fieri quidem poteſt, coram legitimo Summo Pontifice ejuraſſe Schiſma Anacleti hunc Præſulem, atque ab illo fuiſſe abſolutum, quemadmodum Pagius ſuperiùs allatus piè credidit vulgavitque; ſed confirmationem in Mediolanenſis Eccleſiæ Solio habuiſſe Anſelmum admitti nequit.

ROBALDUS.

EX Archidiacono Majoris Eccleſiæ noſtræ in Epiſcopum Albenſem electus Robaldus Anno MCXXIV. , Ughello in eorum Antiſtitum Catalogo teſtante , Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtravit Vicarii titulo , ab Anno MCXXXIII. ad Annum MCXXXV. Siquidem cùm in Concilio Præſulum Suffraganeorum Mediolani coacto , depoſitus fuiſſet Anſelmus , atque a populo expulſus ab hac Metropoli , ne paſtorali curâ vidua remaneret Eccleſia noſtra , redeuntibus ceteris Epiſcopis ad Sedes ſuas , Robaldus hìc conſtitit , ut in Chriſmate & reliquis Epiſcopalibus officiis ipſa juvaretur , quemadmodum tradit Landulphus . Adveniente poſtmodum Mediolanum Sancto Bernardo , Clerus & populus , ingentibus beneficiis miraculiſque ad amorem raptus tanti Viri , eumdem acclamavit in Epiſcopum ; ipſo autem recuſante atque in Gallias profecto , Metropolitanæ Eccleſiæ Ordinarii , & Primicerius cum reliquo Clero Nuncios miſère ad Litifredum Novarienſem , Vidonem Hipporienſem , & ceteros Suffraganeos Eccleſiæ Mediolanenſis , ut ſtato die Mediolanum convenirent , ſuffecturi optimo Paſtori electo Bernardo , ſed hunc honorem humillimè reſpuenti , egregium Succeſſorem . Adfuere illi , collectique in Comitiis Robaldum ad Archiepiſcopale Solium implendum delegerunt . Quandoquidem verò huic Electioni Sacri Canones obſiſtebant , vetantes , ne inconſulto Summo Pontifice ab una ad alteram

Ec-

Eccleſiam Epiſcopi commigrarent, dato ad Innocentium II. ſupplici Libello, favorabile Reſcriptum obtinuere. Id conſtat ex Epiſtola CXXXI. Bernardi, ubi Sanctus ille Abbas memorans beneficia, quæ in Mediolanenſes contulerat Pontifex Maximus, gratiam hanc addit: *Si voluiſtis licuiſſe vobis quod illicitum, niſi pro magna quidem neceſſitate Sacri Canones judicant, Translationem Epiſcopi ſcilicet in Archiepiſcopatum, conceſſum eſt*. Hinc autem refellendum cenſemus tum Mabillonium in Notis ad memoratam Epiſtolam, tum Pagium ad Annum MCXXXIV., num. XVIII., qui aſſerunt, hæc verba intelligenda eſſe de reſtitutione Dignitatis Archiepiſcopalis, quæ ob Schiſma ab Innocentio II. abrogata noſtræ Urbi fuerat; loqui enim Sanctum Bernardum de noſtro Robaldo, qui cùm Epiſcopus eſſet Albenſis Eccleſiæ, ad Sedem Mediolanenſem translatus eſt, cuilibet ipſius verba perpendenti perſpicuum eſſe poteſt.

Fervebat adhuc eo tempore Anacleti Pſeudo-Pontificis Schiſma; Eccleſiæ autem Occidentis in partes ſcindebantur, eidem faventibus nonnullis, aliis verò Innocentio II. obtemperantibus. Quamobrem Epiſcopi huic addicti, antequam propriam Sedem inirent, juramentum præſtare fidelitatis Paſtori legitimo tenebantur. Neceſſe igitur fuit, ut Robaldus electus, Piſas iterum commigraret, coram Innocentio fidelem conſtantemque obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ juraturus. Verùm perturbationis non modicæ occaſio fuit laudabilis hæc animi demiſſio. Quippe, cùm Summus Pontifex non benigno tantùm vultu, ſed etiam liberali manu eum cumulare vellet novis beneficiis, Archiepiſcopale Pallium Robaldo

baldo obtulit: Is verò recipere illud de manu Innocentii recuſavit, utpote privilegiorum Mediolanenſis Eccleſiæ tenaciſſimus; adeò ut, cùm Anſelmus prædeceſſor Romam ſe contuliſſet, & Honorio II. offerente eidem Pallium ibidem ſuſcipiendum, Robaldum Epiſcopum, qui comes itineris fuerat, conſuluiſſet quid ipſi agendum eſſet, reſponſum hoc reddiderit, *quòd ipſe priùs ſuſtineret, naſum ſuum ſcindi uſque ad oculos, quàm daret conſilium* (Anſelmo), *ut ſuſciperet Romæ Stolam, & Eccleſiæ Mediolanenſi præpararet hanc novam & graviſſimam, quam Honorius Papa dicebat ſibi imponere menſuram*. Itaque inconſultis omnibus ſe Piſis proripuit, ac Mediolanum reverſus eſt. In iram exarſit Innocentius, & expectato trimeſtri, meditabatur juſtam animadverſionem in Robaldum, & Mediolanenſes, quos adhuc tumultuantes intuebatur. Opportunè tamen, periclitantibus Civibus noſtris, ne gratiam Innocentii amitterent adfuit Sanctus Bernardus, qui de hac re admonitus, Epiſtolam ad Summum Pontificem dedit, poſitam in Editione Mabillonii ſub num. CCCIV., in qua ejuſdem Papæ animum placabilem reddere ſtudebat, laudans Robaldum, eumque vocans *Virum boni teſtimonii & fidelem*, atque paratum *eſſe ſine populo, quàm ſine Domino, & pluris facientem Apoſtolicam gratiam, quàm Mediolanenſem Cathedram*. Officioſiſſimum hoc patrocinium Bernardi tantum valuit apud Pontificem illum Maximum, ut, quidquid petierat Civitas Mediolanenſis, benigniſſimè indulſerit. Quapropter idem Bernardus Epiſtolam direxit ad Mediolanenſes, quos *ſuos* appellat, ideſt *ad Univerſum Clerum & Populum*, in qua commemorat beneficia omnia ab In-

Innocentio in ipſos collata, ſubdens hæc verba: *In quo poſtremò quæcumque rationabilis petitio filiæ, non dico repulſam, ſed vel moram paſſa eſt apud piam Matrem* (Eccleſiam Romanam) ? *En ad complementum Pallium præſto eſt, plenitudo honorum. Nunc verò audi me inclyta plebs, gens nobilis, Civitas glorioſa.* Proſequitur deinde omnes hortari, ut in Fide permaneant, & muneribus a Summo Pontifice acceptis grata obedientia reſpondeat.

Illuſtria quoque Robaldo contigere exordia Pontificatûs, duobus exædificatis magni nominis Cœnobiis Ordinis Ciſtercienſis, eo videlicet de quo jam ſupra diſſeruimus, nempe Caravallenſi, & altero Morimundi, auctoritate ejuſdem conſtructo in Valle Ticini, intra fines Mediolanenſis Diœceſis, quod initium habuit Anno MCXXXVI. Ad hoc erigendum tres Mediolanenſes Presbyteri patrimonia ſua finitima in manus Robaldi liberali dono obtulere; iiſque acceptatis idem Archiepiſcopus aſſenſum præbuit ædificandæ Eccleſiæ, ac Monaſterio prædicto, quemadmodum conſtat ex Documento relato ab Ughello, & ſubſcripto ab ipſis Presbyteris, ac firmato a Robaldo Mediolanenſi Archiepiſcopo. Crevit poſtmodum hoc Cœnobium in eam opulentiam, ut biſcentum & eò amplius Religioſi Viri omni pietate inſtituerentur ibidem ad virtutem, ac inter celebriora Langobardiæ Monaſteria recenſeretur, eodem teſtante Ughello; qui etiam ſubjungit, temporum malignitate, ac invidorum (Papienſium) ſcelere ferales eas viciſſitudines paſſum eſſe memoratum Cœnobium, ut, niſi Mediolanenſium Archiepiſcoporum acceſſiſſet pietas, futurum eſſet, ut incultum fœdatumque ad noſtram uſque ætatem jacuiſſet. Quo

Quo tempore Sanctus idem Bernardus Mediolani morabatur, datâ Eccleſiæ noſtræ pace, ad compeſcendas bellicas contentiones, quæ inter Mediolanenſes, & Cremonenſes præſertim fervebant, ſe contulit ac Cremonam ingreſſus, Cives illos ad concordiam paciſcendam, depoſitis hoſtilibus odiis, cum Primoribus Urbis Mediolani conatus eſt provocare. Verùm re infectâ opus illi fuit ex ea Civitate diſcedere; & ne videretur officio ſibi commiſſo defuiſſe, conſcium itineris ſui Innocentium per Epiſtolam fecit, eam videlicet, quam paulò ante retulimus, inquiens *Cremonenſes induraverunt, & proſperitas eorum perdit eos: Mediolanenſes contemnunt, & confidentia ipſorum ſeducit eos. Hi in curribus & equis ſpem ſuam ponentes, meam fruſtraverunt, & laborem meum exinanierunt*. Ex hac pertinacia alacriorem animum ſumentes Cives noſtri, acrius bellum contra ipſos inſtauravere. Dum autem agros depopularentur, & munita etiam Caſtella invaderent, Lotharius Imperator, qui in Italiam deſcenderat, Langobardiæ fines ingreſſus eſt Anno MCXXXVI. Confluxere ad illum Civitatum Primores, qui infeſtis præliis ſe invicem proſcindebant; præſertim verò Cremonenſes, & Mediolanenſes, ut ejuſdem auctoritate judicioque finis bellicis contentionibus imponeretur. Placido animo excepit illos Auguſtus Princeps, & re maturè perpensâ, ſententiam contra Cremonenſes tulit, eoſque, Principum Italiæ conſenſu, hoſtes judicavit proſcripſitque, quemadmodum narrat Otto Friſingenſis Libr. VII Cap. XIX. in hunc modum: *Ibi, nempe ad Cariſtallium* (ideſt Guardaſtallum, quem recenter occupaverat Lotharius) *Mediolanenſes & Cremonenſes diuturnum inter ſeſe bel-*

bellum habentes, *obvios habuit*; *diſcuſsâ utriuſque Urbis Causâ*, *Cremonenſes a Principibus Italiæ*, *hoſtes judicantur*, *proſcriptique diſcedunt*. Aderat in Caſtris Lotharii Robaldus Archiepiſcopus Mediolanenſis cum ſuis Suffraganeis, Landulpho teſte, qui ad pœnam augendam rebellium eorum Civium, anathematis quoque telum in ipſos evibravit, *quia* (ùt ait Landulphus) *non reddiderunt Imperatori Mediolanenſes vincula & captionem ſuſtinentes Cremonenſium*. Altera etiam cauſa infligendæ excommunicationis ea eſſe potuit, quam innuit memoratus Landulphus Cap ultimo, videlicet quòd, cùm Ubertus conſecratus a Jordano Archiepiſcopo noſtro, inauguratus fuiſſet Cremonæ Epiſcopus, juramento firmaverit, ſe fidelem fururum ipſi Jordano Eccleſiæque Ambroſianæ; poſtmodum verò unà cum Civibus ſuis ab hac obedientia prorſus deſciverit: Landulphus enim eodem Capite hæc ſcribit: *Hic fortaſſis Epiſcopus iſte* (Ubertus) *reminiſcitur amaritudinis*, *qua potatus fuit Mediolani in die ſuæ Ordinationis*, cùm nempe, ùt idem Scriptor explicat inferiùs, *compulſus eſt jurare fidelitatem Eccleſiæ Mediolanenſi*, *& Archiepiſcopo Jordano*.

Proſequitur idem Auctor narrationem ſuam his verbis: *Mediolanenſium igitur Exercitus confortatus præſentiâ Imperatoris & vinculo excommunicationis*, *Sonzinum*, *Sanctumque-Baſſanum*, *& alia multa Caſtella Cremonenſium deſtruxerunt*. Innocentius II. qui adhuc Piſis morabatur, miſeratione fortaſſe Cremonenſium commotus, ad eorum preces excommunicationis vinculis, quibus eoſdem innodaverat noſter Robaldus, clementer ſolvit; Mediolanenſis autem Exercitus etiam poſt abſolu-

ſolutionem proſecutus eſt, armis eos comprimere, Juvenaltam Caſtellum diripiens, & quæcumque illius Civitatis Oppida occurrebant, confertis agminibus devaſtans; neque ipſi Epiſcopo Uberto parcens, quem cùm inveniſſet loricatum, hortantem ſuos ad pugnam, & perficientem homicidium, de Caſtello in quo includebatur pertraxit, captivumque per plures menſes in cuſtodia tenuit, donec Herlembaldus de Breſſorio, qui eum in carcere cuſtodiebat, infectus veneno ex improviſo in mortem corruit; eoque ſublato Epiſcopus eâdem nocte fugam arripiens, Papiam primò, poſtmodum Cremonam adiit libertati reſtitutus. Verùm relata hæc ſint obiter, cùm noſtræ provinciæ minimè ſit, civilibus iſtis bellorum eventibus diutiùs immorari.

Communis Scriptorum Mediolanenſium opinio tradit, Lotharium Imperatorem fuiſſe Italicâ Coronâ primò Mediolani, dein Modoëtiæ redimitum. Si tamen ſinceriores Hiſtorias conſulamus, nihil de hac gemina ſolemni Celebritate ſcriptum offendimus. Et ſanè, ſi inſiſtere itineribus a Lothario per Italiam ac Langobardiam ſuſceptis velimus, nullum peragendæ huic Coronationi commodum tempus occurrit. Ea omnia ſingillatim recenſuimus, ex Germanis noſtriſque Scriptoribus deſumpta, in Adnotationibus ad Hiſtoriam Landulphi Cap. XLIV.; proinde hìc tantùm iſta ſubjicimus, videlicet mirum valde fore, quòd Landulphus Hiſtoriam ſuam proſecutus uſque ad Annum MCXXXVII. (qui poſtremus fuit illius Imperatoris, mortui in reditu ad Germaniam eodem anno), atque ubique eumdem conveniens, ut Cauſam ſuam peroraret, nullum de ejuſdem adventu in hanc Urbem verbum

bum protulerit, nullam de accepto Mediolani ac Modoëtiæ Regio Italico Serto memorem vocem ſuis in ſcriptis reliquerit, cùm alias hujuſmodi Regum inaugurationes utrobique peractas non tam retulerit, ſed minutim etiam deſcripſerit. Porro hoc ſilentium, tanti momenti Pagio viſum eſt, ut Coronationem hanc prorſus commentitiam affirmet ad Annum MCXXXIV. num. XIX.; multòque magis cùm Germani etiam Scriptores de eadem ſileant omnino. Attamen hæc dicta volumus, ut ſinceritas Hiſtoriæ prodatur, quin ulla invidiæ culpa in nos refundatur, ac ſi gloriam ab Urbe noſtra & Modoëtienſi Oppido, quam Sigonius, Puricellus, aliique plures ultro tribuunt, propulſare conemur. Candidè profitemur, libentiſſimè nos manus ipſis daturos, ſi validiora ad novum hoc decus Patriæ noſtræ ac Modoëtiæ vindicandum ſuppeditentur.

Anno MCXLIII. revixit controverſia de quibuſdam juribus in Eccleſia Sancti Ambroſii, quæ cenſebatur jam conſepulta, inter Canonicos & Monachos, ibidem alternatim Deo Beatoque illi noſtro Patrono laudes quotidie perſolventes. Integrum annum abſumpſit Cauſa hæc definienda, non ſine magna animi perturbatione Archiepiſcopi noſtri Robaldi. Siquidem ad ipſius Tribunal primò delata, dein Conſulum Mediolanenſium judicio, ad declinandum Eccleſiaſticum Forum, commiſſa, poſtremò iterum ad examen Robaldi, ac Goizonis & Hubaldi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Legatorum Romanæ Sedis, Pontificiis decretis revocata, non parum laboris anguſtiarumque exegit, ut ad finem perduceretur. Extat *in Monum. Baſil. Ambroſ.* a Puricello editis narratio

ratio hujus diuturnæ contentionis, quam ipſe claudit recitato integro Diplomate a Robaldo ſubſcripto, firmatoque a Galdino, tunc Subdiacono & Cancellario Eccleſiæ Mediolanenſis. Uberiora in publicam lucem protulit diligentiſſimus Collega noſter Nicolaus Sormanus, ex Canonicorum Sancti Ambroſii Archivo eruta; diſſidium enim omne, & varias hinc inde viciſſitudines, quæ contigere, ſingillatim enucleat, Epiſtolas plures tum Robaldi, tum Legatorum ad Cœleſtinum II. & Lucium pariter II. Pontifices Maximos ſcriptas refert, imo etiam anathema in Abbatem & Monachos contortum, & confirmatum ab Apoſtolica Sede, cum aliis omnibus Documentis ad hanc rem pertinentibus in propatulum explicat. Demum quid ſtatutum fuerit ad lites omnes inter ſacros hoſce Dei Miniſtros dirimendas, in Diſſertatione ſua Hiſtorica, *ad Concordiam* inſcripta, typis impreſſit. Noſtra minimè eſt, rebus iſtis jam agitatis definitiſque immiſceri. Id tantùm delibavimus, quod in laudem Archiepiſcopi noſtri, pacem Eccleſiæ ſuæ omni ſtudio parare ſtudentis, vergit, & perennem memoriam meretur.

Innocentius II. Summus Pontifex in Concilio Piſis celebrato Anno MCXXXIV. teſte Pagio ad hunc annum, Decretum promulgaverat, quo jubebantur Monachi & Regulares Canonici de laboribus terrarum, quas propriis excolebant ſumptibus, Decimas nullatenus perſolvere. Has exigere præſumebat Præpoſitus de Roſate cum ſuis Clericis a Monialibus Monaſterii Sanctæ Mariæ *de Montano*, nunc *in Valle* ſeu veriùs *in Vallo* nuncupati. Itaque Robaldus Antiſtes Mediolanenſis, ut jura hujuſmodi Sororum tueretur, & Innocentii II.

Præ-

Præceptum executioni mandaret, Diploma expedivit, quo prædictas Moniales a præſtandis memorato Præpoſito de Roſate ejuſque Clero Decimis eximebat, indictâ Præpoſito graviſſimâ pœnâ, nempe ab officio ſuo decidendi, aliiſque Clericis aut Laicis anathematis comminatione, ſi Decimas ullas exigere præſumpſiſſent. En Charta hujus Præcepti, ex Tabulario ipſo dictarum Monialium deprompta, quam *in ſuas Antiquit. Ital. Med. Ævi* tranſtulit Clariſs. Muratorius Tom. III. colum. CCXXV.

„ Robaldus Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Dilectæ in Chriſto Filiæ . . . . . . Monaſterii „ Sanctæ Genitricis Virginis Mariæ de Montano Abbatiſſæ „ & ejus Sororibus tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Venerabilis Pater noſter & Dominus Papa Innocentius in Piſana reſidens Synodo, aſtantibus Religioſis Patriachis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & aliis Sacerdotibus, Clericis, hoc promulgavit Decretum, ut videlicet Monachi & Regulares Canonici de laboribus terrarum, quas propriis excolunt ſumptibus, Decimas nullatenus tribuant: quod etiam in Concilio nuper Romæ celebrato innovatum Apoſtolicâ ſanxit authoritate. Nos itaque prædicti Domini Noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritate ſuffulti definitivâ ſtatuimus Sententiâ, uti Abbatiſſa Monaſterii de Montano, & ejus Sorores ſub Regula Beati Benedicti, ùt credimus, regulariter degentes, quæ modò ſunt, vel pro tempore fuerint, de laboribus terrarum, quas propriis excolunt ſumptibus, Præpoſito de Roſiate & ejus Fratribus, ſeu alieno Clerico vel Laico de cetero

„ Deci-

„ Decimam minimè perſolvant. Si quis igitur, quod abſit, „ Præpoſitus, Sacerdos, ſeu Diaconus vel Subdiaconus a „ prædictis Monialibus amodo, contemtâ Sanctæ Romanæ „ Eccleſiæ authoritate, Decimam exigere vel extorquere præ- „ ſumpſerit, vel propter hoc eas perſequendo turbaverit, „ gradûs ſui periculo ſubjacebit; ſi verò Clericus vel Lai- „ cus fuerit, excommunicationi ſubjaceat.

„ Ego Robaldus Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſco- „ pus ſubſcripſi.

„ Fgo Tedaldus Archipresbiter ſubſcripſi.

„ Ego Landulfus Presbiter ſubſcripſi.

„ Ego Wido Presbiter ſubſcripſi.

„ Ego Guifredus Presbiter ſubſcripſi.

„ Ego Obitus Subdiaconus & Cimiliarcha ſubſcripſi.

„ Ego Adelardus Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Anſelmus indignus Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Wilielmus Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Jordanus Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Oprandus Camerarius ſubſcripſi.

„ Ego Galdinus Cancellarius a me dictato ſubſcripſi.

Inter Aſceteria Monialium, quæ ſubſunt Archiepiſcopo Mediolanenſi, celeberrimum illud eſt, quod decimo ſexto ab Urbe noſtra lapide conſurgit in Loco Medæ. Si enim antiquitatem ſpectes, a noningentis circiter annis extructum fuit ob inſigne miraculum, quod typis vulgatum per manus omnium excurrit; ſi verò Privilegia Summorum Pontificum eidem conceſſa intuearis, peculiarem venerationem meretur. Hujus Cœnobii indemnis ſervandi curam ſuſcepit Robaldus;

cùm

cùm enim in ejuſdem jura ſeſe ingerere tentaſſet ob loci proximitatem Præpoſitus Eccleſiæ, appellatæ de Seveſo, delatâ ad Archiepiſcopum Robaldum Cauſâ, Sententiam protulit in favorem Abbatiſſæ & Monialium, quemadmodum doceт ſequens Charta, ex Archivo ejuſdem Monaſterii deprompta:

„ Robaldus Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Ar-
„ chiepiſcopus. Dilecte Filie Martine Abbatiſſe Monaſterii
„ Sancti Victoris ſiti in Loco Meda & ejus Sororibus in
„ perpetuum. Sacrâ ſignificante Scripturâ omnium & maxi-
„ mè ſpiritualium eſt Poteſtatum pacem inter diſcordantes
„ componere, & in negotiis diffiniendis nec ad dexteram
„ nec ad ſiniſtram declinando, regio ideſt juſtitie incedere
„ tramite, proinde ut quod debemus executioni pro poſſe
„ mandemus, controverſie inter Plebem de Seviſo, & Ab-
„ batiſſam Metenſis Monaſterii exorte, inito cum Fratribus
„ noſtris Sancte Mediolanenſis Eccleſie Cardinalibus, & Pri-
„ micerio, äliiſque religioſis Presbyteris & Clericis conſilio,
„ prout ratio exigit, & auctoritas dictat, juſtum curavimus
„ imponere finem. Controverſia autem & ex utraque parte
„ aſſertiones hec ſunt. Prefate ſiquidem Plebis Prepoſitus,
„ fretus que inferiùs ponuntur rationibus, aſſerebat Capellam
„ que in honore Sancte Marie Virginis in Loco Meta, vi-
„ delicet in Foro ſitam ſub predicte Plebis regimine & tam-
„ quam membrum capiti, & filiam ſue Matrici Eccleſie
„ debere eſſe ſubpoſitam, dicens, ſepenominata Capella infra
„ Plebis terminos eſt fundata, deinde in dominii ſignum an-
„ nualiter ibi Sancti Sebaſtiani Feſtum celebramus, & refe-

„ ctionem a prediċte Capelle Capellano honorifice recipimus.
„ Chriſma & aquam ad pueros baptizandos in die Sabbati
„ Sancti ſanctificatam a pretaxata Plebe habet, & non ali-
„ unde, & quod quondam prediċte Ecclèſie Clericum, Otto
„ nomine, in nominata Capella, qui Capellam & populum ſibi
„ comiſſum regeret, ſua poſuiſſent authoritate, pluribus ni-
„ tebantur aſſerere teſtibus. Econtra verò prefata Abbatiſſa ſe-
„ pedictam Capellam juris & regiminis Metenſis Monaſterii
„ Sancti Victoris eſſe, & ad Plebem minime pertinere his
„ aſſerebat argumentis; Sacerdotes namque, quibus ab Ab-
„ batiſſa que pro tempore in preſcripto Monaſterio fuit, ſe-
„ pedicta Capella eſt comiſſa, ut ibi Divina celebrent Of-
„ ficia, & Metenſem populum regerent & gubernarent quiete
„ per triginta annos unumquemque voluit, Abbatiſſa libere
„ elegit, quorum unus, videlicet Otto, aſtante bone me-
„ morie Abbatiſſa Otta, inveſtituram Capelle de altario re-
„ cepit, ad quod probandum quamplures legales & idoneos
„ producebat teſtes. Inſuper Cartarum oſtendebat Inſtru-
„ menta, in quibus quod pretaxati Monaſterii Sancte memo-
„ rie Berlenda Abbatiſſa, tamquam poteſtatem & dominium
„ habens, comutationem de terra prenominate Capelle fe-
„ cerat, & comutationi conſenſerat, aperte demonſtrabatur.
„ Diligenter itaque utrinque auditis rationibus & argumen-
„ tis, atque ad diſcernendam veritatem mentis intendentes
„ intuitum, quoniam teſtimonia ſuper tricenali poſſeſſione,
„ & inveſtitura de Altari ſuſcepta, competentia nobis viſa
„ ſunt atque ſufficientia: comunicato ùt ſuperiùs diximus
„ cum Fratribus noſtris conſilio, ſex Teſtium juramenta

„ ſuſce-

„ ſuſcepimus, quorum duo Abbatiſſam in ſepedicta Capella „ tricennali poſſeſſione ante introitum memorati Ottonis, re- „ gimen & dominium optinuiſſe, & in ea, ſua auctoritate „ ſine aliqua contradictione libere poſuiſſe Sacerdotem, & „ duo alii poſt ejuſdem Ottonis introitum ſimiliter per tri- „ ginta annos quietè jus & dominium habuiſſe preſtitis ju- „ ramentis ante nos approbaverunt. Duo verò, quod Ab- „ batiſſa aſtante, predictus Otto inveſtituram Capelle in Loco „ Meta, videlicet in Mercato fundate, de Altario Beati Vi- „ ctoris ſuſcepit, juramento firmaverunt. His ita peractis, „ tot evidentibus atque perſpicuis fulti rationibus, ſepe no- „ minatam Capellam ad jus & dominium predicti Monaſterii „ ex integro pertinere diffinitivâ decrevimus Sententiâ, & „ uti inibi Sacerdotes, qui Divina celebrent Officia, & ſpi- „ ritualiter populum regant atque gubernent, Abbatiſſa que „ pro tempore fuerit, ſuâ ponat authoritate unumquemque „ voluerit, jure concedimus perpetuo. Actum eſt hoc fe- „ liciter a Domno Robaldo, Dei gratia Mediolanenſi Ar- „ chiepiſcopo in Mediolanenſi Palatio, Anno ab Incarnatione „ Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, Indi- „ ctione ſecunda, Menſe Decembris. Ex hac autem Sen- „ tentia predictus Archiepiſcopus duo Privilegia uno tenore „ componi, & ſuo inſigniri precepit ſigillo, & in utriſ- „ que propria manu ſubſcripſit.

„ ✠ Ego Robaldus Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſco- „ pus ſubſcripſi, & affirmavi.

„ Ego Tedaldus Archipresbyter interfui & ſubſcripſi.

„ Ego Landulfus Presbyter ſubſcripſi.

„ Ego Wido Presbyter ſubſcripſi.
„ Ego Amizo Archidiaconus ſubſcripſi.
„ Ego Adelardus Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.
„ Ego Walterius Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.
„ Ego Anſelmus Diaconus interfui & ſubſcripſi.
„ Ego Jordanus Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.
„ Ego Obitius Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.
„ Ego Ardericus Cimiliarcha & Vicedominus ſubſcripſi.
„ Ego Berengarius Diaconus interfui & ſubſcripſi.
„ Ego Wifredus Presbyter ſubſcripſi.
„ Ego Nazarius Presbyter ac Primicerius interfui & „ ſubſcripſi.
„ Ego Stephanus Archipresbyter ſubſcripſi.
„ Ego Galdinus Cancellarius a me dictata ſubſcripſi. „

Neque in hac Urbe tantùm ac Dioeceſi Paſtorale deſiderium, quo incendebatur ad procurandam inter Oves ſuas ſinceram & pacificam animorum conſenſionem, palam fecit Robaldus: Etiam ad Mediolanenſis Provinciæ Greges paterni ſui amoris curam extendit. Lis acerrima fervebat inter Canonicos Sancti Vincentii, & Sancti Alexandri Urbis Bergomatis de quibuſdam juribus Eccleſiæ unius in alteram, quæ invicem utraque prætendebat. Controverſias haſce componere niſus fuerat Innocentius II. Summus Pontifex, dato Piſis Diplomate ad Petrum Præpoſitum & Canonicos Sancti Alexandri Anno MCXXXV., aliiſque tribus Epiſtolis ad Gregorium Epiſcopum Bergomenſem directis. Verùm cùm exaſperati Canonicorum animi minimè acquieviſſent Pontificiæ Sententiæ, & devoluta tamdem fuiſſet Cauſa ad Archiepi-

ſcopum

Digitized by Google

ſcopum Mediolanenſem, Robaldum, Archipræſul noſter cunctas lites diremit, & capita omnia ejuſdem Cauſæ, ſingillatim diſcuſſa, unà cum Eccleſiæ Mediolanenſis Fratrum ſuorum ac Legiſperitorum conſilio, definivit atque compoſuit, expedito Diplomate ad Albertum Archipresbyterum & Canonicos Sancti Vincentii Urbis illius Anno MCXLI., Pridie Nonas Auguſti, cujus rei per Epiſtolam conſcium fecit Gregorium Eccleſiæ Bergomenſis Antiſtitem. Nonnulla in hiſce Diplomatis deprehendimus ibidem in uſu poſita, quæ tunc in noſtra quoque Mediolanenſi Eccleſia vigebant, nempe mutatio Eccleſiarum ſtatis temporibus cum *Arca* delatione, & pertractio Pœnitentium in Eccleſiam, die Cœnæ Domini; de quibus ſermo erit, cùm publici juris fient Commentaria Ritûs Ambroſiani.

Eodem quoque deſiderio pacis ſe inflammatum oſtendit Robaldus, auctoritate ſua compeſcens injuſta diſſidia, ab Epiſcopo Derthonenſi Gulielmo excitata. Prætendebat olim Petrus hujus Prædeceſſor dominium Cœnobiorum de Præcipiano & Lavianone, contra Laudenſem Epiſcopum Ardericum; iſte verò Cauſam ad Olrici Archiepiſcopi Mediolanenſis Tribunal deferens, favorabilem ſententiam obtinuerat Anno MCXXV., quemadmodum in Olrici Vita retulimus. Effluxere quatuordecim anni a lata Sententia, quin Epiſcopi Laudenſes ejuſdem fructu fruerentur, poſſeſſione jurium controverſorum apud Derthonenſem Eccleſiam remanente. Quamobrem Joannes Epiſcopus Laudenſis electus Anno MCXXXIX. querelas ſuas armavit coram Robaldo Metropolitano Archiepiſcopo, ut Gulielmus Derthonenſis Antiſtes ſeſe

abdicaret a poſſeſſione jam memorata, in damnum Laudenſis Eccleſiæ hactenus retenta. Robaldus compatiens Laudenſi Præſuli, in judicium vocavit Gulielmum Derthonenſem; at iſte conſcientiâ ſuâ tactus inducias quæſiit, quas benignè Mediolanenſis Archiepiſcopus indulſit. Verùm tentante illo Sententiam ſubterfugere, in contumaciam obſtinati Antiſtitis, aſſentientibus Metropolitanæ Canonicis & Judicibus, confirmavit Robaldus Decretum Olrici, juſſitque ut Derthonenſis Epiſcopus integram poſſeſſionem proprio Domino redderet; quinimo omnes etiam fructus, qui poſt promulgationem primæ Sententiæ Olrici Archiepiſcopi quocumque modo ipſi obveniſſent, abſque mora reſtitueret. Actum hoc eſt in Palatio Mediolanenſi, Anno MCXL., Menſe Januario, Indictione tertia. Refertur integrum Documentum ab Ughello in Epiſcopis Laudenſibus num. XXIII.

Regimen Ambroſianæ Sedis produxit Robaldus uſque ad Annum MCXLV., quo e vivis ereptus eſt, die XXX. Decembris. Hanc Epocham fiximus morti prædicti Archipræſulis, contra Puricellum & Ughellum, qui præcedentem Annum ſignant, multòque magis contra Sigonium, qui biennio etiam ante eum vitâ functum tradit. Ad id nos cogit tempus electionis ejuſdem, nempe Annus MCXXXV., XXIX. Julii, & ſpatium annorum X. menſium IV. dierum XXVI. Sedis, adnotatum in antiquiſſimo Catalogo Eccleſiæ Metropolitanæ; initis namque calculis clarè patet, Robaldi obitum anno & menſe prædictis contigiſſe: Dies autem, qui ſuperſunt computo, tribuendi ſunt moræ poſt electionem, ob expectandum Innocentii II. Placitum pro tollendo obſtaculo

culo Epiſcopatûs Albenſis, a quo transferendus erat ad Mediolanenſem, ut canonica declararetur Electio.

Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali, juxta ſuggeſtum, ut tradunt vetuſti Catalogi.

Præterire non poſſumus egregium Caritatis Opus, a Robaldo inſtitutum, quod in ejuſdem præconium inſeruit Galeſinius *Tabulæ ſuæ Mediolanenſium Antiſtitum*, videlicet Hoſpitales Ædes *Brolii* a Gothofredo Cive extruendas ipſum curaſſe: Cùm tamen nullo alio teſtimonio aut Documento id firmatum viderimus, hoc tantùm innuere in illius fide opportunum duximus.

Sequens Diploma, ex Archivo Cœnobii Monachorum Sancti Ambroſii Mediolani deſumptum, utpote anno carens, & in Archiepiſcopi hujus noſtri laudem vergens, poſtremo hoc loco ſubjungimus.

✠ „ In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, „ Amen. Sicut Apoſtolo docente didicimus, quod non tantummodo malè agentes, ſed etiam illis conſentientes, digni „ ſint morte; ita ratione dictante cognoſcimus, quod non „ ſolum bene operantes, verum etiam eos conſolantes, atque in bonis operibus confirmantes, digni æterna remu„ neratione permaneant. Hujus itaque argumenti inventione „ ſuffultus Ego Robaldus Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis „ Eccleſiæ Archiepiſcopus, dilecti Fratris noſtri Petri, Cela„ nenſis Epiſcopi bonam voluntatem approbo, atque ejus „ bona opera abſque ulla dubitatione confirmo. Unde tam „ ego, quam omnium noſtrorum Ordinariorum Conventus, „ ad honorem Dei & Beatæ Mariæ, necnon Confeſſoris

„ Cùri-

„ Chriſti Ambroſii , Eccleſiam conſtruendi , atque regularem
„ Canonicam ordinandi in Loco , qui dicitur Domergaſcus ,
„ cum veræ caritatis affectu ei licentiam damus : Eâ tamen
„ conditione , ut in eodem Loco Ambroſianum Officium ce-
„ lebretur . Quidquid vero ad hoc Opus peragendum ſive
„ retinendum præfato Epiſcopo , vel ſibi adhærentibus aut
„ ei ſuccedentibus , bonorum Virorum donatione aut juſta
„ emptione collatum eſt , vel erit , ſive Loco illi modis
„ omnibus juſte fuerit acquiſitum , auctoritate Dei & no-
„ ſtra , ſine ulla ambiguitate firmamus . Ipſum autem Lo-
„ cum , omneſque in eo habitantes & quidquid ad eum per-
„ tinet vel pertinebit , per Dei gratiam , & Beati Am-
„ broſii merita defendere atque manutenere modis omnibus
„ pollicemur . Si quis igitur , quod abſit , præfatum Lo-
„ cum , aut ejus habitatores in aliquo diſturbare voluerit ,
„ Dei inimicitias & noſtras ſine dubio incurrere ſe cogno-
„ ſcat ; unde in futuro Divinum judicium , in præſenti vero
„ noſtrum ſolicitè pertimeſcat . Quiſquis autem eum , vel in
„ eo habitantes , pro Dei amore , & ſui Confeſſoris Am-
„ broſii honore manutenebit ; & hac noſtra benedictione ;
„ & in futuro Divina retributione proculdubio non carebit .
„ Tantâ enim affectione ſimul & devotione ſæpedictum Lo-
„ cum amplectimur , ut quæcumque in eum fiant , in nos
„ fieri computemus ; quippe præter Deum & Beatum Am-
„ broſium , nullum alium defenſorem requirit . Volumus ita-
„ que , firmiterque iſtud atque præcipuè confirmamus , ut
„ ab omni ſubjectione ſive conditione tam Roſatenſis Ec-
„ cleſiæ , quam omnium aliarum liber in æternum perma-
„ neat .

Digitized by Google

„ neat. Præterea ſtatuimus, quatenus Eccleſiæ & Altarium
„ conſecratio, necnon Clericorum in eodem Loco degentium
„ ad Sacros Ordines promotio, ad ſolum ſpectent Ambro-
„ ſianum Pontificem. Præpoſitus vero præfati Loci ad Ge-
„ neralem Synodum vel Capitulum, a Sancta Mediolanenſi
„ Eccleſia convocatus, venire nullatenus prætermittat. Sæpe-
„ nominati autem Loci benefactores ſive Coadjutores Omni-
„ potens Dominus benedicat, qui in Trinitate perfecta ſine
„ fine vivit & regnat. Amen. Item Præpoſitus in eodem
„ Loco, a ſuis Fratribus canonice electus, Mediolanenſi
„ Archiepiſcopo ad confirmandum præſentetur.

„ ✠ Ego Robaldus Dei gratia Mediolanenſis Archiepi-
„ ſcopus ſubſcripſi.

„ Ego Tedaldus Archipresbyter ſubſcripſi.

„ Ego Landulfus Presbyter ſubſcripſi.

„ Ego Amizo Archidiaconus ſubſcripſi.

„ Ego Berengarius Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Adelardus Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Obitius Subdiaconus ſubſcripſi.

„ Ego Odo Notarius ſubſcripſi.

„ Ego Nazarius Presbyter & Primicerius ſubſcripſi.

„ Ego Oprandus Camerarius ſubſcripſi.

„ Ego Ardericus Notarius ſubſcripſi.

„ Ego Galdinus Cancellarius ſubſcripſi.

Extat in calce Sigillum in cera rubra, in quo cernitur impreſſa effigies Sancti Ambroſii.

Cùm Epiſcopatus Celanenſis ignotus ſit omnibus Catalogis Italiæ Sacræ, ab Ughello digeſtæ, ejuſque memoriâ

care nt

careant Romanæ Curiæ, ùt vocant, Regeſta, ad quæ ſedulò exploranda Amicorum, antiquitatis ſtudio & peritiâ inſignium diligentiam ſolicitavimus; neque ambigi poſſit de ſinceritate ac fide archetypæ hujus Pergamenæ, in memorato Sancti Ambroſii Mediolani Tabulario aſſervatæ, & a nobis diligenter inſpectæ, conjecturis agendum eſſe cenſemus, ut dignoſcatur, cur Epiſcopus iſte (ubicumque tamdem Celanenſis Eccleſia locata fuerit) curaverit, ut conſtrueretur Eccleſia & Canonica Regularis in Loco Domergaſco Diœceſis Mediolanenſis. Itaque opinamur, hunc Petrum Præſulem fuiſſe natione Mediolanenſem, atque paterna prædia ibidem poſſediſſe; ùtque teſtaretur peculiarem, qua fervebat erga Deum, Beatiſſimam Virginem, ac Sanctum Ambroſium, religionem publico aliquo atque perenni monumento, juris ſui Bona in Sacris iſtis Ædificiis erigendis ac conſervandis impendiſſe. Certè Vicus Domergaſcus, ſive, ùt corrupto vocabulo nunc appellatur *Domenegaſco* ſubjacebat Eccleſiæ Roſiatenſi, in præſentiarum *de Roſate*, a qua parùm diſtat: Robaldus autem Archiepiſcopus ab omni Roſiatenſis ſeu alterius Eccleſiæ juriſdictione, Eccleſiam & Collegium illud exemit, adjectis conditionibus, ad Dignitatis Archiepiſcopalis decus, & Ritum Ambroſianum, per univerſam Diœceſim in Regularibus etiam Clauſtris vigentem, omnimodè retinendum.

OBER-

OBERTUS I.

Poſt viginti tres dies Sedis vacantis, Obertus, ſeu Ubertus, ex Capitaneis de Pirovano, Robaldo ſucceſſit die XXII. Januarii Anni MCXLVI. Obierat Lotharius Imperator, ùt diximus, Anno MCXXXVII., quemadmodum Struvius *in Hiſtoria Germaniæ* plurium Scriptorum teſtimonio confirmat; eique in Comitiis Confluentiæ, Oppidi Galliæ, celebratis ſubſtitutus fuerat Conradus II., olim rebellis & Schiſmaticus, tunc verò legitimè electus. Hunc Auguſtum Principem, quem Anſelmus V. Archiepiſcopus, Mediolani & Modoëtiæ Regio ſerto præcinxerat, atque ob id Pontificio anathemate, unà cum Civitate Mediolanenſi perculſus fuerat, iterum eâdem Coronâ redimitum fuiſſe utrobique a Robaldo, ſeu ab Oberto tradidere Scriptores noſtri, quos enumerat Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.*, num. CD., atque inter eos etiam Calchus ad Annum MCXXXVIII. Attamen commentum hoc eſſe Vir ille antiquitatis peritiſſimus ſcribit; & meritò. Cùm enim memoratus Imperator pluribus in Germania excitatis tumultibus aliò diſtineretur, Rogerio invaſore Siciliæ inſtigante, ne Conradus Siciliæ Regnum recuperaret, quemadmodum tradit Andreas Presbyter *in Chronico Bavariæ*, minimè potuit in Italiam validâ militum manu ſeſe conferre. Scribit ſanè Sigonius ad Annum MCLII., *Conradum Coronæ accipiendæ, Apuliæ recuperandæ, & Lombardiæ non tam componendæ*

dæ quàm comprimendæ ſtudio inflammatum juraſſe, ſe propediem cum exercitu in Italiam trajecturum; verùm eodem Anno (ideſt MCLII.) *repentino morbo oppreſſum, non ſine veneni ſuſpicione, a Medicis inductu Rogerii dati, XV. Calendas Martii vitâ ceſſiſſe.*

Inter primas hujus Archiepiſcopi noſtri curas ea fuit, ut ad preces Abbatis & Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, in Cœnobio Sancti Simpliciani degentium, Diploma confirmationis omnium Bonorum, quæ tunc illi poſſidebant, expediret; quod etiam peregit Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, menſe Januarii, Indictione decima. Subſcriptus eſt huic Chartæ Obertus ipſe Archiepiſcopus, unà cum aliis Collegii Ordinariorum Metropolitanæ, & Galdino Diacono ac Cancellario: Authenticum autem ejuſdem Exemplum, juſſu Ottonis Archiepiſcopi Mediolanenſis editum a Rodulpho Notario Mediolani *Anno MCCXCIV., tertio exeunte Januario Indictione ſeptima*, ſervatur in Archivo memorati Monachorum Cœnobii.

Biennio poſt electionem ſuam Obertus in favorem quoque Monachorum Sancti Ambroſii Mediolani confirmationem indulſit omnium Privilegiorum, quæ a prima iſtius Cœnobii origine, *conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu aliis juſtis modis* adepti erant. Extat hoc Documentum in Archivo eorumdem Monachorum, ab Ughello jam vulgatum. Sedavit etiam animos invicem diſſidentes Præpoſitorum Eccleſiis Sancti Euſtorgii (quæ nondum Sancti Dominici Alumnis ceſſerat) & Sancti Laurentii, controverſias eorum definiens, quæ utrumque Canonico-

nicorum Collegium diu vexaverant; datâ Sententiâ in Palatio Mediolanenſi, *Anno Dominicæ Incarnationis MCLII.*, *menſe Januarii*, *Indictione quintadecima*, cujus exemplar authenticum inſpexit Puricellus in Archivo Baſilicæ Sancti Laurentii.

Alteram Sententiam protulit Obertus Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſpcopus in controverſia de electione Parochi Eccleſiæ Sanctæ Mariæ *ad Circum* nuncupatæ, inter vicinos ejuſdem Eccleſiæ, & Abbatiſſam Monaſterii Majoris: Illi enim prætendebant, proprii juris eſſe electionem Parochi memorati; contra verò Abbatiſſa antiqua jura ſua in eam Eccleſiam, & conſuetudinem in illos armabat. Obertus autem, cùm prædictos Vicinos judicium detrectantes videret etiam poſt datas inducias, eorum petitionem in contumacia damnavit, latâ in favorem memoratæ Abbatiſſæ Sententiâ, cujus Exemplar Clariſs. Muratorius intulit in Tomum V. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. DLXV. Actum eſt hoc Placitum Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII., menſe Julii, Indictione undecima, ſubſcriptuſque eſt ipſe Obertus Archiepiſcopus, unà cum aliis Canonicis Metropolitanæ Baſilicæ, ſigillo etiam Archiepiſcopali Chartam hanc muniri jubens. Certè in hodiernum uſque diem Monaſterii Majoris Abbatiſſa in hoc jure perſeveravit, nutu ſuo eligens Parochum, qui Sanctæ Mariæ *ad Circum* Eccleſiæ, eſt pro tempore inſtituendus. Jam itaque Chartam ipſam ſubjicimus.

„ Obertus Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Ar-
„ chiepiſcopus. Dilectæ in Chriſto filiæ Margaritæ Monaſterii
„ Majoris Abbatiſſæ, ejuſque Sororibus ſalutem. Scriptum
„ eſt: *ſi verè utique juſtitiam loquimini, rectè judicate filii*

 „ *homi-*

„ hominum, & alibi: *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore*. His itaque auctoritatibus
„ communiti, diſcordiæ inter Abbatiſſam Majoris Monaſterii,
„ Vicinoſque Eccleſiæ Beatæ Mariæ, quæ dicitur *ad Circulum*, diutiùs agitatæ debitum ſtuduimus imponere finem.
„ Controverſia autem hæc erat: Prænominati ſiquidem Vicini, quòd de jure ſibi competeret Sacerdotem vel Clericum, qui illi Eccleſiæ Beatæ Mariæ deſerviret, petere
„ vel eligere, & ipſam electionem ſolummodo Domno Archiepiſcopo, & nullatenus Abbatiſſæ repræſentare, ut ab
„ eo confirmaretur, aſſerere nitebantur. Adverſa autem pars
„ eorum refellens intentionem, prænominatam Beatæ Mariæ
„ Eccleſiam ad jus & dominium jam dictæ Abbatiſſæ ejuſque Sororum ſpectare, ita quod inibi Sacerdotes vel Clericos inconſultis Vicinis liberè & ſine eorum contradictione
„ ponere poſſit & debeat, pluribus inductis rationibus allegabat. Nos itaque hanc litem dirimere, & cuique jus
„ ſuum ſervare volentes, utrique Parti terminum præfiximus;
„ ad quem prædicti Vicini ante nos venientes, & adverſam
„ partem nullatenus rationabiliter improbantes, a tramite veritatis deviantes, in ſuis defecerunt petitionibus. Quibus
„ propterea uti ad plenum, ſi quam in hac Cauſa juſtitiam
„ haberent, dignoſceremus, eiſdem alias quaſi ex abundantia
„ dedimus inducias. Ipſi verò tamquam Dei juſtitiâ diffidentes, noſtrum ſubterfugiendo judicium, per contumaciam
„ ſe abſentaverunt. Abbatiſſa autem tamquam innocens, &
„ ut abſolveretur ad judicium properans ad nos venit, parata noſtræ obedire Sententiæ. Communicato itaque cum
„ Fra-

„ Fratribus noſtris conſilio, cùm ſcriptum ſit, quòd *abſentes* „ *per contumaciam, ut nihil de ſua lucrentur contumacia, tam-* „ *quam præſentes judicentur*, Galdino Cancellario noſtro, uti „ hanc promulgaret Sententiam injunximus. Qui noſtro parens „ mandato inquit. Si Abbatiſſa Majoris Monaſterii per Advo- „ catum ſuum juramento præſtito affirmaverit, quòd Eccleſia „ Beatæ Mariæ, quæ dicitur *ad Circulum*, ſua ſit, ita quòd „ in ipſa Eccleſia Sacerdotes vel Clericos, qui in Eccleſia illa „ Divina celebrent Officia ſine conſilio præfatorum Vicinorum „ vel conſenſu, ponere, collocare poſſit & debeat, amodo Ec- „ cleſia illa in dominio & poteſtate illius Abbatiſſæ & aliarum, „ quæ pro tempore fuerint in Monaſterio illo, perpetuo jure „ permaneat, eamdemque ſicuti Eccleſiam ſuam de cetero diſ- „ ponat & ordinet. Ibique ſæpedictæ Abbatiſſæ Advocatus, „ Obizo nomine, ſicut in Sententia fuerat promulgatum, jura- „ mento firmavit. Inſuper etiam Guilielmus Cacainarca, & Am- „ broſius Greppus, Scutolinus Butraffus de ſupraſcripta Eccleſia „ in noſtra manu per ſe, & per alios Vicinos finem fecerunt, „ & nos eam vice ſæpenominatæ Abbatiſſæ ſuſcepimus. Actum „ eſt hoc, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo „ quadrageſimo octavo, menſe Julii, Indictione undecima.

„ Ego Obertus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

„ Ego Tedaldus Archipresbyter ſubſcripſi.

„ Ego Anſelmus indignus Diaconus interfui & ſubſcripſi.

„ Ego Wilielmus Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Jordanus Diaconus ſubſcripſi.

Solicitudinem quoque ſuam protendit Obertus ad componendos animos Antiſtitum Mediolanenſis Provinciæ. Cùm

enim

enim ferveret diſſidium inter Obertum Cremonenſem, & Girardum Bergomenſem Epiſcopos, ſagacitate ſua & conſilio apud Legatum Apoſtolicum Guidonem de Summo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem ita omnia diſpoſuit, ut diſcordia diutiùs vigens de medio tolleretur. Data eſt Sententia *in Palatio Mediolani*, *Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII.*, *IV. Idus Octobris*, *Indictione XII.* eamque eruit ex Regeſto Cremonenſis Epiſcopii Franciſcus Antonius Zacharias, Societatis Jeſu, in laudatiſſimo ſuo Opere *Cremonenſium Epiſcoporum Series*, pag. CXX.

Præ ceteris tamen Paſtoralis erga gregem amoris exemplis, quibus regimen ſuum illuſtravit Obertus Archiepiſcopus, inſigne admodum ac laude digniſſimum illud fuit, inducendi in Collegium Canonicorum Metropolitanæ Baſilicæ, communis vitæ Inſtitutum. Nemini ignotum eſt, poſt felices annos Eccleſiæ naſcentis, cùm ſcilicet non tam Bona Chriſtifidelium communia tunc forent, ſed etiam ob fraternæ caritatis vinculum, unum in ipſis cor eſſet & anima una, intepuiſſe fervidam hanc Societatem, ac prorſus deciſiſſe. Seculo IV. jacta ſunt in Italia fundamenta, ad hanc religioſam vivendi normam ſaltem inter Clericos renovandam; primuſque fuit Sanctus Euſebius, qui vitæ communis methodum Clero ſuo Vercellenſi inſinuaret perficeretque, quemadmodum ex Sermonibus Sancti Maximi Taurinenſis Epiſcopi, iis temporibus fermè æqualis, optimè evincit Clariſs. Muratorius Tom. V. *Antiquit. Ital. Medii Ævi*, Diſſertatione LXII. Sanè hac in re Sanctus Euſebius laudatores plures habuit, quàm imitatores. Octavo Seculo non tam reviviſcere

cœpit

cœpit præclarum hoc Inſtitutum; ſed etiam Epiſcopus Metenſis Chrodogangus Regulam hujuſmodi Clericorum in commune viventium conſcripſit; eamque poſtmodum Concilium Moguntinenſe, Anno DCCCXIII. coactum approbavit ſimul atque laudavit. In Italiam quoque ſenſim penetravit iſta vivendi norma; pluraque inſtituta ſunt Collegia Clericorum eodem Seculo, teſte memorato Muratorio, qui Diplomata plura, ad eam ſtatuendam in Italicis Eccleſiis data ibidem recenſet. Extat in Labbeo Tom. VIII. *Conciliorum* Decretum Eugenii II. Summi Pontificis, prolatum in Synodo Romana, habita Anno DCCCXXVI., quod ſic jacet: *Neceſſaria res exiſtit, ut juxta Eccleſiam Clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent: Itaque omnibus unum ſit Refectorium, ac Dormitorium* &c. Non ſegnis fuit Mediolanenſis Metropolis ad hoc vitæ genus in inſignioribus Eccleſiis admittendum; Seculo namque decimo in iis vigebat Ordo Præpoſiti, & Canonicorum, ùt fuſiùs narravimus *in Diſſertatione hiſtorica, ad vindicandam veritatem* &c. Cap. II., & XIV. In Metropolitano Templo Jordanus Mediolanenſis Archiepiſcopus (ùt ſuperiùs innuimus) datis Literis Anno MCXVI., poteſtatem Decumanis Eccleſiæ Majoris fecit, ut *Altari Sancti Blaſii uterentur, ad Sacra peragenda in communi vita degentes*; Primarius tamen Clerus nondum eo tempore leges haſce amplexus fuerat. Reſervata eſt Obetto huic Archiepiſcopo laus redigendi in unum reditus omnes Collegii Ordinariorum Mediolanenſium, ut ſimul degere poſſent, more in aliis Eccleſiis jam inſtituto. Supplex itaque per Literas ad Eugenium III. Pontificem Maximum perrexit, qui, expedito Diploma-

plomate Anno MCXLIX., Oberti propoſitum ſummopere commendavit, eique auctoritate Apoſtolica indulſit, ut reditus omnes ac proventus Metropolitanæ Eccleſiæ ad communem vitam Canonicorum, qui in loco ipſo pro tempore morabuntur, in unum colligeret, ac ſcripto Privilegio confirmavit; præcipiens, ut ea quæ ad ſervandam communem vitam adhuc deerant, quantocitiùs complerentur, videlicet, *ut in uno Refectorio comederent, atque in uno Dormitorio dormirent*. Quid ſubinde actum ſit, Hiſtoriæ noſtræ non memorant. Certè Sanctus Carolus Borromeus, hujuſmodi exemplo commotus, niſu omni curavit, ut hoc Inſtitutum in Metropolitano Collegio reſtitueretur; ſed in irritum, ob ſubnaſcentes difficultates, religioſiſſima ejuſdem vota ceſsêre, quemadmodum narrat Gluſſianus *in ejus Vita* Libr. V. Cap. II.

In Tabulario Inſignis Baſilicæ Canonicorum Sancti Georgii, *in Palatio* appellati, aſſervatur Charta Placiti, ab Oberto lati, in Controverſia, quæ tunc vertebat inter Guifredum Præpoſitum atque Canonicos, & Joannem Diaconum ejuſdem Eccleſiæ, Superſtantis munere fungentem. Eam, cùm nondum lucem viderit, & manu propriâ Oberti ſignata ſit, integram vulgare, non incongruum exiſtimamus.

„ ☧ In Nomine Sancte & Individue Trinitatis. Recorda-
„ tio Sententie, que data eſt a Domno Oberto, Sancte Medio-
„ lanenſis Eccleſie Archiepiſcopo, ſuper Controverſia, que erat
„ inter Guifredum Canonice Beati Georgii Prepoſitum ejuſque
„ Fratres, & ex altera parte Johannem, qui dicitur Saracenus,

&

„ & eſt ipſius Eccleſie Diaconus & Superſtans. Controverſia
„ autem hec erat: Conquerebatur ſiquidem Prepoſitus, quod
„ prefatus Johannes Superſtans, ipſius Eccleſie Cimiterium,
„ quod ei non licet, nam ipſius Cimiterii diſpoſitio ſeu or-
„ dinatio ad Prepoſitum ejuſque Fratres liquidò ſpectare di-
„ noſcitur, uſurpaverat, & ut Domus quam in eodem Ci-
„ miterio quidam Superſtans, ut dicebatur, hedificaverat,
„ quia preſtat impedimentum, deſtrueretur, & oſtium alte-
„ rius Domus Superſtantis, quod ad ipſum vergit Cimite-
„ rium, clauderetur, intendebat. Econtra preſcriptus Johan-
„ nes, quoniam, ut cujuſque Eccleſie Superſtans, de Ec-
„ cleſia eſt, ſe licite Cimiterium poſſe tenere dicebat, nec
„ Domus deſtruenda, nec oſtium claudendum eſt, quoniam
„ tam ego, quam Predeceſſores mei per XL. annos & eo
„ amplius hec omnia quiete poſſideo. Inſuper diſpoſitionem
„ ſepulcrorum, que in ſepedicto Cimiterio ſunt, de quibus
„ Prepoſitus conqueſtus fuerat, ad ſe, non ad Prepoſitum
„ pertinere dicebat. Viſis itaque hinc inde rationibus & ar-
„ gumentis Venerabilis Domnus Archiepiſcopus, communica-
„ to cum Fratribus ſuis conſilio, hanc promulgavit Senten-
„ tiam, inquiens. Oſtium, de quo dictum eſt, muro clau-
„ datur, domus deſtruatur, & ut Cimiterium uſque ad ....
„ pedes, ut Canones dictant, liberum, & ſepulture de ce-
„ tero in poteſtate ... diſpoſitione Prepoſiti & Canonico-
„ rum conſiſtant, precepit.

„ Data eſt hec Sententia a Domno Oberto, Sancte Me-
„ diolanenſis Eccleſie Archiepiſcopo Anno milleſimo centeximo
„ quinquageximo tertio, menſe Auguſto, Indicione prima.

„ ✠ Ego Obertus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Alterius Sententiæ Documentum typis edidit ibidem Ughellus, in Controverſia, quæ agitabatur inter Canonicos Eccleſiæ & Plebis Sancti Victoris de Caſolate (vulgò *Caſorate*), atque Abbatem Monaſterii Morimundi, conſtituti prope Coronagam, ſuper XVII. agrorum poſſeſſionem, quam utraque Pars ſui juris eſſe venditabat. Illam ſerio examine Teſtium, coram Arnaldo de Ludiglo Aſſeſſore ſuo & Judice productorum, idem Archiepiſcopus definivit, Abbatem & Monaſterium de Morimundo a petitione Canonicorum ſeu Plebis abſolvens. Data hæc eſt Anno Dominicæ Incarnationis MCLIV, V. Calendas Martias, Indictione II., & ſubſcripta ab Oberto Archiepiſcopo.

Quanto ardore ferveret Archipræſul noſter Obertus inferendi in omnes Sacras Familias pacem & quietem, manifeſtum quoque facit Sententia, quam Puricellus vulgavit *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. CDIX. Lata autem eſt Anno a Nativitate Domini MCLIV., cùm ab Incarnatione aſſignari deberet Anno ſuperiori. Controverſiam circa legitimam poſſeſſionem Hoſpitalis & Eccleſiæ dicatæ Sancto Michaëli, quam Fratres prædicti Hoſpitalis ſibi debitam prætendebant, inſtituto judicio & Teſtium examine Obertus diremit, in Monachos Sancti Ambroſii potiori jure illam referendam eſſe dijudicans. Clariſs. Muratorius eamdem Chartam refert Tom. II. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. MCCLXIX.

Incidit Archiepiſcopus iſte in ea tempora, quibus a Friderico I. Imperatore renovatum eſt, acriùs quàm ante, Schiſma in Eccleſiam Romanam, & ferale excidium in Mediolanen-

lanenſem Urbem, a crudeli eodem hoſte illatum. Inauguratus fuerat Imperator Fridericus poſt mortem Conradi Patrui, Anno MCLII. Elapſo Biennio in Italiam ſe contulit, ideſt Anno MCLIV. Sigonius, Puricellus, aliique Mediolanenſes Scriptores tradidere, Fridericum Regium Italiæ Sertum tunc ſumpſiſſe e manu Oberti Archiepiſcopi in Baſilica Sancti Ambroſii. Sed nimiam fidem adhibuere Galvaneo Flammæ, qui *Hiſtoriam* ſuam *Comitum Angleriæ* Commentis infarcivit; Morena enim, qui præſens tunc erat, nihil de hoc refert; imo irâ fuiſſe inflammatum. Fridericum contra Mediolanenſes ſcribit, quòd Sicherium Legatum ſuum, ad eos miſſum in favorem Laudenſium, malè habuiſſent. Pagius verò ad hunc Annum, num. XII. & ſeqq. ſingillatim dicta Scriptorum refellens, ad fabulas prorſus amandat prædictam Coronationem. Perrexit quidem Romam Fridericus, ubi ab Adriano IV. Summo Pontifice inſignitus eſt Imperii Coronâ ac nomine Auguſti, Anno eodem MCLIV., XIV. Calendas Julii; ſed Italicum diadema minimè tunc recepit.

Liberalem etiam animum ſuum oſtendit Obertus, præſertim circa Religioſos Viros, Sacra Deo litantes, & Eccleſiaſticis Collegiis adſcriptos: Siquidem Guifredo & Canonicis Baſilicæ Sancti Euſtorgii jure perpetuo conceſſit *ordinationem, diſpoſitionem, regimen, dominium, & inveſtituram Superſtantiæ ipſorum Eccleſiæ*. Chartam hujuſce Donationis a ſe inſpectam Puricellus loco laudato, num. CDXIV., & num. CDXXI. tradit, expeditam fuiſſe Anno Dominicæ Incarnationis MCLVI., menſe Julii, Indictione quarta.

Superiùs innuimus, Sicherium Friderici Imperatoris Le-

gatum, miſſum e Germania ad Mediolanenſes, ut pro Laudenſibus peroraret, malè acceptum fuiſſe a Primoribus noſtræ Urbis; imo exarſiſſe illos contra Laudenſes, quòd Fridericum adversùs hanc Metropolim malo animo incendiſſent. Quapropter Anno MCLVII. Cives Laudæ Mediolanum accivere, ut juramento fidem ſuam firmarent, præſtarentque ſinceram Mediolanenſibus obedientiam. Paruêre mandato Laudenſes, collectique in Palatio Oberti Archiepiſcopi, ſe paratos exhibuerunt ad nutum Conſulum & Primorum Urbis noſtræ, excepto tamen juramento, ne juratam jampridem Imperatori fidem infringerent. Obertus idem miſeratione commotus, cùm eos pedibus ſuis jacentes flenteſque conſpiceret, enixè rogavit pro ſua paterna pietate adſtantes omnes Conſules Primoreſque Viros, ut aliquid indulgenter remitterent de injuncto præcepto: Sed fruſtra; ipſi enim cum valida militum manu Laudam petentes, eamdem penitus exciderunt. Narrat hæc Otto Morena, qui tamen ubique ſeipſum prodit, acerrimo livore in Cives noſtros ſuccenſum, cujus in hoc uno tantùm facundus eſt calamus, ut exoſos poſteritati reddat Mediolanenſes.

Delatum eſt ad aures Friderici I. Imperatoris ferale hoc nuncium exciſæ Laudenſis Urbis; quamobrem irâ percitus vindictam in proximum Annum juravit, cùm tunc temporis implicitus eſſet Germanicis bellis. Anno itaque MCLVIII. ſuperatis Alpibus, in Campos Italiæ extremo menſe Majo cum ſuis copiis deſcendit, obſeſsâque primò Urbe Brixiæ, quæ cum Mediolanenſibus fœdus inierat, eamdem ad deditionem coëgit. Exterriti Cives noſtri, ut imminentem jam ſibi

ſibi bellicam procellam averterent, Principes Viros ad Fridericum miſêre, ut illius iram pecuniâ aut gratiâ mulcerent. Sed incaſſum, cùm potiùs Imperator magis exacerbatus, Mediolanenſes declaraverit hoſtes. Nec mora: Mediolanum obſidione cinxit, validoque impetu munimenta perfregit. Obſtitere quidem pro virili Cives noſtri; ſed cùm effugia omnia ſalutis & libertatis auferri ac dirui viderent, pluresque eorum obſtinatè uſque ad extremum pugnare vellent pro Patria, Guido Comes Blanderatenſis, unus & ipſe Mediolanenſium Procerum, ùt tradit Radevicus Friſingenſis Libr. I. Cap. XL., prudenti ſolidaque adhortatione oſtendit, amentis furioſique hominis eſſe, deſperatè obniti contra hoſtem, mucrone jam faucibus inſiſtentem. Orationem integram recitat Sigonius ad Annum MCLVIII. Quamobrem de petenda a Friderico pace conſilium unanimes ſunt amplexi; miſſiſque ad Regem Boëmiæ, & Ducem Auſtriæ Conſulibus aliiſque Civitatem moderantibus Optimatibus, ut benevolum redderent Fridericum, habitâ ab Auguſto Principe ſecuritate, ad illum ſupplices acceſſêre primò Obertus Archiepiſcopus cum Clero univerſo, prælatis Crucibus, ùt tunc mos erat in Italia, dein Conſules & Majores Civitatis, poſtremò turba omnis mulierum, & puerorum, clementiam implorantium. Excepit illos ſereno vultu Fridericus, teſtatus ſe nonniſi invitum contra Clariſſimam hanc Civitatem arma moviſſe. Verùm duriſſimis conditionibus, quas ex Radevico deſcripſit Sigonius, gratiam & benignum amorem ſuum ſupplicibus Civibus reſtituit, illoſque liberos ad Urbem remiſit. Proceſſiſſe exinde Fridericum Modoetiam,

tiam, ibique Regni Italici ſerto ab Archiepiſcopo noſtro coronatum fuiſſe refert Continuator Ottonis Friſingenſis Radevicus; ſilentibus tamen de hac re Ottone Morena, & Sire-Raul, in Urbe noſtra tunc commorantibus. Statuit poſtmodum, Curiam habere in Roncaliis, ad repetenda Regalia, & Leges formandas: Idcirco convocatis omnibus Italiæ Principibus, necnon etiam Epiſcopis, eam aperuit die Feſto Sancti Martini. Adfuit Archiepiſcopus noſter Obertus, qui nomine omnium Epiſcoporum ac Procerum eloquentiſſimè peroravit; eaque Oratio legitur Libr. II. Radevici *Hiſtoriæ*, Cap. IV. In hac autem cuncta jura, quæ hactenus poſſederant, Imperatoris arbitrio ſubſidere, Legeſque ab ipſo editas acceptarunt.

Deceſſerat ex hac vita Calendis Septembris Anni MCLIX. Adrianus IV. Pontifex Maximus, eique ſubſtitutus fuerat a ſaniori Cardinalium Cœtu Rolandus Cardinalis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, ſub nomine Alexandri III.; Octavianus autem pariter Cardinalis, Tituli Sanctæ Cæciliæ, a duobus tantùm Collegis ſuis electus, Pontificatum invaſit. Huic adhæſit Ænobarbus: Quapropter ab Alexandro III. legitimè in Sancti Petri Cathedra ſedente tum Octavianus (Victor III., ſeu IV. ùt alii volunt, appellatus) tum Fridericus ipſe Imperator, Anagniæ Anno MCLX., ſacro anathemate confixi fuere. Imo Literas ipſe Pontifex ad Principes & Civitates dedit, necnon ad Epiſcopos, ut prædictos Schiſmaticos exſecrarentur. Præcipuè verò ad Mediolanenſes Joannem Anagnium Cardinalem legavit. Is autem III. Calendas Martii unà cum Oberto Archiepiſcopo ſuggeſtum Má-

Majoris Eccleſiæ conſcendens, Octavianum & Fridericum Sacris interdixere; die verò XII. Martii eodem telo perculerunt ceteros Epiſcopos ac Proceres, qui Schiſma fovebant. Fridericus indignatione exarſit contra Mediolanenſes, non hac tantùm de cauſa, ſed multò magis, quòd Legatos ſuos Raynaldum Cancellarium, recenter Archiepiſcopum Colonienſem electum, & Ottonem Palatinum Comitem de Bajoaria, Mediolanum miſſos, ut Prætorem & Conſules nomine Imperatoris crearent, excitato in Urbe tumultu ab hac Metropoli expuliſſent. Ideo iterum caſtra movit, ut Mediolanum expugnaret. Non defuit paterno erga Oves ſuas & Patriam amori Obertus Archiepiſcopus, qui (ùt ſcripſit Sire-Raul, editus Tom. VI. *Scriptor. Italiæ*, & præſens rebus quæ tunc agebantur) unà cum Milone Archipresbytero, Galdino Archidiacono, & Algiſio Cimiliarcha hortatus eſt populum ex parte Dei Omnipotentis & Beati Ambroſii, ut viriliter ad bellum procederet; quin etiam collectis militibus ipſemet Varixium perrexit, & ad finitima Oppida Friderico addicta, ob tollenda Imperatori ſubſidia. Parùm tamen hæc omnia prudentiæ & ſtrenuitatis conſilia profuere; Fridericus enim Germanicis Italiciſque copiis ſtipatus afflictam Civitatem diuturna obſidione, ferroque ac fame coëgit ad deditionem. Antequam tamen Mediolanenſes ſe ſuaſque opes ac liberos voluntati victoris offerrent, Obertus cum memoratis Milone, Galdino, Algiſio (qui omnes unus poſt alium Ambroſianam Cathedram conſcenderunt) & aliis majoribus Eccleſiæ ſuæ Miniſtris Alexandro III. militantibus, Genuam ſe contulit ad eumdem Summum Pon-

Pontificem, qui illuc recenter appulerat. Interim Fridericus victoriâ relatâ ſuperbiens, relegatis in Suburbia Civibus noſtris, Urbem iſtam inimicis diruendam reliquit, eamque ingreſſus ſub Quadrageſimæ finem Anni MCLXII., benedictas Oleas de manu Abbatis Sancti Ambroſii, Schiſmati faventis, in ea Baſilica more chriſtiano recepit, cetero ejuſdem Eccleſiæ Clero, ob præſtitam Alexandro obedientiam, exilium libentiſſimè amplectente.

Auxit lacrymabilem calamitatem doloremque Civium ea inſolentia, qua non tam Domibus, quàm Templis vaſtationem intulere effrænati Milites, pretioſumque Theſaurum, videlicet Corporum trium Sanctorum Magorum, qui Infantem Jeſum in Bethlehemitico ſpecu, flexo genu ac munerum oblatione adoraverant, aliò tranſportavere; Raynaldus enim ſuperiùs relatus, Archicancellarii Italiæ dignitate jam inſignitus, eadem Sacra pignora, Friderico aſſentiente, ad Colonienſem Urbem tranſmiſit, unà cum aliis Sanctorum Reliquiis, veluti ſpolia e denudatis Altaribus evulſa, in crudelis triumphi memoriam. Hæc Sacra Corpora, utpote validiſſima Civitatis præſidia, religioſiſſimè aſſervata in Templo Sancti Euſtorgii extra mœnia erecto a pluribus antea Seculis, ne in manus cederent Ænobarbi, imminente obſidione, intra Urbem traduxerant Mediolanenſes, atque in Turri Sacræ Ædis Sancto Georgio dicatæ collocaverant ſuper Tabulam candidi marmoris, columellis pariter marmoreis ſuffultam, quæ adhuc extat, & recognita fuit nuperrime a duobus Canonicis Eccleſiæ Colonienſis, ex ea Urbe Mediolanum profectis, tamquam omnino congruens antiquis Scripturis,

Digitized by Google

turis, quæ in eorumdem Tabulario ſervantur. Soliciti ſemper fuere Mediolanenſes, ut ſi non integra pretioſiſſima hæc pignora, ſaltem partes aliquas iterum in Eccleſiam noſtram reducerent. Datæ propterea ſunt non ad Colonienſes tantùm, ſed etiam ad Summum Pontificem alioſque Proceres Literæ a Ludovico Maria Sfortia Mediolani Duce Seculo XV., ac ſequenti a Sancto Carolo Borromeo, & demum ab Eminentiſs. Alphonſo Litta Archiepiſcopo Mediolani; ſed irrità ſemper curà, fruſtratoque noſtrorum Civium deſiderio, quemadmodum fusè narravimus *in Appendice* ad *Diſſertationem pro vindicandis Mediolano Sanctorum Protaſii & Gervaſii Corporibus*, editâ in hac Urbe Anno MDCCXIX.

Verùm, ut inſiſtamus venerandis Oberti Archiepiſcopi noſtri veſtigiis, qui ad Alexandrum III. Genuæ degentem unà cum Sociis confugerat, Hiſtoriam proſequimur. Non diu ibidem moram duxit Pontifex ille; ſed in Galliam delatus comitem ſemper habuit Obertum noſtrum, & Socios Mediolanenſes in peregrinatione ſuſcepta per eas Provincias, Concilia paſſim celebrans, quæ refert Labbeus. Ferme per quadriennium exulavere in Eccleſiis Gallicanis egregii iſti Duces Fidei, & Schiſmatis oppugnatores, ſicuti refert Anonymus Scriptor *Vitæ Sancti Galdini*, apud Bollandum die XVIII. Aprilis, & Pagium ad Annum MCLXV., donec feliciſſimè in Italiam reverſus Alexander Romam repetiit, plaudente populo feſtivis acclamationibus. Redux e Galliis Pontifex Maximus Meſſanam appulerat; inde verò triremibus Gulielmi Regis Siciliæ transfretaverat mare, Salernum deductus, atque inde Romam. Verùm plerique Præſules, qui il-

Pp lum

Digitized by Google

lum comitabantur, pertæſi maritimum iter, ùt tradit Sigonius ad Annum MCLXV., terreſtrem viam aggreſſi in Beneventana Urbe conſtiterant. Obertus autem exilio, ærumnis, & ſenio confectus, ibidem extremo correptus morbo vitam depoſuit Anno MCLXVI., V. Calendas Aprilis.

Huic Sanctiſſimo Archiepiſcopo non defuere calumniæ, ab ipſis Mediolanenſibus in eumdem illatæ. Galvaneus Flamma, quo tamquam Magiſtro etiam alii paginas ſuas infecere, is fuit qui fœdiſſimum Commentum Scriptis ſuis inſeruit; invehitur enim in Obertum, veluti hujus Metropolis proditorem, exilio etiam a Friderico ob id damnatum; ſubjungitque, memoratum Præſulem, cùm ſe deſpectum atque exoſum omnibus videret, juſſiſſe, ut ſibi mortuo præciderentur lingua manus & pedes; atque ita factum eſſe tradit: quo putido mendacio nihil deteſtabilius ſub Sole audiri poteſt. Suſcepit illius tutelam, juſtam ſanè ac neceſſariam, Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.* num. CDLXXIX., ne debita tanto Viro laus, apud infirma & imperita ingenia excideret ac deturparetur; ſincerumque Sriptorem *Vitæ Sancti Galdini* teſtem adducit ita loquentem: *Contigit, ut Obertus Mediolanenſis Archiepiſcopus, Præceſſor ſuus* (Galdini) *ad Dominum in pace migraret, omnibus relinquens exemplum, pro Fide & unitate Eccleſiæ ſe morti ac periculis dare, ac pro Domino caducam hanc & mortalem vitam ponere*. Pagius quoque ad Annum MCLXII. innocentiam Oberti tutatur, carpens nonnullos malè de eodem ſentientes, præſertim Sigonium, qui Flammam ſequi videtur, dum ait, urgente rabidiſſima fame tunc temporis Mediolani, accuſatum

tum fuiſſe Obertum paſſim a Civibus, *quaſi ille bello temerè tanto cauſam dediſſet, aut paci moram atque impedimentum afferret*. Hòc autem falſi omnino arguit narratio Morenæ & Sire-Raul, famem iſtam & excidium Urbis minutim referentium. Subjungit verò idem Pagius, optimè ſe geſſiſſe Obertum in iis tumultibus, nec alia de cauſa prætuliſſe voluntarium exilium amori Patriæ, niſi quia Fridericus impensè faveret Pſeudo-Pontifici, a quo ipſe abhorrebat inſenſiſſimè.

Galeſinius in *Tabula Synodali* refert, hunc Archiepiſcopum ſolicitam curam habuiſſe, ut exciſa a Friderico hæc Metropolis reflореret; adeòque Pontidenſe Colloquium cum finitimis Urbium Primoribus indixiſſe, ut fœdus inirent, excuſſoque jugo ſervitutis graviſſimæ, ſeſe in priſtinam libertatem aſſererent; atque eidem adſtitiſſe, ùt ex Catalogo Archiepiſcoporum Mediolanenſium, inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ*, in Oberti Vita relatum videmus. Error tamen hic eſt recentium Scriptorum, Obertum cum Sancto Galdino confundentium: quo verè in Mediolanenſi Sede conſtituto Societas Langobardorum ſtatuta fuit, & in antiquum decorem Mediolanenſis Urbs reſtituta.

Sedit Obertus in Metropolitana Mediolanenſi Cathedra annis XX., menſibus II., & diebus VI., ideſt a die XXII. Januarii, Anni MCXLVI., ad XXVIII. Martii Anni MCLXVI., Catalogis antiquis id adnotantibus.

Tumulum habuit Beneventi, in Eccleſia Sanctæ Sofiæ Ordinis Sancti Benedicti, dignis Exequiis ſummoque cum honore ſepultus, Anonymo Scriptore *Vitæ Sancti Galdini* coævo, & paulo infra memorando, id referente.

SANCTUS GALDINUS.

EX nobili Valvaſſorum de Porta Orientali Stirpe, dictâ *de Sala*, progenitus Sanctus Galdinus, cooptatus in Collegium Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ, primò Subdiaconi & Cancellarii per diuturnum tempus, dein Archidiaconi munere functus fuit. Invaleſcente autem Schiſmate, & Friderico Imperatore arctiſſima obſidione excidium huic Metropoli minitante, comitem Oberto Archiepiſcopo noſtro ſe dedit, ut Alexandro III. Summo Pontifici, cui ſemper fidus adhæſerat, præſentiæ ſuæ obſequium præſtaret. Poſt varia cum ipſo itinera in Galliis ſuſcepta per quadriennium, eumdem proſecutus eſt uſque Salernum: Subinde Beneventum profectus Anno MCLXV. evocatus eſt Romam, ubi jam Alexander morabatur; cùmque ille promptè obſequutus fuiſſet Pontificiis mandatis, adſcriptus eſt Cardinalium Collegio, ſub Titulo Sanctæ Sabinæ; annoque ſequenti mortem Oberti reſcivit, non ſine maximo dolore, ùt teſtatur Anonymus in ejus Vita, inquiens: *Beatus Galdinus tanto Patre orbatus, tantoque deſtitutus ſolatio, multas pro cariſſimo Patre & Dominò lacrymas fudit, metuens, ne tanto Patre ex hac luce migrante Mediolanenſis periclitaretur Eccleſia, præſertim cùm eo tempore Civitas diruta jaceret, & populus ſub jugo captivitatis & duræ ſervitutis detineretur*. Videant hìc Oberti oſores, an proditoris

titulo

titulo aliiſque dicteriis ſupra relatis denigranda ſit fama Sacri hujus Viri, quem tanti faciebat Sanctiſſimus Præſul Galdinus.

Non expectavit Alexander Pontifex Maximus diutinam moram temporis ad reſarciendam gravem hanc jacturam Mediolanenſis Metropolis; ſed diſperſo in hiſce partibus Clero, Suffraganeis verò Epiſcopis ferme omnibus Schiſmate infectis, Romæ collegit Algiſium Cimiliarcham, Galdinum Archidiaconum, & Milonem Archipresbyterum, ceteroſque Primores Eccleſiaſticos Viros, qui eum comitati fuerant, illiſque inſtantibus, Galdinum Virum ſanctiſſimum multiſque præditum virtutibus (ùt loquitur Auctor illius Vitæ) ad preces Fratrum qui aderant, in Epiſcopum conſecravit Dominicâ II. poſt Paſcha, quæ tunc incidit in diem XVIII. Aprilis.

Puricellus *in Diſſert. Nazarian.* Cap. CVI contendit, Galdinum Archiepiſcopum factum, deſiiſſe Cardinalis Titulum uſurpare, atque in hoc ſeſe confirmat tum auctoritate Onufrii Panvinii, qui conſtanter aſſerit, iis temporibus Cardinales, Epiſcopos factos tamquam in altiori gradu conſtitutos non amplius fuiſſe appellatos eo Titulo, tum etiam ex Diplomatis ipſis Galdini, Mediolani datis, quæ ipſemet Puricellus refert cum inſcripto nomine ſolummodo *Archiepiſcopi & Legati Apoſtolici*. Non adeò tamen firma eſt hæc Sententia, ut refelli non poſſit; Edmundus namque Martene Tom. III. *Theſauri Anecdotor.*, colum. MCCXXXV. recitat Diploma Alexandri III., cui octavo loco ſubſcriptus legitur: *Ego Galdinus Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Archie-*

chie, iſcopus Medio'anenſis ſubſcripſi. Alterum nos exemplum addeximus in Adnotationibus ad Cap. I. Landulphi de Sancto Paulo, Tom. V. *Rerum Italicarum* vulgati.

Interim Friderico Ænobarbo impenſiùs ſemper Schiſma fovente, novoque Tyranno Paſchali III., poſt mortem Victoris, in Sancti Petri Cathedram intruſo, Lateranenſe Concilium celebratum eſt ab Alexandro Anno MCLXVII., in quo (ùt ſcribit Joannes Sareſberienes a Pagio relatus) *abſtulit ab eo etiam Regiam Dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit* &c. *Hoc Itali audito, ab eo diſcedentes reædificaverunt Medio'anum, Schiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos, & Apoſtolicæ Sedi unanimiter adhæſerunt.* Ad perficiendum opus Italo nomine & animo dignum, ſtatutum eſt Cœnobium Pontidæ in Agro Bergomate, ad quod confluere deberent Proceres Civitatum, quas enumerat Continuator Morenæ, ut fœdus juramento firmatum inirent, curarentque Mediolanum reſtituere in eam antiquæ fortitudinis & munimentorum gloriam, quæ reliquarum Italiæ Urbium defenſioni contra hoſtes inſerviret. Pacta autem ſunt hæc fœdera VII. Idus Aprilis Anni MCLXVII., teſtibus Corio & Sigonio. Nec ſegnes fuere Mediolanenſes excavandis Foſſatis, reſarciendis Domibus, muniendis Portis, quantum fieri poterat; donec miſſis ab unaquaque Civitatum fœderatarum Vexillis ac Legionibus, revocati ſunt in Patriam Mediolanenſes, per quinquennium exules, egeſtate ac ærumnis ferè conſumpti, eaque feliciſſima dies, fuit V. Calendas Maii, ejuſdem Anni. Tunc (ùt tradit Auctor Vitæ Sancti Galdini) *fuit videre populum de Babylonica captivitate redeuntem, Viros*

ros præ gaudio flentes, parvulos & mulieres præ lætitia clamantes. Ferebantur voces in Cœlum, feſtinabat quiſque ad propria. Ne verò temporum iniquitate in oblivionem decideret inſignis memoria reſtauratæ hujus Urbis, inciſus marmore fuit Annus dieſque, quo, licèt obnitente furenteque Friderico præ ira atque odio, illuſtrior reſurgere cœpit excisa Inſubrum Metropolis, in hæc verba:

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MILLESIMO
CENTESIMO SEXAGESIMO SEPTIMO
DIE JOVIS V. CALENDAS MAGII
MEDIOLANENSES INTRAVERUNT CIVITATEM.

Extat hic Lapis in fronte Portæ, quæ Romam ducit, amplificatis ad gloriæ incrementum, dirutis olim, mœniis, quæ arctioribus confiniis Urbem cingebant.

Galdinus Romæ adhuc degens, accepto hoc proſpero fauſtoque nuncio, iter in hanc Metropolim illico maturavit, & munitus ab Alexandro III. Summo Pontifice Dignitate Legati Apoſtolici per univerſam Langobardiam, ingreſſus eſt die V. Septembris (non Decembris, ùt Calchus malè adnotavit) iis exceptus gratulationibus, quæ tantæ ſanctimoniæ Præſulem & Patriæ Patrem decebant. Prima ejuſdem ſolicitudo fuit, injunctum ſibi a Pontifice Maximo officium implere: Quamobrem ad Laudenſes, & præſertim ad Albertum de Cazano Majoris illius Eccleſiæ Præpoſitum, Clerumque Diœceſis, necnon & ad Conſules, qui adhuc Schiſmate contaminati erant, delectos Nuncios miſit, duos nempe Abbates

bates Sancti Ambroſii, & Sancti Vincentii, Ordinis Sancti Benedicti, iis omnibus indicens, ut vel ejurarent Fridericum, & Paſchalem Pſeudo-Pontificem, aut Interdicto & Beneficiorum expoliationi illico ſubjacerent. Ancipites primò hæſerunt Laudenſes; meliori tamen accepto conſilio, Galdini mandatis obtemperarunt, & depoſito Alberico Merlino, Albertum Præpoſitum Ripæ altæ-ſiccæ in ſuum Antiſtitem elegerunt, quem ipſe Archiepiſcopus noſter conſecravit, maximo cum Diœceſis illius provectu; Albertus enim memoratus eximiis florens virtutibus, & miraculis decoratus in Sanctorum Album referri meruit. Plures alios Provinciæ ſuæ Epiſcopos ſacro Chriſmate inunxit Galdinus, cùm eos, qui in fœce diuturni Schiſmatis ſeſe pertinaciter volutaverant, Apoſtolicâ auctoritate e Sede Epiſcopali deturbaſſet, anathemate ſacro perculſos, ſubſtitutis probatæ fidei ac vitæ Præſulibus. Seorſim eos refert Ughellus, collectim autem Goteſridus Henſchenius in *Analectis*, poſt *Vitam Sancti Galdini*, ad diem XVIII. Aprilis.

Quamvis in Germaniam fugam potiùs quàm iter arripuiſſet Ænobarbus poſt ſacrilegè dirutam incenſamque Porticum Beati Petri in Romana Urbe, atque ideo iram Dei in ſe convertiſſet, ſæviente per exercitum teterrimâ lue, infeſta nihilominus Schiſmatis radix in Papienſi ſolo, & ditione Marchionis Montisferrati Friderico adhærentium, identidem in Italiâ noxia germina emittebat, & florentem per ſaniores regiones obedientiam erga Catholicam Eccleſiam non tam inficere, quàm exſcindere nitebatur. Opportunum itaque cenſuerunt Rectores Civitatum, Alexandri Pontificis Maximi partibus mi-

militantium, a fundamentis erigere integram Urbem, quæ illas tueretur, & ingruentes Schiſmaticorum niſus contereret ac propulſaret; eamque in Summi illius Hierarchiæ reverentiam *Alexandriæ* nomine decoravere Anno MCLXVIII.. Neque inane fuit erectum hoc munimentum; irruente namque ad ejuſdem obſidionem Friderico iterum in Italiam delato, & illius direptionem immiſſis per ſubterraneos cuniculos militibus tentante, vigil cuſtodia defenſorum adeò in omnes partes ſeſe diffudit, ut aſtum hoſtilem intus eluſerit, ſimulque exteriùs repentinâ eruptione in Obſidentes impetum fecerit, eoſque in fugam conjectos; longè recedere motis caſtris compulerit pudore ſuffuſos. Ferunt nonnulli Scriptores, quos inter Cardinalis de Aragonia *in Vita Alexandri III.*, viſum fuiſſe Beatum Petrum, cui dicata fuerat Civitas, Catholicis copiis præire, albo equo inſidentem, ac inimicas acies coruſcantibus armis concutere. Ad hoc propugnaculum conſtruendum non tam conſilio, quàm liberali ære opem tuliſſe Galdinum, haud dubium eſt. Id certè novimus, ejuſdem precibus, necnon Provincialium Epiſcoporum & Conſulum Mediolani impetratum fuiſſe ab Alexandro III., ut Sedes Epiſcopalis inſtitueretur in nova ea Urbe; quod etiam benigniſſimè indulſit Pontifex ille, deſignato in primum Antiſtitem Arduino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiacono, inter Suffraganeos Mediolanenſis Eccleſiæ Præſules numerando, & conſecratione Galdini Archiepiſcopi ad eam Dignitatem promovendo; licèt intempeſtiva mors & eumdem Arduinum, & Succeſſorem rapuerit, antequam eis manus à noſtro Antiſtite imponerentur.

Ad abſtergendum autem ſqualorem miſerrimè in ruinis ja-

Digitized by Google

centis noſtræ Metropolis animum, adjecit Sanctus Galdinus; teſte namque Auctore ejus Vitæ, *Archiepiſcopale Palatium*, ab inimicis funditùs diruptum, *longè excellentiùs miroque decore & ornatu reparavit*. Temerè oblatravit contra hunc Sanctum Antiſtitem Georgius Merula Libr III. *Antiquitat. Vicecomit.*, in eum invidiam Mediolanenſium congerens, ac ſi Circum & Theatrum, vetuſta Romanæ magnificentiæ monumenta deleverit, ut Ædificio ſuo materiem ſubminiſtraret. Sed inſulſam eam opinionem egregiè ſugillat Petrus Paulus Boſca *in Pontificatu Gaſparis Vicecomitis*, pag. LXXIX., auctoritate veterum Scriptorum, necnon Calchi & Alciati, inſignium Patriæ Hiſtoricorum. Nec tantùm curam ſuſcepit Galdinus conſtruendi Palatii; ſed prædia etiam & Patrimonium Eccleſiæ, quod ſæviente Ænobarbo in prædam rapinamque multorum datum fuerat, de faucibus eorum, qui illud deglutiverant, quantociùs eripuit. Eccleſiam quoque Majorem, cujus pars magna Papienſium odio corruerat, cùm Turrim æris Campani miræ pulchritudinis præcipitem agerent, ad Galdini exemplum Nobiles Matronæ reparavere; ductæ namque eâ religione, quæ ſemper floruit in fœmineo Mediolanenſi Sexu, divenditis annulis, monilibus, aliiſque muliebris mundi ornamentis, opes omnes contulere ad reſtituendam priſtino decori atque opulentiæ Sacram Ædem, Deiparæ Virgini dicatam: Sanctus verò Galdinus Legati Apoſtolici auctoritate Civitatem Papiæ Eccleſiaſtico Interdicto ſuppoſuit, donec XVIII. millia Florenorum perſolveret, ob dirutam impio auſu Metropolitanæ Eccleſiæ celeberrimam Turrim; quod præſtitum fuiſſe Corius aliique tradunt.

Læ-

Digitized by Google

Lætitiæ amplitudinem quam conceperat Galdinus in adventu ad hanc Metropolim, ob reſtitutum Urbi ſuæ populum, acerbo mœrore confecit ſqualor Mediolanenſium, qui a propriis laribus tamdiu exules, inedia & ærumnis fracti, in everſis Domibus vix hoſpitium nanciſcebantur, victuque ac ſupellectile orbati alterum ferme exilium in Patria perpeti cogebantur. Præcipuè verò Paſtoralem ipſius animum tangebat cura Infirmorum, quibus nec annona, nec vires parando ſibi neceſſario alimento ac commodo ſuppetebant. Conſilium itaque cepit, quale expectari poterat ab amantiſſimo Patre, Divino ſpiritu pleno. Aderat in hac Metropoli Noſocomium appellatum *de Brolio*, prope Eccleſiam Sancti Protomartyris Stephani, cui Obertus claræ memoriæ Archiepiſcopus Regulas præſcripſerat, ut cauſa pauperum ægrotorum accuratiùs ageretur. In hunc Chriſtianæ caritatis locum oculos conjecit Galdinus ad levandas Civium ſuorum calamitates, injunxitque Ottoni Præpoſito Creſcentiagi, Joanni Presbytero Sancti Silveſtri, Petro Presbytero Sancti Xiſti, & Anſelmo de Horto, ut hoc Opus pietatis augendum curarent, pacatis diſſidiis, quæ inter Decanos Conſortii, & Fratres Converſos verſabantur. Conſtitutiones poſtmodum adjecit, quarum Exemplar MStum ſervat Bibliotheca Ambroſiana, inter *Miſcellanea* Franciſci Caſtelli, olim Canonici Ordinarii Eccleſiæ Mediolanenſis. Cùm autem in Ughello præclarum hoc Documentum deſideretur, in lucem illud educere, gratum Lectoribus fore exiſtimavimus. Ita verò ſe habet:

Digitized by Google

PACTA ET CONVENTIONES INTER MAGISTRUM, DECANOS, ET FRATRES HOSPITALIS BROLII AD PRÆSENTIAM DOMINI GALDINI ARCHIEPISCOPI ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI.

„ In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Nos Otto „ Præpoſitus de Creſentiago, Joannes Presbyter Eccleſiæ San- „ cti Silveſtri, Petrus Presbyter Eccleſiæ Sancti Xiſti, atque „ Anſelmus de Horto, ex præcepto Domini Galdini, Sacro- „ ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ „ Sedis Legati. Inter Fratres Hoſpitalis pauperum, & Deca- „ nos Conſortii pauperum, viſâ priùs Conventione inter eos „ facta, & Privilegio Domini Oberti, bonæ memoriæ Ar- „ chiepiſcopi,

„ Ita ſtatuimus, ut deinceps uſque in perpetuum omnia „ Bona jam dicti Conſortii, quæ nunc habet, & in futurum „ habeat, ſimul atque Infantium, ſint communia cum Bonis „ omnibus dicti Hoſpitalis ad languentium pauperum reſe- „ ctionem, & arbitrorum pupillorum nutritionem, tali vi- „ delicet modo, ut Converſi dicti Hoſpitalis, qui nunc ſunt „ vel pro tempore fuerint, colligere debeant omnes ægro- „ tantes pauperes, quibus ad ſerviendum perſonarum & re- „ rum ſubſidium deeſt, & expoſitos infantes, quos per Ur- „ bem invenerint, & ad Hoſpitale ducere, & ſufficientem „ victum & veſtitum pro poſſe tribuere: Aliis verò pauperi- „ bus languentibus, ſubſidium perſonarum habentibus, de re- „ bus

„ bus ipſius Hoſpitalis, cùm convenienter facere potuerint, „ conſilio Decanorum miniſtrare, ita tamen ut non aliis „ conſolatio, manentibus autem in Hoſpitali tribulatio; & „ prædicti Conſortii Decani, qui nunc ſunt vel pro tem- „ pore fuerint, debent tam prædeſignati Hoſpitalis pauperi- „ bus & pueris expoſitis, quàm aliis per Civitatem ægro- „ tantibus de oblatione & eleemoſynis ipſius Conſortii, cum „ conſilio Magiſtri ipſius Hoſpitalis, ſecundùm quod potue- „ rint, & eis melius viſum fuerit, diſtribuere eis; ſi quid „ in auro vel argento, ſeu aliis rebus mobilibus ipſi Hoſpi- „ tali, vel Decanis Conſortii donatum vel legatum fuerit, „ pauperibus fideliter erogetur ✠, & non in emptionem „ prædiorum collocetur. Si verò vineam vel agrum quis eis „ reliquerit, proprietate apud eos durante, uſuſructus pau- „ peribus & pupillis miniſtretur. Si autem Domus alicujus „ largitione ad eos pervenerit, quæ uſibus eorum neceſſa- „ ria non ſit, aut commutetur aut vendatur, & pretium „ ejus in emptione prædiorum collocetur.

„ Item diſponimus, ut unus Decanus aut plures inter- „ ſint ſervitiis pauperum in eodem Hoſpitali; ita videlicet „ ut, ſi ipſi pauperes bene fuerint procurati, & ſervientes „ eorum illis bene ſervierint, gratias Deo agere debeant; „ ſi autem in ipſo pauperum ſervitio aliquid deeſſe cogno- „ verint, ad ipſius Hoſpitalis Magiſtrum vadant, & ei quid „ ſibi in hac cauſa videtur deeſſe, annuncient. Quo facto „ idem Magiſter tamquam poteſtatem habens, quod ſibi vi- „ derit corrigendum, corrigat & emendet. Si autem inter „ ipſum Magiſtrum & Decanos eoſdem ſuper hoc aliqua

„ fue-

„ fuerit orta controverſia, videlicet ſi Magiſter dixerit,
„ nihil ibi corrigendum, & Decani dixerint, aliquid ibi
„ eſſe corrigendum, & hoc per alios Decanos non poterit
„ paciſci; ipſi Decani ad Dominum Archiepiſcopum, qui pro
„ tempore fuerit, vel eum qui ab eo ad hoc vice ſua con-
„ ſtitutus fuerit, recurrant, & hæc ei notificent; & quod
„ inde præceperit, utraque pars adimpleat. Præterea ſi quan-
„ do contigerit, ipſos Decanos in hoc officio aliquid perpe-
„ ram agere, ad juſſionem ipſius Magiſtri emendetur. Verum-
„ tamen ſi eis Decanis videtur, ſe non peccaſſe, & econtra
„ Magiſter dixerit, eos deliquiſſe, hæc quæſtio ad Dominum
„ Archiepiſcopum, vel eum quem vice ſua ad hoc conſti-
„ tuerit, ſimiliter deferatur, & per eum terminetur. Quod
„ ſi aliquando prædicti Hoſpitalis Magiſter & Converſi cu-
„ ram ipſorum pauperum pupillorum neglexerint, tunc po-
„ teſtatem habeant ipſi Decani, cum conſilio Fratrum ip-
„ ſius Conſortii, eleemoſynas pauperum & bona pupillorum,
„ & quidquid augmenti nunc habent, vel habuerint ex lar-
„ gitate defunctorum vel vivorum, exceptis his quæ a Con-
„ verſis qui curam pauperum & pupillorum neglexerint, &
„ eiſdem Decanis contradixerint, data fuerint, in eodem
„ Hoſpitali pauperibus & pupillis fideliter miniſtrare. Quod
„ ſi non permiſerint, liceat Decanis, cum conſilio Fratrum
„ ipſius Conſortii, & auctoritate Domini Archiepiſcopi,
„ qui pro tempore fuerit, vel ejus qui ab ipſo vice ſua
„ ad hoc fuerit conſtitutus, eleemoſynas pauperum & bona
„ pupillorum, & quidquid augmenti nunc habent vel ha-
„ buerint ex largitate defunctorum ſeu vivorum, exceptis
„ his,

„ his, quæ a Converſis qui curam pauperum & pupillorum „ neglexerint, & eiſdem Decanis contradixerint, data ✠ fuerint, alibi ſecundùm quod eis melius viſum fuerit, ad utilitatem pauperum & pupillorum diſponere & ordinare.

„ Præterea jubemus, ut Magiſter Hoſpitalis Celerarium, „ communi conſilio Fratrum ipſius Hoſpitalis & Decanorum „ conſtituat; nec liceat ei ſine communi conſilio eorumdem „ eum removere. Prædictus verò Celerarius & Magiſter „ omnia quæ in Hoſpitali erunt, Decanis ſemel in menſe, „ vel amplius ſi opus fuerit, manifeſtent. Cibus & potus „ Fratrum & pauperum communis ſit, niſi infirmitas hinc „ vel inde aliud exegerit. Numerus verò Fratrum maſculorum, connumerato Magiſtro, ultra tredecim, Fœminarum verò ultra ſeptem non extendatur; qui omnes ad hoc „ debent eſſe in præfato Hoſpitali, ut ſint ſervitores pauperum, ſalvâ in omnibus auctoritate Domini Archiepiſcopi. Magiſter a Converſis ipſius Hoſpitalis, & Decanis Conſortii communicato conſilio eligatur. Et hæc omnia ita, „ ùt dictum eſt, obſerventur, niſi pro magna & evidenti „ utilitate, cum conſilio Domini Archiepiſcopi, vel ejus qui „ ab eo ipſius loco ad hoc conſtitutus fuerit, & Magiſtri, „ & Fratrum, atque Decanorum aliter factum fuerit.

„ ✠ Ego Galdinus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, hoc pactum „ ſeu conventionem confirmavi, & ſubſcripſi,

„ ✠ Ego Milo Mediolanenſis Archipresbyter ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Algiſius Mediolanenſis Eccleſiæ Cimiliarcha, „ & Cancellarius ſubſcripſi.

„ ✠ Et

„ ✠ Et ego Otto Creſcentiacenſis Præpoſitus hanc con-
„ ventionem cum prædictis Sociis, ex juſſione Domini Gal-
„ dini Mediolanenſis Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Le-
„ gati compoſui, & ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Joannes, Eccleſiæ Beati Sylveſtri immeritus
„ Officialis, prænominatæ conventioni interfui, & ſubſcripſi.

„ Actum eſt hoc, Anno Incarnationis Dominicæ mille-
„ ſimo centeſimo ſexageſimo octavo, undecimo Calendas Sep-
„ tembris, Indictione prima.

Franciſcus Caſtellus, Eccleſiæ Mediolanenſis Canonicus Ordinarius, & Vicedominus, hæc ad calcem adnotavit: *Præfata Conventio eſt ſculpta in Tabula lapidea, aliàs affixâ muro Hoſpitalis Brolii versùs plateam, & nunc aſportatâ intra muros dicti Hoſpitalis; & maximo cum ſudore extracta, quia erat corroſa, & lapidibus a pueris quaſſata, prout etiam videri poteſt.*

Hujus Noſocomii ædificium & famam abſorbuit alterum Noſocomium, quod regiâ magnificentiâ extruxit ibidem Franciſcus Sfortia Dux IV. Mediolanenſis, qui eidem Titulum *Majoris* appoſuit, & cetera omnia hujuſmodi Loca, excipiendis pauperibus quovis morbo correptis huic ſubjecit, impetrato a Pio II. Summo Pontifice Unionis Diplomate. Viget adhuc hoc pauperum ægrotorum Domicilium, Aula potiùs Principum appellandum, ſummâ Equitum Mediolanenſium ab Archiepiſcopo delectorum curâ & pietate adminiſtratum, confluentibus ad illud non tam Mediolani Infirmis, ſed etiam totius Ditionis, ac Peregrinis.

Ab ægris corporibus, ad domeſticam Civium ſuorum ino-

inopiam abigendam progreſſa eſt caritas Paſtoralis Galdini, tantâ largitate, ut nihil ſibi, ſed omnia eis ſe poſſidere exiſtimaret, quemadmodum teſtatum facit Auctor ejuſdem Vitæ: *Nec ſolùm de iis ſolicitus erat, qui inopiâ & paupertate laborarent, ſed multò magis de Nobilioribus, qui eleemoſynam petere erubeſcebant. Enim verò vocem petituri præveniens, omnibus miſericorditer compatiebatur & tribuebat*; verba ſunt prædicti Anonymi Auctoris. Supererant ii, qui ære alieno gravati, & in carceribus detenti ob delicta perpetrata, opportunis ad vitam ſubſidiis carebant. His quoque ſubvenire ſtuduit Galdinus, aſſignato Cenſu, ex cujus fructibus in perpetuum alerentur. Locus adhuc viſitur in hac Urbe, cum Sacello, quod Sancto Leonardo ipſe dicavit; nunc verò etiam *Sancti Galdini ad Carceres Malaſtallæ* nomen accepit: perenne monumentum tenerrimi amoris, quo erga Proximum ſanctiſſimus iſte Paſtor fervebat.

Conſuluit etiam honori Metropolitanæ ſuæ Eccleſiæ Galdinus, præſertim ut Canonicos Ordinarios, a reliquo Decumanorum Ordine & Clero inferiori diſcerminaret, prout decebat primores Myſtas, qui unum cum ipſo corpus conſtituentes, tamquam lumina Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ceteris prælucere debebant. Expedivit igitur Anno MCLXX. Diploma, quo antiquas eidem Collegio prærogativas confirmavit, indictis in violatores pœnis, & Omnipotentis Dei indignatione. Illud integrum recitat Ughellus, quod ex iiſdem *Miſcellaneis* memorati Franciſci Caſtelli Puricellus jam vulgaverat.

Diu diſceptatum fuerat inter Arnaldum Præpoſitum Ple-

bis de Vicomercato, & Valeriam Abbatiſſam Monaſterii Sancti Michaëlis de Burgo-novo, circa munia Parochialia, & jus in ipſam Eccleſiam Sancti Michaëlis, quod ſibi omnino ſpectare contendebat Arnaldus, quemadmodum etiam Oblationes, quæ a Chriſtifidelibus ibidem ſponte fiebant, die Feſto Sancti Michaëlis quotannis recurrente. Tamdem Galdino conſilium & auctoritatem ſuam interponente, omnis controverſia dirempta fuit, ope quarumdam Conventionum, quas Abbas Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolani, nomine Abbatiſſæ prædictæ, & Magiſter Faxatus pro memorato Præpoſito inter ſe mutuò conciliavere; ita ut impoſterum quælibet Pars ſua jura liberè & abſque lite, ſub certis conditionibus ac Legibus exerceret. Firmata eſt hæc Conventionum Charta in Palatio Domini Archiepiſcopi, Anno MCLXXI., X. Cal. Maji, Indictione IV., quam nos hic integram damus, ex Archivo Monachorum Cœnobii Ambroſiani benignè communicatam:

„ In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Coram „ Domino Galdino, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Venerabili Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato. Inter Arnal„ dum Præpoſitum Plebis de Vicomercato, nomine ipſius „ Plebis, & ex altera parte Valeriam Abbatiſſam Monaſte„ rii Sancti Michaëlis de Burgo-novo controverſia verteba„ tur de Eccleſia ipſa Sancti Michaëlis, & de jure Paro„ chiali, & de oblationibus: ſuper quibus queſtionibus utra„ que Pars ſuos produxit teſtes; Cauſa autem diu ventila„ ta, placuit utrique Parti per ſuos Miſſos ſcilicet Domi„ num Amizonem Abbatem Monaſterii Sancti Ambroſii de

„ Civi-

„ Civitate Mediolani, & Comitem Converſum ipſius Mona-
„ ſterii Sancti Michaëlis, Miſſos præfatæ Abbatiſſæ, & ex
„ altera parte Magiſtrum Faxatum, Miſſum prædicti Præpo-
„ ſiti, talem facere Tranſactionem, ſcilicet ut viſitatio, &
„ ſepelitio perſonarum in jam dicto Monaſterio degentium,
„ & omnia Parochialia jura ad jam dictam Plebem perti-
„ neant. In Feſto quo . . Beati Michaëlis tres perſonæ
„ cum uno ſerviente de jam dicta Plebe in eodem Mona-
„ ſterio Sancti Michaëlis ad refectionem honorifice ſuſci-
„ piantur: Oblationum verò, que in ipſo Feſto Sancti Mi-
„ chaëlis ad Monaſterium, ſive ad Altare ſive ad manum
„ Sacerdotis pervenerint, medietas ad Plebem, alia vero
„ medietas ad Monaſterium prædicti Sancti Michaëlis perti-
„ neat. Nec liceat eidem Abbatiſſæ, aut ei ſuccedenti ali-
„ quem Sacerdotem, niſi de ipſa Plebe, abſque conſenſu
„ ejuſdem Plebis, in Monaſterium prænominati Sancti Mi-
„ chaëlis, ad Divina officia celebranda introducere. De in-
„ veſtitura autem, aut de ejus depoſitione, ſive de domi-
„ nio aut diſciplina Monaſterii, nulla moleſtia nullaque in-
„ quietatio, ſeu requiſitio jam dicto Monaſterio Sancti Mi-
„ chaëlis, ex parte jam dictæ Plebis moveatur, nec liceat
„ jam dictæ Plebi aliquam aliam exactionem jam dicto
„ Monaſterio Sancti Michaëlis imponere. Factum eſt hoc in
„ eadem Civitate, in Palatio præfati Domini Archiepiſcopi,
„ Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleximo
„ centeximo ſeptuageximo primo, die Jovis decimo Kalen-
„ das Magii, Indictione quarta, & de hac Tranſactione
„ duo inſtrumenta uno tenore rogaverunt fieri.

Rr 2 ✠ Ego

Digitized by Google

✠ Ego Martinus ex mandato Domini Galdini Medio-
„ lanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi ſubſcripſi.

✠ Ego Arnaldus Præpoſitus de Vicomercati ſubſcripſi.

✠ Ego Anſelmus de Orto interfui & ſubſcripſi.

„ Signum ††† manuum Deſcontii, qui dicitur de Sex-
„ to, Petri, & Landulphi, qui dicuntur Valliani Buronis
„ de Melate, Joannis, qui dicitur male-ingambatus, teſtium.

„ Ego Lanfrancus, qui dicor Bandus, Notarius Sacri Pa-
„ latii, rogatus tradidi & ſcripſi.

Perſeverabat ea tempeſtate in primævo flore extra Metropolitanam Baſilicam Dignitas Primicerii Majoris, a remotiſſimis temporibus, & (opinione quorumdam Scriptorum) ab ipſo Sancto Ambroſio inſtituta. Quàm conſpicuum foret hoc Munus, docent publicæ Tabulæ, a nobis editæ ad calcem *Diſſertationis ad vindicandam veritatem* &c.; in iis enim hæc habentur: *Primiceriatus Major, Dignitas honorabilis eſt, habens ex longiſſima & inconcuſſa conſuetudine, & per tanti temporis ſpatium quod non eſt memoria in contrarium, cognitionem & deciſionem Cauſarum matrimonialium Civitatis & Diœceſis Mediolani, facultatem abſolvendi in Caſibus. Epiſcopalibus, & ſecundùm antiqua Eccleſiæ Inſtituta, & prout in Libro antiquo Scriſtiæ dictæ Eccleſiæ, in quo ordines & præeminentiæ Dignitatum ejuſdem deſcribuntur, eſt latiùs expreſſum, Archiepiſcopi Pœnitentiarius exiſtit. Eſt quoque Caput Cleri, & Centum de Ferula* (Decumani appellabantur) *& Major inter Præpoſitos Eccleſiarum Collegiatarum, & Præpoſitorum Præpoſitus nuncupatur. In Letaniis Primicerius ipſe Major & aliis Congregationibus Ferulâ utitur, ſicut Archipres-*

pres-

Digitized by Google

presbyter & Archidiaconus. Imo centum ſub ſe habet, qui de Ferula dicuntur. Habet collationem Obedientiarum Majoris Eccleſiæ, & curam Anniverſariorum, quæ fiunt per totum Clerum, & ad hoc Erogatarios, & diſtributores conſtituit &c. Dignitas iſta vitæ curſu minimè menſurabatur, ſed ad certum temporis ſpatium, in Primicerium Majorem univerſus minor Clerus Viros deligebat, virtute prudentiâ probitate inſignes; quemadmodum in Republica Conſules aut Prætores ad regendum populum in curulibus Sellis conſtituuntur. Contigit in regimine Galdini Archiepiſcopi, ut eligendus foret Succeſſor illius Primicerii, qui expletâ ſtatione ſuâ ab Officio adminiſtrato deciderat; graviſque exorta eſt inter Electores controverſia. Cùm hæc componi privatis ſtudiis non poſſet, neceſſe fuit ad Summi Pontificis Alexandri III. tribunal Cauſam deferre. Is verò tribus Judicibus Ambroſio Abbati de Cerreto, Ottoni Præpoſito de Creſcentiago, & Joanni Bono Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiacono quæſtionem definiendam commiſit. Protulere iidem Sententiam, XI. Calendas Maji, Indictione tertia, ideſt Anno MCLXX., qua ſtatuebatur, ut Presbyteri & Clerici Decumani eligerent octo ex eorum Collegio magis idoneos, pacis & concordiæ amatores, qui ſimul cum Domino Archiepiſcopo Primicerium unanimiter ſincerèque renunciarent. Itaque delecti octo ex Decumanis *Gibuinum Præpoſitum Sancti Georgii* in Majorem Primicerium nominavere. Sed iis ſubſcribere Sanctus Galdinus Archiepiſcopus renuit, alterumque ipſe, nempe Magiſtrum *Nicolaum Præpoſitum S. ncti Nazarii* ad hoc munus gerendum deſignavit. Cùm autem neu-

tra

tra pars recedere a propoſito vellet, recurrendum iterum fuit ad Apoſtolicam Sedem. Alexander verò III., ut lites omnes praecideret, Breves Literas ad Archiepiſcopum dedit, quibus utramque electionem Apoſtolica auctoritate irritam declarabat, legeſque indicebat, ut non tam illâ occaſione, ſed aliàs etiam, quandocumque Primicerius eligi debuiſſet, nulla poſtmodum controverſia ſuboriretur. Haſce Pontificias Literas *in ſuis Miſcellaneis* MS.tis nobis ſervavit laudatus Franciſcus Caſtellus; eaſque e tenebris tamdem eruere minimè abſonum ab Inſtituto noſtro judicamus; praeſertim cùm Dignitas iſta adoptata ſit in Collegium Ordinariorum Templi Maximi, ac poſt Archipresbyterum & Archidiaconum in tertiam tranſierit Anno MCDXLI., ùt conſtat ex Diplomate expedito a Franciſco Picolpaſſo Archiepiſcopo Mediolanenſi, & confirmatione Eugenii IV. Summi Pontificis, impreſſis in noſtra *Diſſertatione* ſuperiùs indicata.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei
Venerabili Fratri Galdino Mediolanenſi Archiepiſcopo,
Apoſtolicæ Sedis Legato
Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Ex Literis tuis & Decumanorum Eccleſiæ tuæ, qui
„ adversùm te de electione Primicerii cauſam habere noſcun-
„ tur, & ex Scripto, quod nobis dilecti Filii noſtri Mam-
„ fredus Sancti Georgii ad Velum-aureum Diaconus Cardi-
„ nalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, & Conſules Mediolani
„ direxerunt, manifeſtè nobis innotuit, quòd cùm inter te, &
„ coſ-

„ eoſdem Decumanos ſuper Cauſa Primiceriatûs diutiùs apud
„ nos & alios diſceptatum ſit & tractatum; tamdem ratio-
„ nes & allegationes hinc inde ad nos tranſmittentes, a
„ nobis ſolicitis precibus poſtulaſtis, ut eidem Cauſæ, quæ
„ dio ſub Delegatis Judicibus & Arbitris eſt tractata,
„ finem debitum imponere ſtuderemus, & omnem de me-
„ dii tollere materiem jurgiorum. Receptis ſiquidem allega-
„ tionibus & rationibus veſtris, ſuper his cum Fratribus no-
„ ſtris diutinam & circumſpectam deliberationem habuimus;
„ quoniam allegationes ipſæ ſatis prolixæ erant atque dif-
„ fuſæ. Si verò integra Cauſa ad examen noſtrum delata
„ fuiſſet, aliter fortè in ea deliberaviſſemus; ſed quia in
„ eadem Cauſa a Delegatis Judicibus fuerat Sententia lata,
„ nec per appellationem ſuſpenſa, imo ab utraque parte
„ recepta, eam in hoc quod manifeſtum eſt & apertum,
„ non duximus irritandam. Sanè cùm iidem Judices Senten-
„ tiam protuliſſent, ut liceret Presbyteris & Cleri is Decu-
„ manorum eligere octo de Collegio ſuo ad hanc Cauſam
„ quos putaverint magis idoneos & pacis & concordiæ
„ amatores, qui ſint cum Archiepiſcopo, exhibentes ei ho-
„ norem & reverentiam tamquam Patri & Domino, ipſo
„ eis tamquam Filiis morem gerente, & electionem Primi-
„ cerii unanimiter & concorditer & ſincerè faciant & ipſe
„ cum eis, & ipſi cum eo. Ipſi ſecundùm tenorem Sen-
„ tentiæ octo Electores de Collegio elegerunt, qui multo-
„ ties tecum ſuper electione Primicerii facienda tractarunt.
„ Tamdem verò octo Electores voluntatem tuam reverenter
„ inquirentes, & ſecundùm tenorem prædictæ Sententiæ te-

„ cum

„ cum volentes electionem facere, cùm te viderent, ſicut
„ ajunt, non tantummodo Sacerdotum, ſed quorumdam fa-
„ miliari dilectione ſtudentem, abſque aſſenſu tuo, ſicut ex
„ ipſis allegationibus datur intelligi, Magiſtrum Gibuinum
„ Præpoſitum Sancti Georgii nominarunt, arbitrantès, ſicut
„ credimus, quòd tu cum eis tamquam Filiis, prout in Sen-
„ tentia ſtatutum eſt, morem gerere deberes, & ipſi octo
„ ſint numero, tu verò unus; ſi ab eis diſcordares, nihi-
„ lominus eorum electio robur firmitatis haberet. Verùm
„ poſt nominationem eorum factam, Magiſtrum Nicolaum
„ Præpoſitum Sancti Nazarii, continuò in Primicerium, imo,
„ ſicut tuæ allegationes continebant, tres nominaſti, credens,
„ ſicut arbitramur, ex eo verbo quod poſitum èſt in Sen-
„ tentia, id tibi licere; quoniam ipſi tibi ſicut Patri &
„ Domino in electione Primicerii honorem debent & reve-
„ rentiam exhibere. Inſpectis itaque rationibus, quæ ſuper
„ his allegatæ fuerant, exinde cum Fratribus noſtris ſtudio-
„ sè ſatis & diutiùs deliberavimus, & poſt diutinam deli-
„ berationem, utramque electionem, non ratione Perſonarum
„ vel meritorum ſuorum, ſed pro vitio ipſarum electionum,
„ Apoſtolica auctoritate caſſavimus; quia neutram earum,
„ ſecundùm tenorem præſcriptæ Sententiæ, vel ſecundùm
„ Jus commune comperimus factam fuiſſe. Cùm enim in
„ Sententia ſtatutum fuerit, quòd tu cum præfatis Electori-
„ bus, & ipſi tecum unanimiter, concorditer, & ſincerè ele-
„ ctionem Primicerii faceretis, conſtat, neutram electionum
„ ipſarum ſecundùm tenorem ipſum factam, quia non con-
„ corditer nec ipſi tuo, & tu eorum aſſenſu, ſicut cre-
„ dimus

„ dimus, & ex ipſis allegationibus apparet, non requiſito, „ electionem feciſtis. Secundùm verò Jus commune, neutra „ debet electio ſtare, quia licèt ex parte Decumanorum octo „ ſint numero Electores, unam tamen perſonam in eadem „ electione ſolummodo gerere videntur; cùm enim inter te „ & Collegium, tamquam inter duas perſonas quæſtio ver- „ teretur, placuit Judicibus Delegatis utrique electionem ad- „ judicare, ſtatuentibus, ut de toto Collegio octo Electo- „ res ad electionem tecum celebrandam eligerentur, cùm „ grave & difficile videretur, omnes in electionem inſimul „ convenire. Qui utique, ſicut ſtatuerunt de octo, ita „ etiam potuiſſent ſtatuiſſe de uno, vel de pluribus & pau- „ cioribus; & cùm illi octo, ſicut diximus, unam tantùm „ gerant perſonam, & tu alteram, nec tu ſine ipſis, nec „ ipſi ſine te electionem facere potuiſtis. Qualiter autem de „ cetero debeat electio fieri, & quæ electio ſit rata ha- „ benda, omiſsâ diſceptatione illarum duarum quæſtionum, „ utrum videlicet Arbitris interpretari licuerit, & an juſtè „ interpretati ſint, volentes præſenti Scripto decernere, de „ communi Fratrum noſtrorum conſilio judicamus, quòd „ cùm illi octo, ſicut prædictum eſt, unam perſonam gere- „ re videantur, & tibi & ipſis ſit adjudicata electio, ſi ipſi „ ſine te, vel tu ſine eis electionem feceritis, utraque ele- „ ctio nullius debet eſſe momenti, tamquam ſi, duobus in „ eadem Cauſa Judicibus Delegatis, unus eorum unam fe- „ rat ſententiam, & alter alteram, neutra ſententia tenet. „ Si verò tu, & iidem octo Electores communiter & con- „ corditer electionem feceritis, electio ipſa ſine quæſtione

„ rata debet haberi, niſi eſſet pro Perſonæ vitio reprobanda. Ceterùm ſi in Perſonam non poteritis communiter „ convenire, & duo ſaltem vel plures ex illis octo Electoribus tecum in electione convenerint, electionem ipſam „ ratam eſſe cenſemus; quia cùm ipſi octo vicem in hoc „ unius perſonæ gerere videantur, & tu alteram geras perſonam, poſtquam duo ex his tecum, qui digniorem geris perſonam, in electione convenerint, non immeritò „ electio ipſa rata debet haberi; tamquam ſi Conventus duarum Eccleſiarum, habentes parem numerum perſonarum, „ ad quos ſpectat electionem facere, in electione non poterunt concorditer convenire, & duæ perſonæ, vel una „ etiam de uno Conventu, cum altero in electione convenerint, ipſa electio tenet, præſertim ſi dignior Conventus electionem fecerit. Sicut autem ex prædictis allegationibus intelleximus, Arbitri ſtatuerunt, ut quando Collegium convocari debet pro electione Primicerii facienda, „ petitâ licentiâ ab Archiepiſcopo convocetur; & ſi Archiepiſcopus licentiam dare renuerit, nihilominus Sacerdotibus „ liceat, Collegium pro electione Primicerii facienda convocare; & e converſo ſi Sacerdotes Collegium pro hac „ Cauſa convocare noluerint, tunc Archiepiſcopus ſincerè & „ paternè Collegium convocet, & illos octo, qui ſecum „ electionem facere debent, eligi faciat: Quod quidem, ſicut „ ab eildem Arbitris eſt ſtatutum, non duximus immutandum; ſed id ratum & firmum habentes, auctoritate „ Apoſtolica confirmamus, & perpetuæ firmitatis robur habere ſancimus. Ut autem hæc noſtræ definitionis Senten-

„ tia

„ tia perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur, eam au-
„ ctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti pa-
„ trocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino homi-
„ num liceat hanc paginam noſtræ definitionis & confirma-
„ tionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis au-
„ tem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipo-
„ tentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus
„ ſe noverit incurſurum. Datum Tuſculani VIII. Calendas
„ Aprilis . . . .

Prætermittendum minimè eſt quod Gotefridus Henſchennius *in Analectis ad Vitam Sancti Galdini* §. III. num. XI. refert, Civitatem nempe Ticinenſem iterum Interdicto Eccleſiaſtico a Sancto Galdino perculſam fuiſſe, quòd Papienſes fœdere juncti cum Marchione Montisferrati, Fridericum Ænobarbum Schiſmaticum ſolicitaſſent, ut cum valido exercitu in Italiam reverteretur; quemadmodum Acta Alexandri III. apud Baronium teſtantur Anno MCLXXIV. Imo Summus ipſe Pontifex Epiſcopum illius Eccleſiæ Petrum Toſcanum Dignitate ac Pallio privavit, quod poſtea, reconciliato Ænobarbo, eidem ſimul cum Sede reſtituit.

Tradidere nonnulli, Humiliatorum Ordinem Apoſtolica auctoritate a Sancto Galdino confirmatum fuiſſe. Traditionem hanc refellere nititur Gotefridus Henſchennius loco laudato, quia multò ante hunc Archiepiſcopum inſtitutus fuerat Ordo ille. Ad abigendam hanc nubem, quæ attenuare videtur laudem Galdini, animadvertendum eſt, non ſtatim coaluiſſe in perfectam vivendi diſciplinam Humiliatorum Congregationem, ſed in tres Ordines fuiſſe diſtributam.

Qui primo Ordini adſcribebantur, parum a Laicis caſtigatioris vitæ quo ad mores diſſentiebant: Secundus melior, arctiori vinculo continebatur, & caſtitatem, incluſis alio domicilio uxoribus, præſcribebat. Inſtitutus deinde fuit tertius Ordo a Sancto Joanne, *de Meda* nuncupato, qui Sacerdotium & regularem in Humiliatos obſervantiam induxit circa dimidium Seculi XII. Porro quid alienum a veritate emergere poteſt, ne dicamus, potuiſſe Ordinem iſtum ab Apoſtolico Legato Sancto Galdino confirmari, donec Regulis a Sancta Romana Sede approbatis, Innocentii III. Decreto firmamentum acciperet?

Moderante Eccleſiam Ambroſianam vigilantiſſimo hoc ſancto Antiſtite, Catharorum Hæreſis e Germania, ſeu, ùt aliis placet, e Galliis profecta (quæ jam ante Annum MCXXX. Mediolanenſem ditionem vitiaverat, teſte Landulpho a Sancto Paulo) occaſione diuturni Schiſmatis & ingruentium bellorum, ſeſe copiis militaribus immiſcens, noſtram etiam Metropolim teterrimâ lue conſperſit. Silentio & tenebris primùm contecta latuit; poſtmodum ſerpens privatis in auribus, tamdem apertâ fronte erupit in publicum. Huic malo jam radices figenti in ſimplicium rudiumque Civium animis, ſeſe oppoſuit Catholicæ Fidei propugnator acerrimus Galdinus, iiſque omnibus armis accinctus, quibus Chriſtianæ militiæ Pugilem munitum depingit Paulus Apoſtolus, hoſtem intrepidè adortus eſt; tantoque ardore pugnavit, ut exſtirpato prorſus peſtilenti hoc germine, Vineam Domini ipſi commiſſam, intactam florentemque moriendo reliquerit. Teſtatum id habemus ab Auctore Anonymo ejuſdem Vitæ, qui

hæc

hæc verba ſcriptis ſuis inſeruit: *Sæviſſimæ* (Catharorum) *peſti Vir Sanctus ſe opponens, multis Sermonibus prædicationibuſque populum ſuum ab illo ſtulto errore & veſania retrahebat, atque eum rudimentis Catholicæ Fidei quantum poterat inſtruens, verbo proficiebat & exemplo*. Quinimo vitam in ipſo conflictu depoſuit, quemadmodum memoratus Auctor proſequitur, inquiens: *Cùm decennium in ſuo expleſſet Pontificatu, eodem die quo conſecrationem accepit, ſecundâ poſt Paſcha die Dominica, zelo Dei accenſus, Sanctæ Theclæ Eccleſiam petit, de more Divina in eâ Officia peracturus. At quia corporis multâ debilitate laborabat, Miſſarum Solemnia a Cimiliarcha* (Algiſio) *qui poſtea ſucceſſit, celebrari præcepit. Ipſe verò Confeſſione cum Fratribus factâ, priuſquam Evangelii Lectio populo recitaretur, Pulpitum aſcendens, contra præmemoratos Catharos eorumque complices præclariſſimam habuit Orationem, eorum errores multis argumentis & rationibus, apertiſſimè & quantum oportebat, confutans, Fidemque Catholicam multis Sanctorum Patrum exemplis, & Evangelicis comprobans Scripturis*; facto dicendi fine, ac ſi certaminis curſum conſummaſſet, animi deliquio correptus, in eodem loco Spiritum Deo reddidit. Quibus ſignis cœleſtibus ac miraculis ſupremus Juſtorum Remuneraror illuſtraverit Galdini obitum, narrat laudatus Auctor apud Bollandum, ad diem XVIII. Aprilis, quo ad Superos evolavit.

Controverſum eſt inter Scriptores, quo verè Anno contigerit mors hujus Sancti Archiepiſcopi. Sigonius Annum MCLXXV. deſignavit; Ughellus mordicus tuetur, deceſſiſſe illum Anno MCLXXIII. Fundamenta hujus ſuæ opinionis,

duæ

duæ ſunt antiquæ Chartæ, a Monachis Morimundenſis Cœnobii ad ipſum tranſmiſſæ, in quibus ſubſcriptus legitur eo Anno *Algiſius Archiepiſcopus Mediolani*. Verùm baſis hæc ruit, ſi ſtare velimus judicio Henſchennii, qui *in Adnotationibus ad Vitam Sancti Galdini* aſſerit, Documenta iſta minimè deſumpta fuiſſe ex archetypis, ſed ex aliquo eorumdem Exemplari; tum quia nulla ſub initium mentio fit Algiſii, quemadmodum notum eſt, in ſimilibus Chartis fieri; tum etiam quia frequenter in Magno Opere *de Actis Sanctorum* ipſe aliique Socii laboris, ſimiles errores in Diplomatis detexere, *etiam ante annos ſeptingentos reſcriptis, quibus addita nomina Epiſcoporum, diu ante mortuorum, & anni Regibus aliquot poſt eorum obitum attributi* reperiuntur: Quamobrem ait, cautè procedendum eſſe in iſtiuſmodi quæſtionibus, ex fide deſcriptorum Diplomatum definiendis. Puricellus quoque, qui haſce Chartas accuratè expendit *in Diſſertat. Nazarian.*, Cap. CVI. num. VIII. & ſeqq., ſe reperiſſe teſtatur ſubſcriptionem Algiſii Archiepiſcopi, extra conſuetum locum appoſitam, quod ſignum eſt, non eo tempore, quo confecta ſunt Documenta, ab illo propriâ manu ſignata fuiſſe; idque aliis exemplis confirmat.

Nos tamen minimè indigemus his conjecturis, ut ſententiam noſtram firmemus cum Puricello, Papebrochio, & antiquis Catalogis, videlicet per integrum decennium in hujus Eccleſiæ regimine perſeveraſſe Sanctum Galdinum, adeòque nonniſi Anno MCLXXVI. illum ad cœleſtem Patriam migraſſe. Habemus enim Auctorem ſæpiùs memoratum Vitæ hujus ſancti Antiſtitis, qui apertè aſſerit, Algiſium adhuc Cimiliarcham

cham fuiſſe, eique mandaſſe Galdinum, ut Solemnia Miſſarum celebraret eo die, quo ipſe obiit. Qua ergo ratione componi hæc poſſunt, quòd nempe Algiſius a triennio jam Archiepiſcopus foret, & Cimiliarchæ munere adhuc fungeretur? Præterea certum eſt ex Catalogis, diu fuiſſe diſputatum, poſt Sancti Galdini deceſſum, quis promovendus eſſet ad Cathedram Mediolanenſis Eccleſiæ; alii enim ex Collegio Canonicorum Metropolitanæ Baſilicæ ſuffragia ſua contulere in Milonem Taurinenſem Epiſcopum, ſimulque Archipresbyterum Commendatarium Eccleſiæ noſtræ; altera pars delegit Ubertum Cribellum, poſtmodum non tam Archiepiſcopum, ſed etiam Summum Pontificem, qui tunc Archidiaconi Dignitate fulgebat. Neque unius menſis ſpatio abſolutum eſt hoc diſſidium, quemadmodum tradidit Calchus; ſed per decem integras hebdomadas & quatuor dies ſuſpenſa perduravit electio, fidem faciente Puricello, plurium veterum Scriptorum teſtimonio, *in Monument. Baſil. Ambroſ.*, num. DXLVIII. Porro ſi Algiſius ſe jam antea ſubſcripſiſſet Archiepiſcopum Anno MCLXXIII., quomodo tamdiu ambigendum fuiſſet de Succeſſore Galdini; aut quam ob culpam detrudi e Solio debuiſſet, alio ſuffecto? Tam clara hæc ſunt, ut commentum dici queant omnia, quæ Ughellus in ſuæ opinionis tutamen explicavit. Præcipuè cùm ipſum videamus adeò tenacem propoſiti ſui, ut fidem etiam deneget archetypo Documento, a Puricello inſpecto & relato *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. CVI. num. I, quod *actum eſt in Palatio Mediolanenſi Anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio*, *Indictione ſeptima*, *ſexta die menſis Octubris*; ex quo apertè diſcimus, non tantùm in vivis adhuc

adhuc fuiſſe ſub finem ejuſdem Anni Sanctum Galdinum, ſed etiam Algiſium eo tempore non fuiſſe Archiepiſcopum, cùm ſe eidem Chartæ ſubſcribat *Cimiliarcham & Cancellarium Mediolanenſis Eccleſiæ*. Sicuti etiam parvî facit alterum autenticum Documentum ſolutionis quarumdam pecuniarum, factæ Domno Satrapo Præpoſito Baſilicæ Sancti Ambroſii, a Domno Joanne ejuſdem Sancti Ambroſii Abbate, *coram Domino Galdino, Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, & Apoſtolicæ Sedis Legato, præſentibus Fratribus* ſuis *Ordinariis* præſatæ Mediolanenſis Eccleſiæ, *Anno MCLXXIV., decimo Aprilis, Indictione ſeptima*. Quinimo auctoritatem Ambroſianæ Eccleſiæ infringere videtur, quæ Natalem Sancti Galdini, olim Dominicâ II. poſt Paſcha commemorabat, inquiens, diem illum non mortis fuiſſe, ſed Conſecrationis; contra teſtimonium Auctoris Vitæ ejuſdem Sancti Archiepiſcopi, aſſerentis, eodem die mortuum Sanctum Galdinum, quo conſecrationem accepit. Addimus etiam ultimas Tabulas ſuperiùs memorati Gibuini, Præpoſiti Eccleſiæ Sancti Georgii in Palatio, quas unà cum aliis in hoc Opere vulgatis Chartis, nobis obtulit Canonicus *Joſeph Maria Saxius* ex fratre nepos, Archivo ejuſdem Baſilicæ Collegiatæ Præfectus. Datæ iſtæ ſunt Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXV., XIII. Calendas Januarii, ideſt quatuor tantùm menſibus incompletis ante obitum Galdini; eaſque *Adobadus Lector ex mandato Domini Galdini, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati confirmavit, & vice ejus ſubſcripſit*. Non ingratum erit Eruditis Viris has integras legere typis impreſſas, cùm non tantùm fidem faciant Vitæ Sancti Galdini uſque ad Aprilem

Anni

Anni MCLXXVI. productæ; ſed etiam ea, quæ tunc temporis in uſu erant, cùm annuæ Mortuorum memoriæ peragerentur, nobis exhibeant.

„ Anno Dominicæ Incarnationis milleximo centeximo ſeptuageximo quinto, tertiodecimo Calendas Januarii, Indictione nona. Ego in Dei nomine Gibuinus Prepoſitus Ecleſie Sancti Georgii, qui dicitur in Palacio, Civitatis Mediolanenſis: Volo & judico, ſeu per hoc meum Judicatum confirmo, a preſenti die & hora, poſt meum deceſſum Canonicis Sancti Georgii paſtum unum omni anno in perpetuum. Ita quòd dentur in expenſis paſti denarii quatuor pro unoquoque Canonico, ea condictione apoſita, ut ſi quis eorum defuerit, ejus pars detur pauperibus, & quicquid ab eo paſto remanſerit, ſimiliter pauperibus detur. Ita ut Canonici predicte Eccleſie Sancti Georgii, cum ſex Presbyteris, quibus dentur pro unoquoque cum ſuo Clerico denarii tres terciolis monete, & faciant inibi Annuale unum omni anno in perpetuum; quorum Presbyterorum Eccleſie ſunt hèè, Eccleſia Sancti Ambroxii in Solariolo, & Eccleſia Sancti Mauritii, & Sancti Victoris ad puteum, & Eccleſia Sancti Victoris de curte nova, & Eccleſia Sancti Alexandrini, & Sancte Marie in Vale. Item volo & judico Cuſtodo ejuſdem Eccleſie Sancti Georgii, qui cetero ibi erit, denarii trex omni anno in perpetuum, & Monache denarii trex. Que omnia Legata conſtituo ſuper campo uno; quem emi a predicta Eccleſia Sancti Georgii, in teritorio Loci Pioltelli, ubi dicitur in Credario; Coheret ei a mane frixati albi, a meridie bonſantis de Li-

„ midi, a monte Sancti Stephani de nuxigia, a ſero via;
„ & ſuper campis duobus, & vinea una, rejacentibus in
„ teritorio Loci Grogonzole; vinea jacet, ubi dicitur ad Gal-
„ zedum, a mane Marchixii piloxi, a monte via, a meri-
„ die & ſero Lanfranci de Curte; primus campus jacet, ubi
„ dicitur in binago. Coheret a mane petri tetavegle, a
„ monte acceſſium, a meridie petri vagii, a ſero heredum
„ petri ſterzacarri. Secundus jacet, ubi dicitur ad Crucem,
„ a mane airaldi amici, a monte petri ardizoni, a meri-
„ die via, a ſero Onrici Lixignoli, & quos campos & vi-
„ neam ſimiliter emi ab eadem Eccleſia Sancti Georgii. Et
„ hec Legata perſolvenda committo fidei ejus Presbyteri, qui
„ erit prius factus presbyter juſta Prepoſitum ejus Eccleſie
„ Sancti Georgii, in cujus presbyteri diſpoſitione predictos
„ omnes campos & vineam eſſe volo, & . . . . quod ſupe-
„ rerit a predictis Legatis de fructibus iſtorum camporum &
„ vinee habeat ſibi ipſe Presbyter: quem debere dare can-
„ dellas predictis ſex Presbyteris & eorum Clericis vollo &
„ judico. Sed predicti ſuas habeant Candellas Canonici, &
„ Cuſtos Candellas Crucis, & predicti Prepoſiti Clerico de-
„ narii quatuor dentur. Quia ſic decrevit mea bona volun-
„ tas, pro anime mee, meorumque parentum remedio. Actum
„ in iſta Canonica. *Ego Adobadus Lector ex mandato Domini*
„ *Galdini Sancte Mediolanenſis Eccleſie Archiepiſcopi*, *Apoſtolice*
„ *Sedis Legati confirmavi*, *& vice ejus ſubſcripſi*. Interfuerunt
„ teſtes Oto operti, & Albertus berengerii, & Johannes bel-
„ lus ferrarius, & Guarnerius de curte nova, & Martine-
„ tus de carate. Ego Medius mantellus Notarius ac Judex
„ ſcripſi hanc Cartam, & tradidi. „ Ego

„ Ego Ginamus, qui dicor de Curte nova Notarius Sa-
„ cri palatii autenticum hoc exemplavi, vidi, & legi, ut in
„ eo continebatur, ita in iſto legitur exemplo, extra literas
„ plus minuſve.

„ Ego Ardericus Notarius, qui dicor cultixius autenticum
„ hoc exemplavi, vidi, & legi, ut in eo continebatur, & ſic
„ in iſto legitur exemplo, extra literas plus minuſve.

„ Ego Ardericus, qui dicor papienſis, Notarius Sacri pa-
„ latii hoc exemplum ex autentico exemplavi, & ſicut in eo
„ continebatur, ſic in iſto legitur exemplo, preter literas plus
„ minuſve.

Non potuit tamen Ughellus tantum obniti contra veritatem adeò patenter fulgentem, ut hallucinatos omnino fuiſſe illos omnes affirmaret, qui Vitam Sancti Galdini uſquè ad ſeptuageſimum ſextum annum illius Seculi produxere; quamobrem aliud effugium excogitavit, veluti naufragii tabulam, ne a ſtatione ſua dimoveretur, ſubjungens: *niſi aſſerere velimus, Algiſium eo tempore* (ideſt Anno MCLXXIII.) *Galdini Coadjutorem fuiſſe*. Verùm, quàm infirmum ac labile ſit hoc fulcimentum, docet vox ipſa *Archiepiſcopi Coadjutoris*, quæ numquam in univerſa Antiſtitum Mediolanenſium Serie auribus noſtris inſonuit, atque in omnibus Catalogis Hiſtoriiſque rerum & Præſulum Ambroſianæ Eccleſiæ exemplo caret. Adde, nihil opus fuiſſe ſancto huic Antiſtiti altero Archiepiſcopo Coadjutore, cùm uſque ad extremum ſpiritum indefeſſo labore coluerit agrum Dominicum aſſiduis Sermonibus, vigiliis, exemplíſque omnium virtutum, atque inſuper eodem die, quo Cœlo invectus eſt, Eccleſiam petierit, de-

more Divina in eâ Officia peracturus, quemadmodum teſtatur Auctor Vitæ ſæpiùs laudatus, temporibus iis æqualis. Itaque pace doctiſſimi hujus Viri in illa perſiſtimus ſententia, quam amplexi ſumus, videlicet ſuperfuiſſe Sanctum Galdinum in ſuo regimine uſque ad Annum MCLXXVI., & Algiſium non fuiſſe inauguratum Archiepiſcopum Mediolanenſem, niſi eo defuncto.

Feſtum diem Sancti Galdini, quem teſte Oldoino in Album Sanctorum retulit Alexander III., Mediolanenſis Eccleſia nunc celebrat XIV. Calendas Majas, ideſt die XVIII. Aprilis, in quem Dominica II. poſt Paſcha Anno MCLXXVI. incidebat. Olim autem ipſo die Natali Sancti Galdini, nempe Dominicâ II. prædictâ agebatur ejuſdem Feſtivitas celebratione Miſſæ, non verò Officii Divini, cùm Ritu noſtro ille dies Dei cultui reſervetur. Sanctus Carolus Borromeus, ut integer omnino dies Dominicus ſacer Deo foret, memoriam Sancti Galdini fixit diei XVIII. Aprilis ſupra memorato. Nihilominus, ut aliquod veſtigium Natalis hujus ſancti Antiſtitis ſuperſit, ex veteri conſuetudine annua Supplicatio Secularis Cleri univerſi procedit poſt Veſperas Sabbati ante ſecundam poſt Paſcha Dominicam, ad exponendum Pontificium Diploma Indulgentiæ Plenariæ in Sacello, Sancto Galdino dicato, ad Carceres qui appellantur *Malæſtallæ*, in Aurificum Vico poſitos.

Sepultum fuit Sancti Galdini Corpus in eadem Eccleſia Sanctæ Theclæ, ubi in oſculo Domini deceſſit, ùt proximè narravimus. Cùm autem Cathedralis Æſtiva illa Eccleſia ſenio fatiſceret, & inſtauranda foret Anno MCDLXI. Carolus

de

de Forlivio Archiepiſcopus Mediolani cum toto Clero, & feſtivo ſonitu æris Campani, ac cereis accenſis, a Sanctæ Theclæ Templo tranſtulit Corpus hujus Sancti Antiſtitis in Eccleſiam Majorem, unà cum SSmo Clavo Crucifixi Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui ibidem a temporibus memoriam omnem vincentibus religioſiſſimè colebatur; quemadmodum Anonymi Chronicon, ſervatum apud Clariſs. *Joannem Andream Irium* Collegam noſtrum, Poſteris fidem facit.

Sanctus Carolus Borromeus pro eo, quo ſemper exarſit deſiderio promovendi cultum Sanctorum, animadvertens, temporum vitio defeciſſe venerationem erga Sacra Lypſana, quibus ditata fuerat Metropolitana Baſilica, ea ibidem, ſicut & in aliis Eccleſiis, ex incultis Sepulcris educere in lucem ſtatuit, tantâ ſolicitudine, ut vulgare hoc proloquium uſurparetur, *ſub ejus regimine non licuiſſe nec vivis, nec mortuis frui quiete*. Itaque inter alia Sanctorum Corpora in Templo Maximo depoſita, illud Sancti Galdini in Arca marmorea jacens recognovit; Carolus autem a Baſilica-Petri, qui præſens erat, teſtatur, inventum fuiſſe *Pontificiis Inſignibus, vel ſaltem eorum veſtigiis ornatum*. Oſſa igitur ejuſdem Sancti Archiepiſcopi, unà cum reliquis Martyrum ac Confeſſorum exuviis, in Altari Confeſſionis, ſub Ara Majori ab ipſo magnificè exſtructæ, locavit: Caput verò argenteo ſemiſimulacro incluſit, eo animo, ut in gravioribus hujus Metropolis calamitatibus per vias circumlatum, aut in Altari expoſitum, ab imminenti flagello Cives ſubduceret, Deique iram placaret.

Vi-

Vitam hujus Sancti Præſulis retulere Mombritius & Bollandus ; recenter autem Italicè edidit Mediolanenſibus typis Presbyter ***Ignatius Servilianus Latuada***, Rerum Patriæ ſtudioſiſſimus .

Digitized by Google

ALGISIUS.

MOrtuo Sancto Galdino, poſt longam concertationem quam ſuperiùs deſcripſimus, delectus eſt in Archiepiſcopum Algiſius Civis Mediolanenſis, e Pirovana Familia (ùt tradit Galeſinius) primò Canonicis Ordinariis adſcriptus, dein Cimiliarchæ & Cancellarii Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ munere perfunctus. Si fidem præſtemus Ughello, & nonnullis recentibus Catalogis a Puricello relatis, in ipſo Pontificatûs exordio intrepidum animum ſuum publicè ſignificandi occaſionem nactus eſt, Friderico Ænobarbo noſtræ Metropolis expugnationem iterum meditante. Siquidem cùm iſte non tam Germanicis, ſed etiam Italicis copiis probè inſtructus in fines Inſubricos irrupiſſet, atque jam ſpe & deſiderio tamquam cruentus Leo prædæ inhiaret, Algiſius Archiepiſcopus unà cum Fœderatis Mediolano Langobardis ſeſe hoſti objecit, per agros hujus Ditionis fœda vaſtatione debacchanti, ac ſimul cum auxiliaribus agminibus tantum profecit, ut fracto Ænobarbi exercitu, ipſum quoque ab equo ſuffoſſo dejectum in fugam compulerit, & inſignis victoriæ triumphum in hanc Metropolim reportaverit. Ne tamen placidè ac lubenter in Ughelli ſententiam abeamus, nonnulla mox exponenda nos retrahunt. Cùm enim certum ſit apud omnes, fauſtum diem glorioſæ hujus pugnæ fuiſſe XXIX. Maji, Sanctis Martyribus Siſinio Martyrio & Alexandro dicatum, quorum etiam auxilio (ùt credidere Cives noſtri

ſtri ob felix augurium trium columbarum, ab eorumdem Sepulcro avolantium, atque inſiſtentium Carrocii vexillo, dum ad ineundum prælium progrederentur) ſuſæ fuerunt hoſtiles copiæ, relicto victoribus campo, caſtris & ſpoliis: Ex altera verò parte, ipſo fatente Ughello, cùm decem effluxerint hebdomadæ, antequam ſublatis diſſidiis Algiſius in Archiepiſcopum deligeretur, præſens celebri huic pugnæ tamquam Præſul procul dubio adeſſe non potuit, cùm quadraginta tantummodo dies a morte Galdini, ad victoriæ diem interceſſiſſent. Præterea nemo ex Scriptoribus Patriæ noſtræ, Corio, Triſtano Calcho, Sigonio, aliiſque, Algiſium aut duxiſſe exercitum, aut interfuiſſe pugnæ memoravit; quamvis minutim deſcripſerint quidquid in hoc conflictu a Mediolanenſibus actum fuit. Nihilominus laudem in re hujuſmodi, ſi quæ debetur Algiſio, non invitò relinquimus. Id quidem admitti poteſt, quod Ughellus refert, Friderico pacem ſtatuenti cum Alexandro III Pontifice Maximo in Veneta Urbe, Algiſium Antiſtitem unà cum aliis Archiepiſcopis & Cardinalibus adſtitiſſe Anno MCLXXVII.; quamvis nec Romualdus Salernitanus, qui præſens omnia minutim deſcripſit, nec Labbeus habitum tunc Venetiis Concilium referens, Archiepiſcopi noſtri nomen alicubi enuncient. Quid enim veriſimilius credi poteſt, quàm Archipræſulem Civitatis Mediolanenſis tot cladibus & ruinis ab Ænobarbo afflictæ, ad Venetas oras properaſſe, tum ut Alexandro Pontifici Maximo obedientiam ſuam obſequentiſſimè exhiberet, tum ut ſupplicem ante illius pedes eum Imperatorem intueretur, qui ferox & minax, Solium ſuum in dirutæ Civitatis ruderibus erexerat? Certè Ferrariam

rariam ſe contuliſſe Algiſium cum Epiſcopis & Abbatibus Lombardiæ, die Dominico Paſſionis Domini, teſtis eſt memoratus Romualdus, qui ait, *exceptum fuiſſe* (Mediolanenſem Archiepiſcopum) *a Papa paterno affectu, & prout decuit, ſatis benignè*; ſed an comitatus fuerit Pontificem Maximum Venetias uſque, ibidemque moram duxerit, donec abſolveretur celebritas omnis Tractatuum, & mutuæ pacis inter Alexandrum III., & Fridericum Imperatorem ſimul cum Siciliæ Rege, & Lombardiæ Rectoribus, conjectando aſſerere poſſumus ex hoc antiquo veſtigio a Romualdo nobis relicto, profectionis videlicet Algiſii ad Ferrarienſem Urbem, non autem conſtanter affirmare, nullo nobis ſecuro alio monumento indubiam fidem faciente. Itaque certiora proſequamur.

Cùm inter Conſulem Loci *Trenate*, & Joannem Monachum Monaſterii Sancti Ambroſii, qui præerat Eccleſiæ Sancti Sepulcri ipſius Loci, controverſia exorta foret circa quædam paſcua, utrum videlicet ad unum, vel alterum ſpectarent, reſque delata eſſet ad Algiſii Mediolanenſis Archiepiſcopi Tribunal, ipſe per Joannem Cauſidicum, Aſſeſſorem ſuum Cauſâ attentè diſcuſsâ, Sententiam protulit in favorem Joannis Monachi. Extat Documentum *in Monum Baſilic. Ambroſianæ*, num. DLXXIV., expeditum Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, primo die Novembris, Indictione duodecima, ſubſcriptum ab eodem Algiſio, Mediolani Archiepiſcopo.

Puricellus idem e Monaſterio Monialium Sanctæ Mariæ appellatæ *in Vallis*, ſeu *in Vallo*, quia proximum foret mœniis Mediolani, authenticum Documentum extraxit,

datum ab hoc noſtro Antiſtite Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII., X. Calendas Maji, Indictione XI., ut litem dirimeret inter Ottonem, & Petrum Presbyteros Eccleſiæ Beati Apollinaris, ubi nunc degunt Moniales Sancti Franciſci Aſſiſiatis, & Joannem Sacerdotem Eccleſiæ Virginis Mariæ, quæ dicitur *in Vallis*, in quam a vetuſto tempore Moniales Ordinis Sancti Benedicti inductæ fuerunt. Cauſam hanc, quæ exorta fuerat de quodam Libellario Ficto pro Vinea jacente in Loco *Limidi*, per Aſſeſſores ſuos accuratè perpenſam Algiſius Archiepiſcopus diſſolvit, præcipiens, ut præſtaretur in perpetuum a Presbyteris Sancti Apollinaris Libellarium Fictum Sacerdoti Sanctæ Mariæ in Vallis, *præſentibus Domino Uberto Cribello, Eccleſiæ Mediolanenſis Archidiacono, & Algiſio Cimiliarcha, ipſius Domini Archiepiſcopi Nepote*.

Celebratum eſt ab Alexandro III. Summo Pontifice Anno MCLXXIX., circa medium Quadrageſimæ, Generale Concilium Lateranenſe III. triplici de cauſa, ùt adnotavit Pagius: Primò, ut Schiſma prorſus aboleretur; ſecundò, ut Valdenſes Hæretici damnarentur; tertiò, nt diſciplina Eccleſiaſtica, quæ durante Schiſmate labefactata fuerat, reſtitueretur. Huic Concilio interfuiſſe tercentum & ultra Epiſcopos, inter quos Archipræſul noſter Algiſius fuit, innuit Galeſinius, atque Ughellus confirmat; quamvis temporum vitio perierint Subſcriptiones, illæque tantùm ſuperſint, quas ex Gallicanis Provinciis collegit Sirmondus, & Labbeus imprimi curavit ad calcem hujus Concilii Lateranenſis.

Sequenti Anno MCLXXX. idem Alexander Pontifex Maximus,

ximus, ut Alexandrinæ Eccleſiæ in Langobardia conſuleret, Epiſcopatum Aquenſem transferre decrevit in prædictam Civitatem. Quapropter Algiſium Mediolanenſem Archiepiſcopum delegit, eique Apoſtolicam auctoritatem impertitus eſt, ut hanc Unionem perficeret: quod ipſe mandatis Pontificis Maximi obtemperans fideliſſimè implevit. Leguntur Literæ Antiſtitis noſtri, ad Clerum & Populum Alexandrinum hac de re ſcriptæ, apud Ughellum ante Seriem Epiſcoporum illius Urbis, datæ Mediolano, Anno proximè memorato, quibus Algiſius declarat, Venerabilem Epiſcopum Aquenſem unà cum Sede ſua in eam Civitatem Apoſtolica auctoritate ſe transferre, eâ tamen conditione, quòd remaneant in ipſo jura & poteſtas in Aquenſem Eccleſiam, ſicuti antea; nec ea ullo modo ſe ſubtrahere velle, aut ullatenus imminuere, quominus in illa & aliis Eccleſiis ſuis plenum jus & poteſtatem exercere valeat.

Alteram Sententiam refert Puricellus *in Monument. Baſil. Ambroſ.*, num. DLXXVII., datam in Palatio *Stationæ* Anno MCLXXXI., Menſe Maji, Indictione XIV. Erat hoc Oppidum juris Archiepiſcopalis hujus noſtræ Eccleſiæ, ita in antiquis Documentis appellatum, ùt pluribus exemplis oſtendimus *in Appendice ad Diſſertat. pro vindicandis Mediolano Corporibus Sanctorum Protaſii & Gervaſii*; nunc verò mutato nomine *Angleria* dicitur. Cauſa agitabatur inter Joannem de Beſutio, Monachum Cœnobii Sancti Ambroſii, & Petrum Clericum de Lixia (Italicè *Leſa*) circa Campum unum in agro Lixienſe jacentem, quem uterque juris ſui eſſe profitebatur. Itaque commiſſo examine Joanni Judici & Aſſeſſori ſuo, Algiſius Archiepiſcopus Petrum condemnavit, ut Campum Mo-

nacho memorati Cœnobii dimitteret, tamquam illius proprium. Eodem Anno Diploma expedivit in favorem Noſocomii, quod erectum fuerat in Plebe Variſii Ambroſianæ Diœceſis, ſub nomine *Sancti Petri de Molina*; utque nobiliori cultu pauperibus miniſtraretur, & inviolatum permaneret, Domum illam ac Miniſtros ſub protectione Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ eſſe declaravit. Datum eſt Mediolani, Anno ſuperiùs dicto, XVI Calendas Maji, Indictione XIV., & aſſervatur apud Clariſs. Nicolaum Sormanum, Collegii Ambroſiani Doctorem. Refertur etiam ab Ughello Charta integra Contractûs venditionis initæ inter Domnum Gulielmum Abbatem Sancti Celſi, & Domnum Jacobum Abbatem Cœnobii Morimundi, quam auctoritate ſua firmavit, ac propria manu ſubſcripſit Algiſius Mediolanenſis Archiepiſcopus. Data eſt hæc Charta Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXI., die II. menſis Julii, Indictione XIV.

Abbatiſſa Monialium Monaſterii Sancti Ambroſii, ſiti in Suburbio Civitatis Florentiæ ſupplicem Libellum Algiſio porrexerat, rogans eum, ut confirmare dignaretur conceſſiones ac donationes quarumdam Poſſeſſionum, factas Cœnobio ſuo a Prædeceſſoribus Archiepiſcopis Eccleſiæ Mediolanenſis. Ejuſdem itaque juſtæ petitioni annuens Algiſius, favorabile Reſcriptum remiſit, quo prædicta omnia confirmavit, vetuitque ne ab aliquo perturbaretur jus illius Cœnobii *ſub pœna indignationis Dei omnipotentis & Beatiſſimi Ambroſii*. Retulit illud Ughellus in Serie Archiepiſcoporum Florentiæ, ſub num. XXXIII., datum *Anno Domini milleſimo centeſimo octuageſimo tertio, menſe Februario, Indictione prima*.

Præ-

Præclarum Documentum Paſtoralis vigilantiæ atque accuratæ Sacrorum Canonum cuſtodiæ in eo vigentis nobis reliquit Algiſius, teſte eodem Ughello tum in Epiſcopis Vercellenſibus num. LXIII., tum in Archiepiſcopis Mediolanenſibus num. LXXXIV. Cùm enim Guala inauguratus Vercellarum Antiſtes Anno MCLXX. malè adminiſtraſſet Eccleſiam illam, imo plurima variaque jura maximo ejuſdem detrimento vendidiſſet, Algiſius Provinciæ Metropolita peculiari Decreto, tamquam bonorum ſuæ Eccleſiæ dilapidatorem, eum Epiſcopatu multavit Anno MCLXXXIV. Quamobrem Guala exauthoratus vitam poſtmodum inglorius amiſit, eodem Ughello narrante.

Difficile eſt aſſignare annum & diem, quo Archipræſul Algiſius obierit: Cùm enim in antiquo Catalogo tempus regiminis ita adnotetur: *Sedit Annis IIX., & menſibus V., quinque diebus minus*, Scriptores diverſimodè extendunt aut contrahunt hoſce annos ejuſdem regiminis. Ughellus qui electum Algiſium triennio ante obitum Sancti Galdini firmiſſimè tuetur, mortuum eum affirmat Anno MCLXXXIII., adeòque extra orbitam vagatur, decem ipſi annos Sedis tribuens, contra fidem Catalogorum. Imo etiam miramur, quòd hanc Epocham fixerit morti Algiſii, cùm ipſe in Uberto, Succeſſore ejuſdem aſſerat, ab Algiſio Archiepiſcopo noſtro exauthoratum fuiſſe Gualam Antiſtitem Vercellenſem Anno MCLXXXIV., idemque repetat, loquens ſuo loco de Guala Epiſcopo. Corius & Sigonius retrahunt Algiſii obitum ad Annum MCLXXXI.; falsò tamen, cùm ſuperſint Documenta ab ipſo ſubſcripta Anno MCLXXXIII., & ſequenti,

ti, quæ nos indicavimus. Demum Papebrochius, qui *in Exegeſi Mediolanenſium Antiſtitum* optimè decem hebdomadarum & quatuor dierum interpontificium a morte Galdini, ad electionem Algiſii ſervavit, nihilominus ejuſdem vitam producit ad Annum MCLXXXV., die XXIX Martii, adeòque excedit numerum annorum & menſium, quos Catalogus ab ipſo illuſtratus Algiſii Pontificatui aſſignat, nullâ ratione connotatâ, cur ab illius fide recedere cogatur. Nos accuratis initis calculis, & retento etiam die II. Julii, a Papebrochio ſtatuto electioni Algiſii, expletum tempus regiminis agnoſcimus Anno MCLXXXIV., die XXVIII Novembris.

Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali, prope Suggeſtum.

UBER-

Digitized by Google

UBERTUS I.

E Cribella vetuſta ac illuſtri Mediolanenſi Familia progenitus Ubertus (quem alii Lambertum , alii Umbertum appellavere) defuncto Algiſio datus eſt , poſt menſem unum & dies undecim Sedis vacantis , Succeſſor in Cathedra Archiepiſcopali hujus Metropolis , Anno nempe MCLXXXV , die IX Januarii[1]. Adoptatus ipſe fuerat in Collegium Metropolitanum Baſilicæ Majoris , ac ſubinde ad Archidiaconatûs Dignitatem promotus , egregiè illud munus exercuit . Galeſinius *in Tabula Mediolanenſium Archiepiſcoporum* tradit , eumdem Epiſcopatûs Vercellenſis Infulâ decoratum fuiſſe Anno MCLXXIII. , idemque confirmant Scriptores & Catalogi illius Eccleſiæ ; Omnino tamen contra verum ; Ughellus namque hanc opinionem optimè refellit oſtendens , nullum fuiſſe intermedium tempus , quo Auctores Vercellenſes intrudere poſſent Ubertum in Seriem eorum Antiſtitum . Præterea Puricellus in *Monument. Baſil. Ambroſ.* , num. DLXXXIII. Sententiam refert , quam Algiſius pronunciavit favore Monialium Sanctæ Mariæ *in Vallis* , ex authentico illius Monaſterii Documento deſumptam , cujus nos mentionem jam fecimus : Ei autem præſens fuit Ubertus Cribellus , tantùm Archidiaconi nomine deſignatus in hunc modum : *Interfuerunt Domnus Ubertus Cribellus ipſius Eccleſiæ Archidiaconus* , *Algiſius Cimiliarcha* , *ejuſdem Archiepiſcopi Nepos* &c. Data eſt hæc Charta *Anno Dominicæ Incar-*

carnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, decimo Calendas Madii, Indictione undecima. Clarè hinc patet, Majores noſtros ne ſomniaſſe quidem, quòd Ubertus quinquennio ante Vercellenſis Eccleſiæ fuiſſet Antiſtes. Id certè dubio caret, inſignem hunc Virum Cardinalitia Dignitate præfulſiſſe ob merita, quæ apud Romanam Eccleſiam cognita jam pridem fuere. Siquidem in Gallias profectus, fidus comes exilii fuit, quod pertulit Sanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis: Quamobrem Baronius ad Annum MCLXXII. Ubertum præclaris elogiis exornat, connumerans illum inter celebres & inſignes Viros, glorioſâ confeſſione decoros, qui Sanctum eum Archiepiſcopum ſunt ſecuti. A quo tamen Summo Pontifice ſupremum hunc honorem Ubertus receperit, non una eſt omnium ſententia. Ciaconius enim inter alios, loquens de tertia Cardinalium creatione, ab Alexandro III. Anagniæ facta Anno MCLXXIII, menſe Septembri, Lambertum quoque Cribellum ex Archidiacono Eccleſiæ Mediolanenſis Presbyterum Cardinalem tunc creatum ceteris connumeravit. Verùm hoc mendum dilucidè refellitur a ſuperiori Sententia Algiſii, cui ùt diximus Archidiaconi ſolummodo titulo diſtinctum interfuiſſe conſtat Anno MCLXXVIII. Itaque, quod negari nequit, adſcriptus eſt Ubertus Cardinalium Collegio a Lucio III. Pontifice Maximo Anno MCLXXXII. Et ſanè Ughellus, qui diligentiſſimè examinavit ſubſcriptiones omnes factas ab Uberto Diplomatis Summorum Pontificum, nullam invênit exaratam ante Annum memoratum. Declaratus etiam fuit ab eodem Lucio III Sedis Apoſtolicæ per Inſubriam Legatus Anno MCLXXXIV.; quemadmodum con-

conſtat ex Sententia, quam refert Puricellus *in Monumentis Baſil. Ambroſ.*, num. DLXXXIV.; lata a Rogerio de Landriano Judice, *Mediolani in Palatio* (gentilitio) *ejuſdem Domini Cardinalis, ex mandato Domini Uberti Cardinalis Presbyteri, Tituli Sancti Laurentii in Damaſo, & Apoſtolicæ Sedis Legati*.

Lucius III Pontifex Maximus, dum eſſet Veronæ, Fridericum Imperatorem allocuturus, Concilium Epiſcoporum coëgit Anno MCLXXXV., Pagio teſtante, ad quod Ubertus Cribellus jam Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Archiepiſcopus Mediolanenſis ſe contulit, ibique moram duxit. Contigit autem eodem Anno, atque in eadem Urbe obitus Lucii Summi Pontificis, VII. Calendas Decembris. Quapropter Cardinales omnes, qui defunctum Pontificem comitati fuerant, collectis ſuffragiis, ſtatim evexere ad Sancti Petri Cathedram Ubertum noſtrum Antiſtitem, qui tamen uſque ad mortem Archiepiſcopatum Mediolanenſem numquam dimiſit, ſed per fidos ſapienteſque Miniſtros hanc Eccleſiam gubernare dignatus eſt.

Fridericus Imperator Mediolanum profectus, nuptias diſpoſuit Filio ſuo Henrico VI (aliis V.) in noſtra Metropoli celebrandas cum Conſtantia, Rogerii Siciliæ Regis Filia, quam perperam nonnulli dixere Monialem, ut animadvertit Baronius. Initæ illæ fuerunt in Baſilica Sancti Ambroſii Anno MCLXXXVI ſolemni eâ pompâ, quæ Auguſtam Familiam decebat, & ſplendido tantæ Metropolis decori reſponderet. Corona pariter Italica tribus hiſce Principibus impoſita fuit: Sed quis eorum Præſulum qui aderant, Coro-

nationis honorem retulerit, plures Scriptorum noſtræ Patriæ malè expreſſere. Alii enim indicaverunt Algiſium, qui jam fatis conceſſerat; alii Milonem, qui nondum erat Archiepiſcopus; alii demum Ubertum, qui Pontificatûs Maximi Dignitate præfulgens, longe abhinc aberat. Pagius dubium omne exſolvit, referens verba æqualium illi tempori Auctorum, ac præſertim Radulphi de Diceto, ita ſcribentis: *Inter Henricum Regem Theutonicum, & Conſtantiam Filiam Rogerii Siculi Regis, Amitam verò Gulielmi Regis Siculi, Generi Regis Anglorum, matrimonium celebratum eſt VI. Calendas Februarii: Viennenſis Archiepiſcopus Fridericum Imperatorem Mediolani coronavit. Eodem in die Aquilejenſis Patriarcha coronavit Henricum Regem Theutonicum, & ab ea die vocatus eſt Cæſar. Quidam Epiſcopus Theutonicus coronavit Conſtantiam. Hæc acta ſunt in Monaſterio Sancti Ambroſii.* Id autem omne peractum eſt, abſque obtento conſenſu Urbani III. Pontificis Maximi atque Archiepiſcopi Mediolanenſis. Quocirca, ut juſtam indignationem ſuam profiteretur, tum Aquilejenſem Patriarcham Godefridum, tum alios Præſules qui interfuerant, a Divino ſuſpendit Officio.

Ubertus Pontificia Dignitate auctus, ſecundo Anno electionis ſuæ in Summum Hierarcham, Diploma expedivit Veronæ adhuc degens, in favorem Cœnobii Morimundenſis, cui Alexander III. Pontifex Maximus Privilegia quædam indulſerat Anno MCLXXI, ùt tradit Ughellus in Serie Archiepiſcoporum Mediolanenſium, ubi de Robaldo agit: quo eadem Privilegia confirmavit Anno MCLXXXVI. Illud non retulit memoratus Ughellus, aſſerens conforme prorſus eſſe

Re-

Digitized by Google

Reſcripto Alexandri, quod recitaverat, ùt diximus in Vita Robaldi.

Quid egerit Urbanus III. ſedens in Suprema Sancti Petri Cathedra, & quot labores atque ærumnas pertulerit, ut auctoritatem ſuam, Fideique Catholicæ partes tueretur, coactus etiam intrepidè obſiſtere Friderico Ænobarbo, ejuſque Filio Henrico, noſtrum non eſt enarrare; cùm abundè egregias Urbani res geſtas ad poſteros tranſmiſerint Cardinalis Baronius, Ciaconius, Platina, & alii qui Vitas Pontificum Romanorum deſcripſere. Summâ procul dubio religione Pontificem iſtum excelluiſſe, apud nos veſtigia etiam in præſentem diem ſervata teſtantur. Siquidem multò etiam ante quàm Dignitates ſplendidiores conſequeretur, ideſt Anno MCLXX, ùt refert Pennotus, Monaſterium condidit prope Ticinum amnem, in Loco appellato *Bernate*, gentilitii juris ſui, ditavitque opulento cenſu ex paternis facultatibus, ſubdens illud alteri Cœnobio, nuncupato *de Creſcentiaco*, Ordinis Canonicorum Lateranenſium. Neque hoc contentus, novum ſimiliter Monaſterium erexit, quod nunc etiam dicitur *Sancti Petri ad Ulmum*, illudque pariter proprii patrimonii reditibus locupletavit. Hinc autem factum eſt, ut creditus fuerit Ubertus Cribellus, nomen ſuum dediſſe Ordini Regularium Canonicorum, quemadmodum legi poteſt in laudato Pennoto, & Oldoini Additionibus ad Ciaconium: Sed citra verum; cùm nemo unquam memoraverit ex noſtris, aut Pontificiis Scriptoribus, eidem ſacræ militiæ adſcriptum eum fuiſſe, quamvis revera propenſiſſimum animum ſervaviſſe erga celebrem hanc & ſanctiſſimam Congregationem ipſe ſemper commonſtraverit.

Non leve indicium quoque religioſiſſimi in Deum & Sanctos cultûs, eſt cura, quam Ubertus habuit, ut Sacra Cœlitum Lypſana Fidelium venerationi exponerentur; refert namque Petrus Paulus Boſca *in Martyrologio Ambroſiano*, ad diem XXV. Auguſti, reperta fuiſſe ab Uberto Corpora Sanctorum Martyrum Aſtantii & Antoniani, in Pago Viconzoni Diœceſis Mediolanenſis, prope agrum Laudenſem, atque ab ipſo (ùt Boſca autumat) traducta inde fuiſſe Mediolanum, in Ædem Sancto Satyro dicatam. Siquidem ipſemet Clariſs. Boſca teſtatur, ſe expoſitos in Ara Majori ipſius Eccleſiæ multos Cineres horum Martyrum vidiſſe, dum die Feſto Epiphaniæ ſingulis annis cum aliis quamplùribus Reliquiis publicæ venerationi exhiberentur, & debito obſequio coluiſſe. Illuſtrius tamen argumentum pietatis, quæ in Urbano III. Summo Pontifice, ſimulque Archiepiſcopo noſtro fervebat, ea omnia ſunt, quæ paulo ante obitum ſummo ſtudio euravit, ut nempe conſervatâ Jeroſolymâ, & venerandis Terræ-ſanctæ Locis, vividior ſemper floreret contra Barbarorum irruptiones triumphalis gloria Crucifixi Redemptoris. Id namque oſtendunt ſolicita meditamenta in unum colligendi univerſos Principes Occidentales, ob expedienda in Orientem ſubſidia copiarum. Sed intempeſtiva mors obſtitit præclariſſimis cœptis; cùm enim Veronâ Ferrariam ſe contuliſſet, Venetias uſque penetraturus, ad animos Chriſtianorum militum inflammandos, ferale nuncium accepit, captam jam eſſe a Saladino Jeroſolymæ Urbem; ac intimo cordis dolore perculſus contabuit, obiitque, ſepultus in Eccleſia Cathedrali Ferrarienſi, poſt annum I., menſes X.,

dies

dies XXV. actos in ſuprema Hierarchica Dignitate; & annos II., menſes IX., dies X. in Archiepiſcopatu Mediolanenſi, ùt mox compertum faciemus.

Appoſitum eſt illius Tumulo in memorata Ferrarienſi Cathedrali ſequens Epitaphium:

HIC JACET SACRÆ MEMORIÆ URBANUS PP. III.
NATIONE MEDIOLANENSIS,
EX GENERE CRIBELLORUM
SEPULTUS. MCLXXXVII.

De numero annorum, menſium, & dierum, quibus Mediolanenſem Eccleſiam Ubertus rexerit, ſi inſpiciamus Catalogos antiquos nobis relictos, dubitari nequit, cùm eidem attribuant annos II., menſes IV., & dies X. Verùm ſi iiſdem ſtandum ſit, nodus nondum extricatus objicitur, quo videlicet die electus fuerit in Archiepiſcopum hujus Metropolis. Sigonius, qui Uberti electionem ad Ambroſianam adminiſtrandam Eccleſiam Anno MCLXXXI. figit, longe aberrat, proinde minimè eſt attendendus. Puricellus, qui Annum MCLXXXV. rectè adnotat, III. Calendas Aprilis collatum Uberto Præſulatum affirmavit: Nec multùm diſſentit Ughellus, qui circa exeuntem Martium, aut Aprilis initium, eumdem inſtitutum Archiepiſcopum tradit. Papebrochius ***in Exegeſi Mediolanenſium Antiſtitum***, ad diem XI. Maji (quem nos etiam ſecuti ſumus in Adnotationibus ad Sigonium) differt Uberti Succeſſionem in Sedem Algiſii defuncti. Attamen cùm ſecundis curis has Epochas expenderimus,

Digitized by Google

rimus, compertum nobis effectum eſt, neminem ex hiſce laudatis Scriptoribus in ſcopum collimaſſe. Namque feriò attendentes annorum numerum, qui in vetuſto noſtro Catalogo tribuuntur Algiſio, nempe, *annos VIII.*, *menſes quinque*, *quinque diebus minus*, diximus ſuperiùs, eos compleri die XXVIII. Novembris, Anni MCLXXXIV.: Admonente verò Catalogo eodem, *vacaſſe* Mediolanenſem Sedem *menſe I.*, *& diebus XI.*, patêre arbitramur, electionem Uberti poſt Algiſii obitum, incidiſſe in diem IX. Januarii, Anni MCLXXXV. Porro certum eſt, Pagio teſte, mortem Urbani III. Archiepiſcopi noſtri amoveri non poſſe a die XIX. Octobris Anni MCLXXXVII; proinde anni II., menſes IV., & dies X. minimè congruunt calculo Scriptorum, quos hactenus indicavimus, aut enim deficiunt, aut excedunt. Quod optimè percipiens Papebrochius, opinatus eſt, ab Urbano III. dimiſſum fuiſſe Archiepiſcopatum Mediolanenſem menſe uno ante mortem; reluctante potiùs veterum Scriptorum teſtimonio. Nos qui ſuperiùs relatam Epocham fiximus, in tanta opinionum varietate non aliam viam enodandæ huic difficultati amplecti poſſe arbitramur, quàm aſſerendo, excidiſſe e calamo Amanuenſis numerum IV. menſium, cùm IX. exſcribendi forent ab archetypo Catalogo. Neque hoc novum eſt, cùm alibi etiam idem Papebrochius ſimilem errorem conatus ſit emendare. Sanè ſi conjectandi libertas nobis quoque indulgeatur, cenſemus in archetypo antiquo Catalogo adnotatum fuiſſe hunc Romanum numerum *IX.*; ſed Amanuenſem alterum numerum *IV.* exſcripſiſſe, cùm illud fortaſſe vel malè compactum, vel corroſum offenderit. Equidem hoc

ablato

ablato exſcriptorum mendo, temporis ſpatium adamuſſim & electioni Uberti, & morti reſpondet in Summo Pontificatu; ideoque nihil ſecurius nobis ſtatuendum objicitur. Nihilo tamen minus penes Lectores judicium ſit; nobis profitentibus, certiora ſi emergant, libenter nos amplexuros.

MILO.

AD Archipresbyteri Dignitatem in Majori Mediolanenſi Eccleſia primò evectus fuerat Milo, dictus *de Cardano*, ut ipſemet teſtatur in Diplomate, cujus infra mentio fiet: quocirca emendandus eſt Galeſinius, qui eum apertè vocat *Candianum*. Comes fuit unà cum Sancto Galdino peregrinationis ſuſceptæ ab Oberto Archiepiſcopo noſtro ad Januenſem Urbem, ut ſequeretur Alexandrum III. inde in Gallias profecturum, tempore Schiſmatis & excidii Mediolanenſis Urbis a Friderico Ænobarbo parati. Deinde Inſulam Taurinenſem obtinuit Anno MCLXX.; quod minimè animadvertit Ughellus in Epiſcopis Taurinenſibus, ejuſdem electionem affigens Anno ſequenti, cùm tamen id expreſsè legatur *in Monument. Baſil. Ambroſ.*, num. DCIX. apud Puricellum, a quo archetypum Documentum profertur Tranſactionis peractæ coram Domino Galdino Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Apoſtolicæ Sedis Legato, inter Abbatiſſam Monaſterii Majoris Mediolani, & Abbatiſſam Cœnobii de Montano (prope Pagum Roxati, extra Urbem noſtram ad Occidentem). Cùm enim translatum eſſet judicium arbitriumque Partis utriuſque in Dominum Milonem, Mediolanenſem Archipresbyterum, & Taurinenſem Epiſcopum, ipſe in concordiam prædictas Abbatiſſas compoſuit. Data eſt hæc Charta *per manum Domini Algiſii Cymeliarchæ & Cancellarii, de mandato ſupradicti*

Do-

Domini Galdini, *Archiepiſcopi*, & ſubſcripta *a Milone Taurinenſi Epiſcopo*, *& Archipresbytero*, *Anno a Nativitate Domini milleſimo centeſimo*, *ſeptuageſimo*, *XII. Calendas Novembris*, *Indictione IV.*

Neque hæc ſola occaſio fuit, publicè experimentum faciendi, quantâ præditus eſſet Milo dexteritate ac prudentia. Etenim, cùm ageretur Anno MCLXXVII. magnum Opus reconciliandi Fridericum cum Alexandro III. Pontifice Maximo, ſeptem Cardinales Summus Pontifex pacis arbitros ac mediatores delegit; Lombardi verò ad propriam partem totidem ſapientiſſimos Viros deſignavere, quorum primus Milo fuit Taurinenſis Epiſcopus, ſimul cum Bergomenſi, Cumano, & Aſtenſi Electo, aliiſque tribus Laicis Judicibus. Conſtat hoc ex Actis ipſis Alexandri III., quæ Baronius refert.

Mediolanenſem Eccleſiam ditare voluit Milo Divini cultûs incremento, etiam antequam hujus Metropolis Solium conſcenderet. Recitat Franciſcus Caſtellus ſæpiùs laudatus in Collectaneis MStis, quæ in Bibliotheca Ambroſiana cuſtodiuntur, Chartam Donationis, quam Taurinenſis ille Præſul expedivit Anno MCLXXXVI., ut Primario Clero Metropolitanæ Baſilicæ novus Canonicus accreſceret. Quandoquidem verò Documentum iſtud adhuc latet in tenebris, non ingratum erit Lectoribus, in lucem productum illud accipere.

„ In nomine Domini, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo octuageſimo ſexto, quintodecimo die menſis „ Julii, Indictione quarta, Capitulo Ordinariorum Mediolanenſis Eccleſiæ. Ego in Dei nomine Milo Turinenſis, Epiſco-

„ pus, & Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbyter, qui dicor
„ *de Cardano*, conſenſu & voluntate Domini Urbani Papæ
„ & Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſicut per ejus Literas bul-
„ latas a me viſas apparebat; necnon & præſente & con-
„ ſentiente Heriprando Judice & Advocato ipſorum Ordina-
„ riorum, & Domino Petro Buxoro Archipresbytero de
„ Monte, & Magiſtro Philippo, atque Guiſcardo Vicecomi-
„ te, & Albrico de Surexina, & Hugone de Orano Sacer-
„ dotibus, atque Ottone Vicedomino, qui dicitur de Cur-
„ te, & Oldone Crivello Diaconibus, ac Magiſtro Faxa-
„ to, qui dicitur Menclotius, & Uberto Lento, & Alber-
„ to item Menclotio Subdiaconibus ipſius Capituli. Dono
„ præſenti die & hora inter vivos: Nominative omnes il-
„ las poſſeſſiones, quas habeo, & mihi pertinent in Locis
„ & Fondis Foſſadolto, Paninzacco, & in eorum territo-
„ riis, ac in circumſtantibus Locis tam in Caſtris, quàm
„ in Villis & in finibus, quas emi a Maineriis, pretio li-
„ brarum ſeptingentarum ſeptuaginta novæ monetæ Medio-
„ lani; ſcilicet Caſas, ſedimina, ac molendinorum ſedes,
„ cum ædificiis eorum, & ceteras territorias res cum omni
„ honore & diſtrictu, & conditionibus . . . . ,
„ & Eccleſiarum advocatiis, piſcationibus & jure vaſſallo-
„ rum, & omni alio jure & uſu . . . . Eo tenore,
„ ut a modo in antea ſint ipſæ poſſeſſiones omnes ipſius Ca-
„ pituli: Ita tamen, ut præſenti numero Ordinariorum ad-
„ datur unus Ordinarius Præbendarius, qui ipſas res habeat
„ & teneat, & faciat omni tempore Anniverſarium meum
„ ex fructibus ipſarum poſſeſſionum cum Domino Archiepi-
„ ſcopo,

„ ſcopo, & cum ipſo Capitulo, atque cum Communantia „ Sacerdotum Mediolanenſium; dando Domino Archiepiſco- „ po, ſi interfuerit, ſolidos quinque, & Hebdomadariis de- „ narios quinquaginta duos; Sacerdotibus & Diaconibus Ca- „ pituli Ordinariorum denarios ſex pro unoquoque; Subdia- „ cono & quatuor Notariis denarios quatuor pro unoquo- „ que; Lectoribus denarios quatuordecim; Cuſtodibus dena- „ rios ſexdecim; Veglonibus & Veglanis denarios viginti; „ inter Crucem & incenſum denarios duos; Pueris Magiſtri „ Scholarum denarios duos; pro pane & vino Malianis ſo- „ lidos duos. Et præfati denarii omnes dentur ſingulis an- „ nis præfatis perſonis in jam dicto Anniverſario meo, tam „ ſi non intererint, quàm ſi intererint, exceptâ ſupraſcripta „ benedictione Domini Archiepiſcopi. Ceteris verò Presby- „ teris, qui intererint, dentur denarii duo pro unoquoque, „ & qui non intererint, nihil habeant. Cetera verò Judi- „ cata & ordinamenta, quæ ego qui ſupra Milo, feceram „ ſupra jam dictis facultatibus meis, caſſo & infringo, quia „ ſic decrevit mea bona voluntas. Actum in Domo ip- „ ſorum Ordinariorum, pro remedio & mercede animæ „ meæ.

„ Ego Heriprandus, qui dicor Judex, & ſupraſcripto- „ rum Ordinariorum Advocatus conſenſi ut ſupra, & ſub- „ ſcripſi.

„ Interfuerunt Gulielmus, qui dicitur Burrus, & Anri- „ cus Advocatus de Turino, ac Bottus de Maſſenago, & „ Petrazius de Sancto Calocero, atque Petrus de Subiate „ Teſtes. Ibique incontinenti inveſtivit ipſe Dominus Milo

„ Epiſcopus præfatos Dominum Petrum Archipresbyterum,
„ & Ottonem Vicedominum, & Magiſtrum Faxatum nomi-
„ ne ipſius Capituli de præfatis poſſeſſionibus omnibus, qua-
„ liter ſuperiùs legitur.

„ Ego Gualdericus Palliarius, Notarius Sacri Palatii tra-
„ didi & ſubſcripſi.

„ Ego Rogerius, qui dicor Palliarius, Notarius Sacri
„ Palatii ſcripſi.

„ Ego Petrus de Veriano Notarius Sacri Palatii authen-
„ ticum hujus Exempli vidi, & legi, & ſic in eo conti-
„ nebatur, ùt in iſto legitur Exemplo, extra literas plus
„ minuſve.

„ Ego Manfredus, qui dicor de Brivio, Imperialis Aulæ
„ Notarius authenticum hujus Exempli vidi & legi, & ſic
„ in eo continebatur, ſicut in hoc legitur Exemplo, extra
„ literas plus minuſve.

Electus demum Milo communibus Suffragiis poſt menſem I., & dies XVI. ab obitu Urbani III. Summi Pontificis (ùt tradunt Catalogi), non quidem ſtatim poſt auditam Urbani mortem, quemadmodum cenſuit Ughellus, die V. Decembris Anni MCLXXXVII. Ambroſianam Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit. Biennio poſt eidem ſeſe obtulit definienda controverſia, quæ antea ferbuerat inter Præpoſitum Eccleſiæ de Caſolate, & Priorem Monaſterii Morimundenſis. Archiepiſcopus autem noſter ipſam adeò diremit, ut quieta impoſterum inter illos concordia viguerit. Chartam Tranſactionis recitat Ughellus in Vitis Archiepiſcoporum Mediolanenſium, ſubſcriptam manu propria Milonis, & datam Anno MC-

MCLXXXIX., XI. Calendas Auguſti, Indictione VII.

Superioribus annis, ùt vidimus, acerrimum exortum fuerat diſſidium inter ſpectatiſſima duo Collegia Canonicorum Urbis Bergomenſis, Sancti Alexandri videlicet, & Sancti Vincentii. Quamvis verò Mediolanenſis Archipræſul Robaldus, & etiam Pontificia auctoritas Innocentii II. ſeſe interpoſuiſſet, ut invicem altercantes utriuſque Baſilicæ Canonici lites deponerent, revixêre nihilominus controverſiæ, donec Lanfrancus Bergomi Antiſtes tantâ ſe gerens dexteritate illas omnes exſolverit, atque evicerit ut ex duobus Collegiis unum conflaretur; ac proinde utriuſque Partis Canonici ſeſe tamquam Fratres ſint amplexati, quemadmodum in Epiſcopis illius Urbis Ughellus authenticis Documentis enarrat. Deerat tam præclaro Operi auctoritas Metropolitani Pontificis. Quamobrem Milo Archiepiſcopus Diploma dedit, quo ſe approbare & confirmare oſtendit, quod actum fuerat per Bergomenſes, ad perficiendum laudatiſſimum hoc Opus, ùt ex Charta ab eodem Ughello vulgata, cui Milo manu propriâ ſubſcripſit, expeditâ *Mediolani, per manum Domini Rolandi Diaconi & Cancellarii Anno MCXC., Pontificatus Domini Milonis anno tertio, ſexto die Februarii, Indictione VIII.*

Anno eodem emerſerat denuo inveteratum jurgium inter Canonicos & Monachos Baſilicæ Sancti Ambroſii, circa jus, quod utraque Pars in peragendis Divinis Officiis ſibi vendicabat. Quocirca Milo Archiepiſcopus, ut tamdem ſuccreſcentia in dies litigia radicitus exſcinderet, Sententiam tulit, qua ſingula quæ in controverſiam venerant, definivit; legemque ſtatuit, ut cuncta impoſterum ſine tumultu & ſcandalo

dolo fierent. Legitur hæc Charta *in Monument. Baſil. Ambroſ.*, num. DCXIII., *data Anno MCXC, die III. Martii* (non Maji, ùt per errorem Ughellus ſcripſit) *Indictione VIII., Pontificatus Domini Milonis anno tertio, per manum Domini Rolandi, Dei gratia Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconi & Cancellarii*, ac ſubſcripta *Mediolani* ab ipſo Milone Archiepiſcopo. Non acquievere tamen Antiſtitis noſtri Decreto Canonici ac Monachi ejuſdem Baſilicæ: Quapropter ad Summi Pontificis Clementis III. tribunal appellavere Anno MCXCI., qui deſignatis duobus Judicibus Petro Abbate Sancti Petri de Laude-vetere, unà cum Oberto Præpoſito Bergomi, iiſdem Cauſam definiendam commiſit. Sed hæc fuſiùs enarrare, ad noſtrum Inſtitutum non pertinet.

Biennio poſt, Anno nempe MCXCIII. nobis occurrit *in Monument. Baſil. Ambroſ.*, ſub num. DCXXI. Privilegii Charta, quo Archiepiſcopus Milo confirmat ea omnia, quæ tum Mediolani, tum extra Urbem juſtè & canonicè Sancti Ambroſii Monaſterium poſſidebat. Subſcribitur hoc Diploma propria manu memorati Antiſtitis: Datum autem eſt *per manum Domini Rolandi, Dei gratia Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconi & Cancellarii, Anno MCXCIII., die martis ſexta menſis Aprilis, Pontificatus Domini Milonis anno quinto*. Equidem *dies martis* eo anno verè incidebat *in diem ſextum Aprilis*; non ita tamen *annus quintus* Milonis tunc numerari poterat. Animadvertunt optimè hoc mendum Puricellus & Ughellus, qui cum ſuis Adnotatoribus in margine ad hoc Diploma, conſtanter aſſerunt, excidiſſe e calamo Cancellarii, ſeu potiùs Scribæ annum *quintum*, pro *ſexto* jam incœpto.

Nos

Nos tamen validius argumentum proferimus, Chartam videlicet ab eodem Milone datam Anno ſequente, die XIII. Martii, in qua ſeptimum decurriſſe Pontificatus annum Cancellarius optimè expreſſit, ùt mox videbimus. Documentum confirmationis expedivit Milo Archiepiſcopus *Superſtantiæ Hoſpitalis Sancti Euſtorgii*, Prædeceſſorum ſuorum *Rubaldi*, *Oberti*, *& Beatiſſimi Confeſſoris Galdini* auctoritate jam roboràtæ. Quoniam verò hujuſmodi Scriptum non ita obvium eſt, quia relatum tantummodo a Clariſs. Muratorio Tom. III. *Antiquit. Ital. Med. Ævi*, colum. DLXXXV., nos ex *Collectaneis* antea laudatis Franciſci Caſtelli, illud typis vulgamus, ut error ſuperioris Chartæ dilucidiùs pateſiat.

„ Milo Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archie„ piſcopus. Dilecto Fratri Guidoni Præpoſito, & Fratribus „ (Sacerdotibus Canonicis) Eccleſiæ Beati Euſtorgii Me„ diolani tam præſentibus, quàm ſubſtituendis in perpetuum. „ Tunc rectè aſſumptum videmur adminiſtrare officium, cùm „ de Eccleſiis & earum ſervientibus, noſtro commiſſis regi„ mini, ſinceriori & ampliori cura, & meditatione ſolicita „ utiliter cogitamus, & eas taliter ſatagimus ordinare, de„ fendere & fovere, ut nihil noſtræ ſit in poſterum negli„ gentiæ imputandum; ſed potiùs ex utili proviſione noſtra „ ſpiritualiter & temporaliter, Auctore Deo, ſuſcipiant in„ crementum, & quod canonicè adeptæ ſunt, omni tem„ pore ſine difficultate qualibet perpetuò valeant poſſidere „ quietè. Audivimus ſiquidem, & ex tenore Privilegiorum „ bonæ memoriæ Domini Rubaldi, & Domini Oberti, at„ que Beatiſſimi Confeſſoris Galdini Prædeceſſorum noſtrorum

„ nobis

„ nobis manifeſtè innotuit, quòd prædictus Dominus Rubal-
„ dus Hoſpitale ad honorem Dei, & pauperum ſuſtentatio-
„ nem, in Suburbio Portæ Ticinenſis conſtructum, & ejus
„ ordinationem omnimodam; & memoratus Dominus Ober-
„ tus ſuperſtantiæ Eccleſiæ veſtræ diſpoſitionem, regimen,
„ dominium, & inveſtituram, Eccleſiæ veſtræ & vobis ve-
„ ſtriſque Succeſſoribus donando conceſſerint, & concedendo
„ donaverint; & prædictus Beatus Galdinus, tunc Mediola-
„ nenſis Archiepiſcopus, illa eadem, necnon & Eccleſiam
„ Beati Petri, & Eccleſiam Sancti Stephani cum omnibus ad
„ eas pertinentibus, tam in decimationibus, quàm in aliis
„ reditibus, proventibus, & poſſeſſionibus, & omnia alia
„ ad Eccleſiam Beati Euſtorgii pertinentia, Apoſtolicâ, Se-
„ dis cujus fungebatur Delegatione, & Sanctæ Mediolanen-
„ ſis Eccleſiæ auctoritate, vobis veſtriſque Succeſſoribus con-
„ firmavit, liberè & quietè habenda perpetuò, ſicut in eo-
„ rum Privilegiis continetur. Nolentes igitur, quod a tan-
„ tis Patribus a nobis omnimodis imitandis ſtatutum eſt,
„ alicujus malignitate infringi vel mutari, honeſtis precibus
„ & petitionibus veſtris annuentes, & grato concurrentes aſ-
„ ſenſu, Hoſpitale prædictum, & ejuſdem omnimodam ordi-
„ nationem atque diſpoſitionem, regimen dominium atque
„ inveſtituram Superſtantiæ Eccleſiæ veſtræ, & Eccleſiam
„ Beati Petri, & Eccleſiam Sancti Stephani cum omnibus ad
„ eas pertinentibus, & alia omnia ad Eccleſiam Beati Eu-
„ ſtorgii pertinentia, adinſtar Beati Galdini Prædeceſſoris no-
„ ſtri, auctoritate Sanctæ Mediolanenſis, cui licèt indigni
„ præſidemus, Eccleſiæ, & noſtrâ, jure perpetuo vobis ve-
„ ſtriſque

„ ſtriſque Succeſſoribus concedimus, confirmamus, & præſen-
„ tis Scripti paginâ communimus. Statuentes, ut nulli omni-
„ no hominum Clerico vel Laico, in noſtra commoranti
„ ditione liceat contra hanc noſtram confirmationem venire,
„ vel eam auſu infringere temerario. Si quis verò id at-
„ temptaverit, & commonitus diligenter ſuam debita ſatisfa-
„ ctione non correxerit temeritatem, iram Dei Omnipoten-
„ tis & noſtram, ac ſui ordinis & officii periculum ſe no-
„ verit incurſurum.

„ Ego Milo Mediolanenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

„ Ego Philippus Mediolanenſis Archipresbyter ſubſcripſi.

„ Ego Obertus Mediolanenſis Archidiaconus ſubſcripſi.

„ Ego Viſcardus Vicecomes Presbyter ſubſcripſi.

„ Ego Petrus Presbyter ſubſcripſi.

„ Ego Albertus Presbyter ſubſcripſi.

„ Ego Guiſcardus Mediolanenſis Eccleſiæ Presbyter ſub-
„ ſcripſi.

„ Ego Rolandus Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus & Can-
„ cellarius ſubſcripſi.

„ Ego Otto Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Otto Diaconus Vicedominus ſubſcripſi.

„ Ego Oldo Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Obertus Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus ſubſcripſi.

„ Ego Faxitus Subdiaconus ſubſcripſi.

„ Ego Lanterius Subdiaconus ſubſcripſi.

„ Ego Jacobus Caſſina Subdiaconus ſubſcripſi.

„ Datum per manum Domini Rolandi Mediolanenſis....
„ Cancellarii, Anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto,

Digitized by Google

„ decimo tertio die Martii, Pontificatus Domini Milonis, „ Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſcopi Anno ſeptimo.

Mediolanenſem Eccleſiam rexit Milo annis VII., menſibus VIII, diebus VIII, quemadmodum Catalogus noſter affirmat. Cùm autem juxta calculum initum ad ejus electionem, ſtatuerimus eidem diem V. menſis Decembris, Anni MCLXXXVII., deſignati a Catalogo numeri annorum, menſium, & dierum explentur die XIII. menſis Auguſti, Anni MCXCV.

Plurimùm erravit Sigonius, qui Milonis obitum Anno MCXCIII. affixit. Neque caret ſuo nævo etiam Papebrochius, qui illum vitâ ereptum tradit die XIII. Julii; quamvis eidem condonari hoc mendum poſſit, cùm abdicatam ab Urbano III. Mediolanenſem Eccleſiam uno menſe ante obitum fuerit opinatus. Certè uſque ad Annum MCXCV. vitam produxiſſe Milonem, perſpicuum eſt; Teſtem enim adſtitiſſe legimus Henrici VI. Imperatoris Diplomati, expedito in favorem Cœnobii Morimundenſis, *Anno Dominicæ Incarnationis MCXCV., Indictione XIII, Mediolani, die Dominico, IV. die menſis Junii*, quod vulgavit Ughellus, ubi agit de hoc Archipræſule noſtro; in eo tamen a vero aberrans, quòd nimiùm fiderit Calcho, & recentioribus Catalogis, dum ait, Milonem ſaltem ad Annum prope perveniſſe MCXCVI., cùm nimis indefinitum ſit hoc tempus, & ſupra quatuor menſes ab ejuſdem morte excurrerint, ante exitum iſtius anni.

Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali, prope Suggeſtum. Franciſcus Caſtellius ſæpe laudatus, *in MStis ſuis*, quæ Ambro-

broſiana Bibliotheca cuſtodit, iſta adnotavit; exornatum nempe fuiſſe Locum illum, qui condendis Cineribus noſtrorum Antiſtitum aptatus erat, rubeis marmoribus ab Uberto Cribello, poſtmodum Urbano III. Cùm autem regiâ magnificentiâ Joannes Galeatius Vicecomes, Dux primus Mediolani, extruere Templum Maximum vellet in eam quæ nunc viſitur formam, diſperſa fuere ornamenta omnia, quæ in vetuſtiore Baſilica refulgebant; atque inter marmorum rudera inventum fuit Seculo XVI., ideſt eo vivente, inſculptum in rubro Lapide Epitaphium Milonis, hiſce carminibus expreſſum:

ISTHIC PONTIFICIS REQUIESCUNT OSSA MILONIS,
CUI DEUS ÆTERNÆ CONCEDAT GAUDIA VITÆ.

OBERTUS II.

DEfunćto Milone, poſt dies XXVI. Sedis vacantis electus eſt Mediolanenſis Archiepiſcopus Obertus, ſeu Ubertus de Tertiago, Anno MCXCV. (non ſequenti, ut voluit Ughellus) die VIII. Septembris, in univerſa nunc Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Mariæ Nativitati dicato. Antequam ad hanc Dignitatem promoveretur, Modoëtienſis Baſilicæ Archipresbyter egregium experimentum dederat, præſertim prudentiæ ſapientiæque, vocatus ad firmandas teſtimonio ſuo auguſtas paginas Privilegii, quod poſt ſtaturam Pacem Conſtantiæ Fridericus Ænobarbus Mediolani moram trahens Civibus noſtris conceſſit Anno MCLXXXV., IV. Nonas Maji, Indictione III. Puricellus hoc Diploma publici juris fecit, loco ſæpius laudato, ſub num. DXCII. Præſens quoque fuerat Obertus alteri Privilegio, ab eodem Ænobarbo Mediolanenſibus dato, Anno proximè enunciato, III. Idus Februarii, apud Regium Lepidi, quò Conſules Mediolanenſes & alii honeſti Cives ſe contulerant, pertractaturi quæ in memorata Pace Conſtantiæ juramentis firmata fuerant, ad hanc Metropolim ſpectantia. Etiam hoc Diploma vulgavit Puricellus, num. DLXXXVII., in quo legimus manſuetiſſima præconia Majoribus noſtris data ab Ænobarbo, eos appellando *ſtrenuos, fideles, ac ferventiori præ ceteris affectu ipſi devotos*; & enumeratur inter Teſtes *Obertus Modoëtienſis Archipresbyter*.

Ga-

Galeſinius in Serie Mediolanenſium Antiſtitum, ut Obertum nobiliùs honeſtaret, tradit, eumdem Canonicis Ordinariis Metropolitanæ Baſilicæ fuiſſe connumeratum. Non ita facilè hoc admiſit Puricellus, num. DCXXIV.; faſſus enim eſt, decus iſtud non ſatis videri compertum. Nos Archivum ipſum hujus Primarii Collegii conſuluimus, & præſertim Nomenclaturam Canonicorum, qui longè retro eidem adſcripti fuerunt; nec quidquam occurrit de hoc Oberto. Aliud ſplendidius decus excogitavit memoratus Scriptor, ut altiùs etiam Obertum extolleret, videlicet aſſerendo, Cardinalitiam Dignitatem ſub Titulo Sancti Stephani in Cœlio Monte, ab Innocentio III. ipſi fuiſſe collatam. Verùm hoc quoque explodunt Puricellus & Ughellus, & qui Additamenta Ciacconio appoſuere. Siquidem jam aderat eo tempore Joannes Salernitanus, auctus hoc honore & Titulo, quo varias Legationes obivit. Multò magis aſſerere cogimur, imaginariam eſſe excelſam hanc laudem, cùm Galeſinius Innocentium III. indigitet auctorem collocati inter Cardinales Oberti, qui morti conceſſit, antequam Innocentius III. ad univerſæ Eccleſiæ regimen aſſumeretur. Denique Galeſinius vertit in gloriam hujus Archiepiſcopi noſtri Pacem conciliatam inter Mediolanenſes, & Comenſes, qui diuturnis bellis ſeſe invicem fregerant, magno facultatum & Oppidorum detrimento. Sanè Triſtanus Calchus fœdus hoc enunciat ad Annum MCXCVI., quo verè Archiepiſcopus erat Obertus: Sed cùm erraverit, ſtatuens ejuſdem electionem huic anno; cùm Milo minimè vitam tamdiu produxerit, Obertum fauſti iſtius Operis ſequeſtrem non facit. Credere tamen prudenter valemus, interfuiſſe

fuiſſe etiam Obertum, unà cum Patriæ noſtræ Conſulibus, auctoritate & conſilio, prout Archiepiſcopalis poteſtas exigebat; quamvis fœderis Tabulas, expeditas Idibus Septembris, videre haud potuerit, raptus morte die XIII. Junii illiuſmet anni.

Contigit eodem Anno MCXCVI., quo Obertus adhuc Mediolanenſem Eccleſiam regebat, ut inopinato caſu magna pars Baſilicæ Sancti Ambroſii in præcipitem ruinam decideret, non ſine intimo Civium dolore, qui depoſita ibidem a Sancto Patrono mortalitatis ſpolia quotidiano cultu venerabantur. Minimè expectavit optimus Paſtor ſupplices preces, ad liberalem aperiendam manum, vireſque omnes impendendas, quarum conatu ſolicito Sacra Ædes illa fervidis omnium votis inſtauraretur. Verùm ſuccreſcentibus Ædificii primordiis obſtitit mors intempeſtiva, quæ pia ejuſdem deſideria præcidit.

Tempus regiminis aſſignatur in antiquo Catalogo, menſium IX., & dierum V. Miratur Papebrochius, quòd admiſſis ab Ughello novem menſibus, & diebus quinque Sedis Oberti, ipſe tamen ſtatuens electionem VII. die Septembris Anni MCXCVI., eum deceſſiſſe e vita affirmet die XII. Aprilis, MCXCVII.; neque enim novem ſunt menſes, ſed tantùm ſeptem. Porro etiam Papebrochius conſueto errore labitur, ob menſem detractum ab Archiepiſcopali munere Eccleſiæ Mediolanenſis, quod ab Uberto Cribello ante mortem dimiſſum ipſe putavit. Itaque perduravit Obertus, ex calculis jam in Milonis Vita initis, a die VIII. Septembris, Anni MCXCV., ad diem XIII. Junii anni ſequen-

quentis; quo etiam Altaria Eccleſiæ Caravallenſis conſecravit, ùt ex Codice ejuſdem Abbatiæ Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.*, num. DCXXIX. fidem facit.

Sepulcri locus ab Auctore Catalogi minimè indicatùr.

PHI-

Digitized by Google

PHILIPPUS I.

E Lampugnàna nobili Mediolanenſi Familia natales trahens Philippus, mortuo Oberto de Tertiago, poſt dies XXVI. vacantis Sedis Paſtoralem hujus Eccleſiæ virgam Infulamque ſuſcepit, unanimi Electorum conſenſu, & Cœleſtini III. Summi Pontificis Placito, die IX., vel X. Julii, Anni MCXCVI. Exornatus jam fuerat Dignitate Archipresbyteri in Metropolitano Canonicorum Ordinariorum Collegio, eoque nomine ſubſcripſerat pluribus Chartis Milonis Archiepiſcopi, quas referunt Puricellus & Ughellus. Aſſumpto hujus Eccleſiæ regimine, eam reperit deſtitutam Sacris Miniſtris, qui Altari inſervirent. Quapropter ad Summum Pontificem Innocentium III, Anno MCXCVIII in Sancti Petri Cathedra conſtitutum confugit, rogans, ut eidem liceret manus imponere Clericis illis, quos ipſe Romanus Pontifex Sacris initiaverat. Reſpondit benignè per Epiſtolam Innocentius, datam Laterani XII. Calendas Martii, hæc ſcribens: „ Sicut ex tenore tuarum Literarum accepimus, Mediolanenſis Eccleſia tam in capite, quàm in membris, occaſione Clericorum illorum, „ qui ab ipſo Romano Pontifice Ordinem receperunt, adeò „ eſt Miniſtrorum ſolatio deſtituta, ut paucos Clericos in „ eadem Eccleſia valeas invenire, quos ad Diaconatûs & „ Presbyteratûs poſſis officium promovere: Verùm quia Fra„ ternitas tua ſuppliciter a nobis expetiit, ut ipſius Eccle-

„ ſiæ

„ ſiæ neceſſitatem ſolicitudine paterna penſantes, tibi debe-
„ remus licentiam indulgere, manus poſſe illis Ordinationis
„ imponere: Super hoc tuæ Fraternitati taliter duximus re-
„ ſpondere, quòd ipſius Eccleſiæ neceſſitate penſatâ, ſi ali-
„ qui fuerint de prædictis Clericis, qui ad hoc videantur
„ idonei, & ſpontanea voluntate per tuum miniſterium vo-
„ luerint ad Sacros Ordines promoveri, eos auctoritate
„ noſtra tibi liceat ordinare &c.

Reliquerat Obertus Archiepiſcopus, feſtina morte præreptus, Sancti Ambroſii Baſilicam, ùt diximus, vix e ruinis caput erigentem: Proinde Philippus ejuſdem Succeſſor, pudori ſibi adſcribendum ducens, ſi quod ille incœperat, ipſe non abſolviſſet, curam omnem adhibuit, ut amotis ruderibus collapſi Templi, non tam ad culmen deduceretur recens Ædificium, ſed novo etiam ornamentorum ſplendore fulgeret; quominus & cultus Aris tanti Patroni reſtitueretur, & fervidiores preces ad ejuſdem Tumulum effunderent Cives, ob reparandam pene collabentem, temporum ac bellorum injuriâ, Eccleſiaſticam diſciplinam, & abolendas depravatæ Plebis corruptelas. Producit Puricellus *in Monum. Baſil. Ambroſ.*, num. DCXXVI. nonnullos Teſtes juratos in quodam Examine, paulò poſt confecto, qui fidem huic egregio Operi Philippi Archiepiſcopi, ejuſque vigilantiæ, utpote tunc ſpectatores, adjiciunt.

Exarſerat uſque a temporibus Milonis Archiepiſcopi Mediolanenſis lis acerrima de poſſeſſione ac proprietate Monaſterii Sancti Donati de Scozula, ſeu de Sexto (Caſtro jacente ad oram Ticini Fluminis, e Lacu Verbano effluentis,

quod in præſentia appellamus *Sextum-Calendas*) cujus integrum jus utraque Pars ſibi deberi affirmabat, unà cum omnibus prædiis per diverſa Loca conſtitutis. Poſtquam diu agitata eſt quæſtio, deferenda fuit ad Apoſtolicam Sedem Cauſa. Quare Cœleſtinus III. Pontifex Maximus eam definiendam delectis Epiſcopis commiſit; ſed irrito conatu, cùm nondum rei cognitio ſecuro niteretur fundamento. Pontificiam manum dirimendæ huic controverſiæ appoſuit Innocentius III. Cœleſtini Succeſſor, qui poſt longam judiciorum ſeriem, pluribus aliis Præſulibus demandatam, tamdem Veronenſe Epiſcopo Sententiam ferente partim favore Mediolanenſis Eccleſiæ, partim pro Monaſterio Sancti Donati, eam utrinque receptam ipſe Apoſtolica auctoritate confirmavit. Quandoquidem verò in hac diſceptatione Hugo de Camerario vices Archiepiſcopi gerens auſus eſſet extrudere armatis complicibus Abbatem & Monachos a Cœnobii poſſeſſione, atque ob eam temeritatem perculſi fuiſſent anathemate idem Hugo ſuique Sectatores, redintegrari Monachos juſſit Innocentius, ſuiſque clauſtris reſtitui. Data eſt hæc Epiſtola, VI. Nonas Martii. Supererat expendenda Cauſa proprietatis, quæ coram ipſo Innocentio III. diſceptata fuit, atque communicata Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus. Quocirca origine, Privilegiis, aliiſque juribus hinc inde productis, & accurato examine inſtituto, adjudicata fuit Monaſterio Sancti Donati, utpote ſolidioribus baſibus innixa. Seriem omnem judicii enarrat ipſe Innocentius III. in Epiſtola, data Laterani, XVI. Calendas Maji, Pontificatûs anno II., ideſt Anno MCXCIX. Unita poſtmodum fuit hæc Abbatia Noſocomio Majori Medio-

dio-

diolani a Paulo III. Pontifice Maximo, Anno MDXXXV., ejuſque reditibus hodie quoque utitur, in ægrotantium ſalute curanda.

Non eſt ſilentio involvenda altera Innocentii III. Epiſtola, miſſa ad Archiepiſcopum noſtrum Philippum, cùm de inſigni Viro, Henrico nempe de Septala agatur, qui poſtmodum Archiepiſcopale munus Eccleſiæ Ambroſianæ ſumma cum laude exercuit. Præſtat id referre verbis ipſis Summi Pontificis, „ Cùm ſicut audivimus Cancellariæ Dignitas per „ annum & ultra in Eccleſia Mediolanenſi vacaverit, licèt „ juriſdictio conferendi eam juxta Lateranenſis Statuta Con„ cilii pleno jure ad nos ſit devoluta, cùm nec per te „ infra ſex menſes, nec per Mediolanenſe Capitulum infra „ ſex alios fuerit ordinata, nos tamen tibi tamquam Fratri „ cariſſimo deferre volentes, devotionem tuam rogamus af„ fectuoſiùs & monemus, per Apoſtolica tibi Scripta præ„ cipiendo mandantes, quatenus eidem (Henrico ſupradi„ cto) qui tam per ſe, quàm per Conſanguineos ſuos „ tibi & Eccleſiæ tuæ poterit eſſe fructuoſus, & ad ipſius „ executionem officii probatur idoneus, quem nos etiam qua„ dam prærogativâ ſpeciali diligimus, dictam Cancellariam „ ſine cujuslibet difficultatis obſtaculo, tam noſtrarum pre„ cum intuitu, quàm ipſius meritorum & probitatis obten„ tu, non differas aſſignare; itaut ipſe in hoc bonitatis tuæ „ dulcedinem valeat experiri, noſque in noſtrarum exaudi„ tione precum, tuæ probare poſſimus devotionis affectum „ &c.

Hiſce tamen ſive precibus, ſive mandatis Innocentii

Summi Pontificis obſtitere nonnulla, quæ Henricum Septalium a percipienda Cancellarii Dignitate prorſus amoverunt. Siquidem cùm intra anni ſpatium Philippus Archiepiſcopus Henricum Lampugnanum conſanguineum ſuum, per traditionem Libri ac Sigilli, Cancellarium inſtituiſſet, deductâ ad Apoſtolicam Sedem Cauſâ, poſt diuturnam diſcuſſionem confirmata eidem fuit peculiari dignatione ab Innocentio III. hujus muneris exercitatio, cùm nulla in re culpabilis appareret. Conſtat hoc ex altera Epiſtola ejuſdem Summi Pontificis, datâ Peruſii IX. Calendas Octobris, Pontificatûs anno primo, ideſt Anno MCXCVIII.

Ughellus tradit, a Philippo Archiepiſcopo finem impoſitum fuiſſe domeſticis bellis, quæ inter Mediolanenſes, ac Ticinenſes fervebant, magno Civium incommodo, fœdaque agrorum direptione. Narrat freqnentes inter ipſos pugnas Triſtanus Calchus ad Annum MCCI, ac demum ſubdit, expugnato Oppido Viglevani, captiviſque Papienſibus Mediolanum ductis, celebri eâ victoriâ effectum fuiſſe, ut tamdem pax inter utrumque populum conciliaretur, & ſeſe inimicæ adeò Civitates in fœdus etiam ſociale conjungerent; nullam verò de Archiepiſcopo mentionem facit. Non tamen ambigi poteſt, Paſtoralia ejuſdem officia ad perficiendum nobile proficuumque univerſæ huic Metropoli Opus fuiſſe deſiderata. Sanè Carolus Sigonius ad eumdem Annum ſcribit, poſt captum Viglevanum, Papienſes plurimis detrimentis impulſos, Auguſto menſe Oratores Mediolanum de Pace miſiſſe, qui cùm eam æquis conditionibus impetraſſent, apud Philippum Archiepiſcopum ſolemnia ſacramenta dixerunt.

De-

Decem annos regiminis, menſes quatuor, dies ſeptem aſſignat Philippo Archiepiſcopo antiquus noſter Catalogus: Quapropter cùm ad hanc Sedem promotus fuerit die X. Julii, Anni MCXCVI., ejuſdem mors incidit in diem XVII. Novembris, Anni MCCVI., quemadmodum optimè Sigonius huic Anno eam adnotavit; Ughello aliiſque Philippi obitum ad Annum ſequentem malè transferentibus.

Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali.

UBERTUS II.

POſt dies XXIV. Sedis vacantis, Ubertus ex illuſtri Mediolanenſi Familia Pirovana delectus eſt Archiepiſcopus die XI. Decembris, Anno MCCVI. Adſcriptus fuerat Ordinariorum Metropolitanæ Eccleſiæ Collegio: Exinde verò Innocentius III. Pontifex Maximus illum decoravit Cardinalitiâ Dignitate. Ughellus totis lacertis contendit, ut Ubertum noſtrum tanto honore exſpoliet, aſſerens, ipſum minimè fuiſſe Cardinalem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſed tantummodo Mediolanenſis; tantâque firmitate in hac opinione perſiſtit, ut eos aberrare aſſeveret, qui electum ab Innocentio ad primarium hunc gradum Ubertum teſtantur, *cùm* (ùt ipſe ait) *nulla de hac re apud veteres Scriptores, & ejus ævi monimenta ratio reperiatur, ſed ex Ordinario Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinale, non quidem Romanæ Eccleſiæ, ad Archiepiſcopalem Sedem ſeu Cathedram Pirovanum aſcendiſſe, pro indubitato habeatur*. Verùm veniam a doctiſſimo Viro petimus, ſi eumdem apertè dicimus, longè a veritatis tramite abertaſſe. Primò enim teſtimonia antiqua hujus collatæ Uberto Dignitatis in promptu ſunt, Galvanei nempe Flammæ eidem Seculo proximi, Triſtani Calchi ad Annum MCCVII., Sigonii, aliorumque: Secundò monumenta illius ævi ſuperſunt, quæ idem expreſſis verbis enunciant, pergamenum ſcilicet Diploma, funiculis adhuc pendentibus munitum, ſervatum

apud

Digitized by Google

apud Collegam noſtrum Nicolaum Sormanum, quo hic Ubertus nonnullos reditus transfert in dilectum Filium Petrum Presbyterum Eccleſiæ Sancti Raphaëlis, ad utilitatem & reſtaurationem Eccleſiarum Sancti Petri, & Sancti Materni. Cùm autem nondum lucem viderit, integrum damus.

„ Ubertus Dei gratia Mediolanenſis Archiepiſcopus, *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis*, dilecto Filio Presbytero Petro Sancti Raphaelis ſalutem & omne bonum. Dignum eſt & rationi conſentaneum, ut Eccleſiis noſtro commiſſis regimini miſericorditer provideamus. Inde eſt, quod volentes utilitati & reſtaurationi Eccleſiarum Sancti Petri, & Sancti Materni benignius providere, Decimas novalium de Ronchetiis, de Caſſinis videlicet Ragrerii Marinoni, & Crolli Gambari, & Bercordi, & Sancti Sepulcri, & Anſelmeti de Eccleſia, nomine ipſarum Eccleſiarum temporibus noſtris tibi duximus concedendas. Eo modo, ut ipſæ Eccleſiæ Decimas ipſas novalium tempore noſtro habeant & teneant; ita quòd quarta pars ipſarum ad nos omni anno debeat pervenire, & nos eas, quandocumque voluerimus, liceat revocare. Statuimus ergo, ut nulli omnino hominum in noſtra ditione morantium liceat, hanc noſtram conceſſionis paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Datum MCCVIII., XV. Calendas Septembris, Indictione XI.

Alterum quoque ex Bibliotheca Ambroſiana producimus, in quo Ubertus de Pirovano Mediolanenſis Archiepiſcopus ſe ſubſcribit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem: Ita autem illud ſe habet.

„ An-

„ Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo „ nono : Abbiaticus dictus Paſqualis, Superſtans Laboris Me- „ diolanenſis Eccleſiæ Beatæ Mariæ, ex parte ipſius Labo- „ ris, inveſtivit colonario, ſeu locationis nomine per Maſ- „ ſaritium, ad benefaciendum, Boniconem de Setara, & „ Joannem, qui dicebatur Bevimonus, & Anſelmorum de „ Feria, & Boſſacinum, qui dicitur Reitadinus Pulia, no- „ minativè de Brayda una ipſius Laboris in petiis tribus, „ perticarum XVI. Jacent extra, non longè a Porta, quæ „ dicitur Romana prope Zongedam, ubi dicitur in Clauſo „ Sanctæ Mariæ Hyemalis. Actum in Civitate Mediolani. „ Interfuerunt ibi teſtes Truſſo, qui dicitur de Veddano, „ & Obertus Bregomonus, & Zaninus Bregomonus, & Al- „ bertinus de Fontegio, & Botus Junius.

„ Ego Ubertus de Pir. Mediolanenſis Archiepiſcopus, „ *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis* ſubſcripſi.

„ Ego Rogerius, qui dicor Pariarius, Notarius Sacri „ Palatii tradidi, & ſcripſi.

Geminas alias Chartas authographas retulimus in Adno- tationibus ad Sigonium *de Regno Italiæ*, ſub Annum MC- CVI., quæ memoratum Ubertum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem patenter produnt. Addimus, Innocentium III. ipſum, qui in Epiſtola ad eumdem Ubertum, data Floren- tini, XII. Calendas Novembris, Pontificatûs ſui anno un- decimo, reſpondens illius dubitationibus circa Eccleſiaſtica Feuda alienanda, vel non, eam inſcribit hoc titulo: *Me- diolanenſi Archiepiſcopo, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali*; quem titulum ſervat in altera, de qua infra agemus. Ita-

que

que controverſia hæc, quam etiam Oldoinus Tom. II. colum. 38. incertam reliquit, adeò diluta eſt, ut ſole meridiano clarior appareat veritas, & Ughello reponi poſſit pro re omnino indubia, contra ejuſdem votum ſuperiùs deſcriptum.

Quod attinet ad Epiſtolam, miſſam ab Innocentio Summo Pontifice ad Cardinalem Archiepiſcopum noſtrum, & Epiſcopum Yporedienſem, necnon Abbatem de Tileto, refert ipſe Pontifex Maximus hiſtoriam omnem, ob quam conceperat ſummam indignationem contra Placentinos Conſules, atque illius Urbis Primores, qui immanem tyrannidem exercuerant contra proprium Epiſcopum, Clerumque Patriæ ſuæ, manus ſacrilegas extendentes non ſolùm ad eorum mobilia, ſed etiam per iniquitatis miniſtros colligentes univerſos proventus Eccleſiaſticos, pauperum ſubſtantias in uſus illicitos converterant; adeò ut prædicti Epiſcopus & Clerus voluntarium exilium ſubire maluerint, & pulverem de pedibus ſuis excutientes elegerint aliò confugere, reverentiam Deo Sacriſque Miniſtris, quam Cives indignè abjecerant, inter Exteros reperturi. Cùm autem Apoſtolicum fulmen anathematis & Interdicti contra illos Innocentius armiſſet, & minas etiam intendiſſet (niſi reſipiſcerent, atque univerſa quæ abſtulerant adamuſſim reſtituerent) ſe denudaturum eorumdem Civitatem Epiſcopali Dignitate, & Diœceſim inter finitimos Epiſcopos diſtributurum, imo & bona Mercatorum illius Urbis, ubicumque reperiri poſſent, detineri juſſurum; ad bonam frugem ſeſe adduxere Conſules & Cives Placentini, juramento fidem ſuam obſtringentes ad plenariè redinte-

Digitized by Google

tegrandum Eccleſiam Clerumque. Hac ſupplici demiſſione contentus Pontifex, eos perbenignè a vinculis quibus innodabantur diſſolvit: quo factum eſt, ut Epiſcopus Clerusque in ſedem ſuam amica pace redirent. Verùm Eccleſiaſtici ipſi, tranſgreſſi mandata Summi Pontificis, Civibus ſuis largiti ſunt, tamquam prodigi rerum ſacrarum diſpenſatores, univerſa quæ ab iiſdem per inauditam temeritatem ac inſolentiam priùs ablata fuerant; & quidem inconſultâ atque invitâ Apoſtolica Sede. Quamobrem Archiepiſcopo noſtro Uberto, aliiſque memoratis Sociis Præſulibus Innocentius injunxit, ut caverent, ne exemplum iſtud perniciosum tranſmitteretur ad Poſteros, & prout ipſe præceperat, conditiones omnes a ſe præſcriptæ omnino complerentur. Profectus eſt ſtatim cum aliis ad hoc munus delectis Placentiam Cardinalis Archipræſul noſter, rebusque omnibus ad Leges Innocentii redactis, eumdem conſcium fecit de iis quæ acta fuerant: atque ita placabilem reddidit tum Epiſcopo Cleroque, tum Conſulibus & Civibus Placentinis Pontificem Maximum, priſtinamque attulit rerum atque animorum tranquillitatem. Data eſt hæc Epiſtola Laterani, X. Calendas Decembris, Pontificatus anno undecimo, ideſt Anno MCCIX. Narrat hæc omnia fuſiùs Petrus Maria Campi, *in Hiſtoria Placentina*.

Aliud quoque munus eximium in Patria ipſa contigit Uberto adimplendum. Mortuo Philippo Svevico, Imperii æmulo, compoſitiſque Germaniæ rebus, Otto hujus nominis IV. expeditionem in Italiam paravit Anno MCCIX., celebratiſque apud Herbipolim Comitiis, & Nuptiis cum Beatrice

trice

trice Philippi Filia in octava Pentecoſtes, poſt Feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli iter aggreſſus eſt per Tridentinam Vallem, ut in Italiam deſcenderet; & peragratis nonnullis Urbibus Mediolanum pervênit, exceptus eo plauſu, quem deſcribunt Sigonius & Calchus. Hac occaſione memorati Scriptores, aliique rerum Patriæ Hiſtorici tradunt, fuiſſe Ottonem Coronâ ferreâ ab Uberto Archiepiſcopo redimitum. Verùm in Anno diſſentiunt: Sigonius namque huic eidem Anno MCCIX. eam Celebritatem conſignat; Calchus verò ipſam transfert ad Annum ſequentem, aſſerens, *illuſtri die Reſurrectionis Chriſti Dei, operante rem Sacram Uberto Pirovano Archiepiſcopo, adſtanteque Volfgerio Patriarcha, in Æde Ambroſiana* fuiſſe ab eodem Archipræſule Ottonem regio ſerto præcinctum. Addit, interfuiſſe huic Celebritati Virum inclytum Gulielmum Puſterlam, qui jam Alexandriæ, Placentiæ, ac Mediolani ſumma cum laude Præturæ munere functus erat; eumque Equitem inſtitutum, atque Aſtenſis Urbis Feudo fuiſſe ab Ottone locupletatum: hiſque peractis Regem Mediolano Calendis Maji diſceſſiſſe. Porro, ſi conſuetudinem antiquam conſulamus, Sigonio attendendum eſſet, id nempe contigiſſe Anno ſuperiore, cùm fere ſemper in more poſitum fuerit, ut Romanam Coronationem Mediolanenſis præcederet. Potuit tamen in adventu hujus Germanici Regis ea adeſſe itineris feſtinatio, quæ moram minimè pateretur, inſtante per Legatos Pontifice Innocentio, ut Romam quantociùs accederet, accepturus ab ipſo auguſtum Imperii diadema, ideòque in Annum ſequentem Mediolanenſis Coronæ impoſitio differretur. Sanè Anno MCCX.

Ottonem Aprili menſe, in quem pariter Paſcha incidebat, Mediolani extitiſſe (ùt Calchus affirmabat) revocari in dubium nequit. Recitatur quippe ab Ughello, Tom. I. colum. DLIII. Venetæ Editionis, Diploma expeditum in favorem Carævallenſis Cœnobii, ad Fluvium Cleſis in Camerinenſi Diœceſi (ad quod condendum, Sancto Bernardo adhuc ſuperſtite, vocati fuerant e Mediolanenſi Carævallis Monaſterio Monachi) & *datum apud Mediolanenſes, XII. Calendas Maji, Anno Incarnationis MCCX, Indictione XIII., regnante Domino Ottone IV. Romanorum Imperatore glorioſo, Anno regni ejus duodecimo, Imperii verò primo*; eique primo loco teſtis interfuit Ubertus Mediolanenſis Archiepiſcopus. Duo alia Diplomata Ottonis IV. autographa mihi licuit inſpicere in Archivo Monachorum Sancti Ambroſii; alterum pro Monaſterio Carævallis Mediolanenſis, *datum apud Mediolanenſes Anno MCCX, die IX. exeunte Aprili, Indictione XIII.*; alterum pro eodem Sancti Ambroſii Cœnobio, *datum* pariter *apud Mediolanum, Anno Dominicæ Incarnationis MCCX., IX. Calendas Madii, Indictione XIII.* Hiſce poſitis, cùm Triſtanus Calchus, non modò Coronationem Ottonis, ſed etiam diem quo peracta eſt, adnotet, ac Sacra ſolemnia ab Archiepiſcopo noſtro celebrata enunciet, adſtante Præſule Patriarcha Aquilejenſe, atque inſiguem quoque Virum Puſterlam nominet, Equitem a Cæſare inſtitutum & Aſtenſis Urbis Feudo donatum; nemo dubius hærebit, hæc omnia deſumpta non fuiſſe ab aliquo Codice ſynchroni Auctoris. Aliunde, cùm certum ſit teſtimonio Scriptorum Germaniæ, Ottonem ad Imperium electum,

ctum, nonniſi poſt Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum diem feſtum, ab Herbipolis Comitiis ac Regni ſui finibus, in oras noſtras penetraſſe, atque ideo minimè potuiſſe ferreo Serto redimiri in Paſchate Anni MCCIX., perſpicuum reddi cenſemus, Anno tantummodo MCCX. impoſitum fuiſſe Auguſto capiti ab Uberto Archiepiſcopo noſtro Regium Italicum diadema.

Adminiſtravit Eccleſiam Mediolanenſem Ubertus annis IV., menſibus III., diebus II.: Cùm autem electio ejuſdem in diem XI. Decembris Anni MCCVI. inciderit, ùt ſuperiùs ſtatuimus, ipſius obitus Anno MCCXI. conſignandus eſt, die XIII. Martii. Catalogus vetuſtus Metropolitanæ Bibliothecæ, quem edidit Clariſs. Muratorius Tom. I. Part. II. *Scriptorum Italiæ*, mortem hujus Archiepiſcopi adnotat *IX. Calendas Aprilis*, *Sabbato Sancto*. Verùm cùm Tabulæ Paſchales illius Anni minimè in hunc diem conſentiant, veriorem eſſe computum, quem nos ſecuti ſumus, arbitramur.

Sepultus eſt in Eccleſia Hyemali, prope Suggeſtum.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDUS DE SESSA.

Viduam Eccleſiam Mediolanenſem ob mortem Uberti Pirovani, Gerardus de Seſſa ex nobili Regienſi Familia, electione ſuâ lætificavit, poſt menſem unum, & dies viginti vacantis Sedis, ideſt a die XIII. Martii, uſque ad diem IV. Maji, juxta Catalogum prædictum Metropolitanæ Baſilicæ.

Pluribus ſacris muneribus perfunctus fuerat Præſul iſte. Primò enim inſtitutus Eccleſiæ Parmenſis Canonicus, Aris illius Cathedralis Baſilicæ inſervierat; dein Ciſtercienſi Ordini addictus, in Cœnobio Tileti Aquenſis Diœceſis declaratus Abbas Monaſticam illam Congregationem rexerat. Poſtmodum perſpectâ ejuſdem ſapientiâ vitæque ſanctimoniâ, aſſumptus eſt ab Innocentio III. ad Pontificale Novarienſis Civitatis Solium; & inſuper Cardinalitiâ Dignitate inſignitus, Apoſtolicâ per Inſubriam Legatione functus fuit. Cùm autem de eligendo Placentino Epiſcopo ageretur, Pontificiam auctoritatem omnem Innocentius Gerardo commiſit: Quamobrem illuc profectus Præſul iſte, ejuſque arbitrio a Canonicis relictâ electione, Fulconem, Virum ſingularis integritatis, in Epiſcopum illius Eccleſiæ pronunciavit, nec multò poſt, collectâ Synodo, Canonicos ad communis vitæ Inſtitutum amplectendum ſummâ dexteritate adduxit. Tot meritis cumulatus, ab Innocentio III. dignus reputatus eſt, qui Albanenſi Eccleſiæ Antiſtes præſideret. Demum, cùm

Cre-

Cremonam miſſus eſſet Legatus, atque Eccleſia Ambroſiana Paſtorem ſuum morte raptum lugeret, delectus eſt ad ejuſdem ſolatium Succeſſor. Omnibus tamen hiſce receptis Eccleſiarum adminiſtrationibus, in nulla earum ſacro Chriſmate inunctus fuit. In noſtra verò, ne conſecraretur, mors prohibuit, quæ illum, dum adhuc Cremonæ degeret, intempeſtivè ad ſepulcrum adegit.

Diſſentiunt Scriptores in aſſignando temporis ſpatio, quo Eccleſiæ Mediolanenſi præfuerit tantùm Electus: Ughellus enim trigeſimo die a ſua electione illum fato ceſſiſſe contendit; Corius, Onuphrius Panvinius, & Sigonius intra menſem obiiſſe tradunt; Joannes de Deis, in Libro inſcripto *Succeſſores Sancti Barnabæ* longiùs protendit ejuſdem vitam, uſque ad VI. menſes. Nemo tamen ad veritatem prope acceſſit. Siquidem Catalogus Metropolitanus, quo nunc utimur, apertè refert, Gerardum Archiepiſcopum ſuperfuiſſe a die IV. Maji, uſque ad diem XV. Decembris Anni MCCXI, quo obiit; eidemque conſentit etiam alter Catalogus Manuſcriptus Bibliothecæ Ambroſianæ, ſignatus *A*, num. 98.

Tumulo datus eſt in eadem Cremonæ Civitate, ubi ad Deum migraverat. Nullum apud nos veſtigium remanſit hujus laudatiſſimi Præſulis; ne enim aliquid doctrinâ & pietate dignum ageret, vetuit brevitas vitæ, & nondum recepta Conſecratio in Archiepiſcopum, quibus effectum eſt, ut Legatione ſua diſtentus, in hanc Metropolim ne pedes quidem intulerit.

HEN-

HENRICUS I. SEPTALA.

GErardo ſuffectus eſt Henricus Septala Mediolanenſis nobilis Civis, die IV Novembris, Anni MCCXIII., ùt teſtatur Catalogus noſter, vacante per plures menſes Ambroſianæ Eccleſiæ Sede. Tam longum interpontificium attulit pertinax diſcordia Eligentium, quorum aliqui deſignaverant Domnum Archipresbyterum ſuum, alii Archidiaconum, tertia verò pars Epiſcopum Vercellenſem Aliprandum. Menſibus X., & diebus XX. ferbuit controverſia iſta, obduratis omnium animis in electione, quam quiſque pronunciaverat. Delata eſt ad Judices quæſtio, aliis aſſerentibus multò ampliorem eſſe ſuffragiorum numerum, adeòque conſtare, quis promovendus eſſet; aliis autem affirmantibus, ſe numero quidem breviores, ſed dignitate Eligentium potiores. Cùm tamen inſoluta remaneret Cauſa, admonitus de hac re Innocentius III. Epiſtolam ſcripſit, quam hic attexere opportunum arbitramur:

Epiſcopo & Abbati Sancti Joannis,
& Archidiacono Parmenſibus.

„ Eccleſiâ Mediolanenſi vacante, vota providere volen-
„ tium eidem Eccleſiæ in Paſtore diviſa ſunt in tres par-
„ tes, quibuſdam Venerabilem Fratrem noſtrum Vercellen-
„ ſem Epiſcopum poſtulantibus, aliis autem dilectum filium
„ Me-

„ Mediolanenſem Archidiaconum, & nonnullis Mediolanen-
„ ſem Archipresbyterum eligentibus in Paſtorem. Pro qui-
„ bus Procuratores Partium ad Sedem Apoſtolicam deſtina-
„ ti, non ſolùm diverſa, ſed adverſa tam de conſuetudi-
„ ne, quàm de pluribus aliis proponere curaverunt; ſicut
„ ea omnia vobis ſub Bulla noſtra mittimus annotata: De
„ quibus cùm non poſſent facere nobis fidem, inquiſitio-
„ nem eorum nos oportuit delegare. Quocirca diſcretioni
„ veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vocatis
„ qui fuerint evocandi, & inquiſitâ ſuper omnibus diligen-
„ tiſſimè veritate, ſpecialiter autem, utrum de antiqua &
„ approbata conſuetudine omnes & ſinguli tam Abbates,
„ quàm Præpoſiti, ac etiam Cappellani parem cum Ordina-
„ riis, in electione Mediolanenſis Archiepiſcopi, vocem ha-
„ beant; & ſi nec omnes, nec parem, qui, & quantam,
„ utrum videlicet non in ſingulis Ordinum, ſed in Ordi-
„ nibus ſingulorum ſit paritas attendenda, vel potiùs jus
„ eligendi penes Ordinarios tantùm reſideat, & ceteri prop-
„ ter honeſtatem ſolummodo vocari conſueverint ad caute-
„ lam; utrumve omnes vocati fuerint, an aliqui prætermiſ-
„ ſi; quid etiam poteſtatis aut juris Epiſcopi Suffraganei ha-
„ beant in negotio memorato. Et quæ inveneritis, per ve-
„ ſtras nobis Literas fideliter intimetis, ut per relationem
„ veſtram inſtructi, commodiùs in ipſo negotio procedamus;
„ præfigentes Partibus terminum competentem, quo receptu-
„ ræ ſententiam noſtro ſe conſpectui repræſentent. Quòd ſi
„ non omnes &c., tu ea Frater Epiſcope, cum eorum
„ altero &c. Datum Laterani VII. Junii, Pontificatûs noſtri
„ Anno decimoquinto.

Digitized by Google

Dolendum eſt, carere nos Reſcripto horum Præſulum; inde enim plurima Metropolitanæ noſtræ Eccleſiæ hauriri poſſent lumina, quæ conſuetudines ejuſdem & jura illo ævo vigentia illuſtrarent.

Acceptis prædictorum Præſulum Reſponſis, ſimulque Romam profectis Nunciis, quos illuc direxerat Metropolitanum Canonicorum Collegium, Summus Pontifex hanc tamdem controverſiam diremit Brevibus ſuis a nobis hic vulgatis Literis, quibus Henricum Archiepiſcopum creavit. Has ignoravit Galeſinius, qui creatum ab Honorio III. Antiſtitem noſtrum perperam aſſeruit, conſecrationem cum creatione confundens.

CAPITULO MEDIOLANENSI.

„ Receptis Literis noſtris, quibus vobis dedimus in man-
„ datis, ut Cauſam Electionum, & poſtulationis in
„ veſtra celebratarum Eccleſia, quam dudum ad petitionem
„ veſtram duximus committendam, coram Judicibus, quibus
„ illam commiſimus uſque ad Feſtum Sanctæ Crucis proxi-
„ mò præteritum finaliter proſequi ſtuderetis; alioquin ex
„ tunc Procuratores idoneos ad noſtram curaretis præſentiam
„ deſtinare, Paſtorem quem Domino inſpirante vobis & ei-
„ dem providerimus Eccleſiæ, recepturos. Nuper dilectos
„ Filios Alcherium Subdiaconum noſtrum, Stephanum Bal-
„ bum, & Willelmum Concanonicos veſtros ad Sedem Apo-
„ ſtolicam cum veſtris Literis deſtinaſtis, cum multimoda
„ gratiarum actione mandatum noſtrum humillime admiſ-

„ ſuros;

„ ſuros; ſuppliciter poſtulantes, ut quem mallemus, de gremio Eccleſiæ veſtræ vobis dignaremur concedere in Paſtorem. Nos autem ſuper hoc deliberatione habitâ diligenti, ſuſpicionis & diſſenſionis materiam vitare volentes, dilectum Filium Henricum Cimiliarcham Eccleſiæ veſtræ, Virum providum & honeſtum, in Paſtorem vobis duximus concedendum, per Apoſtolica Scripta mandantes, quatenus ei tamquam Paſtori veſtro reverentiam & obedientiam impendatis debitam & devotam. Datum Laterani VII. Idus Novembris, Anno XVI.

Antequam Acta ab hoc inſigni Archipræſule referamus, præmittendum eſt, Henricum noſtrum, quem Innocentius III. curaverat (ſed incaſſum) promoveri in Cancellarium Eccleſiæ Mediolanenſis, quemadmodum ſuperiùs narravimus, inſtitutum fuiſſe ejuſdem Baſilicæ Cimiliarcham; ſubinde Bononienſem Urbem adiiſſe, ut Literis vacaret, teſte memorato Catalogo; inde verò in Paſtorem electum. Illius Catalogi Scriptor, qui procul dubio præſens omnibus quæ agebantur tunc erat, poſtquam enunciavit dies & Annos tum vacantis Sedis, tum regiminis Henrici, hæc ſubdit: *Toto fere ſui regiminis tempore in labore fuit & pugna non minima; ſed pro totius Eccleſiæ tuenda libertate, pro iſtius Majoris Eccleſiæ honore conſervando, pro Hæreticis expellendis, pro Epiſcopis, qui videbantur a ſubjectione Mediolanenſis Eccleſiæ abſoluti, recuperandis* &c.

Quandoquidem tamen hoc elogium nimis jejunum videtur, neceſſe omnino nobis eſt, accuratiùs tanti Archiepiſcopi præſtantia geſta indicare. Innocentius III. Summus Pon-

 tifex

tifex prætulerat Ottonem IV., contra Philippum Svevicum, Henrici Imperatoris defuncti Fratrem, in adeptione Imperii; imo eumdem Auguſtali Coronâ Romæ donaverat, præſtito ſacramento, jura omnia & patrimonia Eccleſiæ Romanæ intacta ſervandi ac protegendi. Iniquè reſpondit promiſſis Otto, malum pro gratia reddens, ac patrimonium invadens, a Mathilde Eccleſiæ relictum; & licèt blandis admonitionibus atque etiam minis a Pontifice Maximo juſſus pedem retrahere, in Siculum etiam Regnum armis perrupit: Quamobrem illum ſacris diris devovit. Mediolanenſis Civitas proſecuta eſt, favore ac bellicis ſubſidiis adjuvare hunc Cæſarem ab Apoſtolica Sede ejuratum. Quocirca Summus Hierarcha menſe Majo Anni MCCXVI., *duos Cardinales Legatos Mediolanum miſit, qui Conſilio advocato, nomine Pontificis denunciarent, ſe, niſi Ottonem reliquiſſent, ac vicinas Civitates vexare & ſolicitare deſtitiſſent, fulmina in eos Eccleſiaſtica contorturos; quæ cùm illi ſprevIſſent, ſolemni Eccleſiæ more Civitatem Sacris interdixerunt, ac Cives a communione piorum exterminarunt*; verba ſunt Sigonii ad eumdem Annum.

Hæc Ughellus ſidenter tribuit Henrico inter prima ejus regiminis Acta, inquiens: *Eccleſiaſticæ juriſdictionis primùm fuit defenſor acerrimus. Diu pro ea ſervanda cum Conſulibus, primariiſque Mediolani Viris depugnavit, ipſamque Civitatem necdum conſecratus, diris devovit, eamque per Summum Pontificem Metropolitanâ Dignitate exutam vidit*. Fallitur tamen Vir laudatiſſimus, cùm perturbatio iſta in hac Urbe enata, multò ante contigerit, etiam priuſquam Henricus ab Innocen-

tio

tio III. crearetur Archiepiſcopus Mediolanenſis. Extat Epiſtola inter eas, quas Balutius edidit, *data Laterani XII. Calendas Novembris, Pontificatus ejuſdem anno XV.* incœpto ac provecto: Cùmque ipſe Innocentius Cathedram Apoſtolicam conſcenderit Anno MCXCVIII., VI. Idus Januarii, annus decimuſquintus Pontificatûs deſignat Annum MCCXII., quo tempore nondum fuerat Henricus a Pontifice Maximo Infula Mediolanenſi decoratus, dilatâ (ùt vidimus) ad Novembrem Anni ſequentis hujus Antiſtitis electione. In ea verò Innocentius ſcribens ad Conſules & Primores Viros Mediolani, eos redarguit, quòd Hæreticos foverent, Eccleſiis & finitimis populis injurias ac vexationes inferrent, & Ottonem a Sancta Sede damnatum reprobumque adjuvarent. Quamobrem eoſdem adhortatur eâ caritate quæ Romanam Eccleſiam Matrem decet, ut hiſce malis remedia præſtent; ni velint, minatur, ſe anathematis fulmen in eos evibraturum, & etiam Metropolis privilegio Mediolanenſem Civitatem exſpoliaturum: Jamque ſe mandaſſe ait pluribus Italiæ & Galliæ Epiſcopis, ut collecto Concilio, in tanto negotio conſulant, quid debita maturitate ſit efficiendum. An verò executioni has minas mandaverit Summus Pontifex, nihil aut in Hiſtoriis Patriæ, aut in Epiſtolis ipſiuſmet Innocentii ſcriptum occurrit. Certè Henricum hiſce diſſidiis manum minimè appoſuiſſe ſilentium Scriptorum præcipuè Mediolanenſium nos docet; cùm videamus miſſos Legatos Anno MCCXVI. duos Cardinales, qui in pertinaces Rectores Civitatis, excommunicationis quidem telum contorſerunt, quemadmodum ſuperiùs retulimus, minimè tamen in mandatis habuerunt, ut

ut nomine Summi Pontificis eam Dignitate Metropolis exutam declararent. Porro nolumus inficiari, potuiſſe Henricum pro amore ſuo erga Eccleſiam ſibi commiſſam, ac deſiderio ſanctimoniæ Ovium ſuarum, immiſcere officia ſua ad tollendas corruptelas, quæ gliſcebant in hac Metropoli. Tantùm dicimus, ea quæ aſſeruit Ughellus, fundamento prorſus carere.

Defuncto brevì Innocentio, ad Honorium III. ejus Succeſſorem Mediolanenſes confugerant, ut abſolutionem ab hiſce cenſuris impetrarent. Nec abnuit Pontifex ille: Quin etiam Literas dedit ad Joannem Torniellum Bergomenſem Epiſcopum, & Henricum Septalam, electum in Archiepiſcopum noſtrum, expeditas VII. Calendas Martii, Anni MCCXVIII., ut eoſdem Eccleſiæ gremio benignè reſtituerent; quemadmodum etiam ſumma cum univerſæ Urbis exultatione peractum fuit. Sed, cùm citò a fide data deſciviſſent, idem Pontifex Maximus latam a Prædeceſſore ſuo Sententiam confirmavit, præcipiens *Rectoribus, Conſiliariis, ac Societatum Magiſtris per totam Langobardiam, ut ſingulis diebus Dominicis ac Feſtivis, pulſatis Campanis & candelis accenſis, eoſdem a communione Fidelium expulſos publicè denunciarent*. Quid ſubinde actum ſit, noſtra non eſt, hoc loco enarrare.

Cùm Archiepiſcopus noſter promotus quidem fuiſſet ad Ambroſianam Sedem, ſed nondum ſacro inunctus Chriſmate, Romam adiit, atque ab Honorio III. conſecrationem recepit Anno MCCXVIII.: Qua in re hallucinatus eſt Ughellus, qui anno ſequente conſecratum cenſuit Henricum, referens

ferens Literas ab ipſo inſpectas in Regeſto Vaticano, quibus Honorius ſcribit, ſe functum hoc munere Menſe Decembri. Attamen Scriptor ille diligentiſſimus minimè vidit alteràm ejuſdem Honorii Epiſtolam, quam memorat Raynaldus num. XLII., datam *Reate XVIII. Calendas Septembris Anno MCCXIX.*, in qua Summus Pontifex hanc Henrici conſecrationem jam peractam enunciat. Non igitur menſi Decembri illiuſmet anni, ſed ſuperioris affigenda eſt Antiſtitis noſtri Conſecratio.

Certum eſt apud Scriptores Mediolanenſes, Henricum Archiepiſcopum profectum fuiſſe in Syriam cum pluribus delectis agminibus Italicorum militum, pro recuperanda Jeroſolyma, a Saracenis iterum occupatâ: Sed quo anno hoc iter ſuſceperit, nemo hactenus compertum fecit. Triſtanus Calchus proceſſiſſe eumdem refert cum Cruceſignatis Anno MCCXVI., ejuſque reditum in Patriam uſque ad Annum MCCXXVII. protendit. Bernardinus Corius expeditionem Henrici affigit Anno MCCXVII.; remeaſſe verò Mediolanum ſcribit Anno MCCXXI. Uterque tamen fallitur, dum hujus noſtri Archiepiſcopi moram in Oriente alter ad annos XI. producit, alter ſexennio decurtat, ùt ex dicendis patebit. Ughellus, ut tempus ſtatuat, quo Henricus ad Sacrum bellum migravit, præmittit, eumdem Anno MCCXX., VI. Nonas Maji Carævallenſe Templum conſecraviſſe; ſubinde verò refert, Anno ſequenti datas fuiſſe ab Honorio III. Literas XVIII. Calendas Februarii expeditas, ad Vercellenſem Epiſcopum, quibus præcipiebat, ut Eccleſiaſticas cenſuras *in Amiceum Saccum, quondam Mediolani Prætorem* denunciaret,

quòd

quòd Henricum Archiepiſcopum Mediolanenſem exulare coëgiſſet; occaſione autem hujus receptæ injuriæ, ob quam extorris ab hac Urbe vagari tyrannice jubebatur, conſilium cepiſſe, Crucefignatis ſe jungendi, atque eodem prorſus Anno MCCXXI. Jeroſolymitanum iter ſuſcepiſſe; nullum deinde reditûs annum deſignans. Attamen, ne ingenioſæ huic Ughelli conjecturæ ſubſcribamus, facit indubia auctoritas duorum Diplomatum, quæ integra recitantur a Puricello *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. CIX. Horum primum ſub num. XXVII. jacens, ſubſcriptum fuit Mediolani ab Henrico Archiepiſcopo Anno MCCXX., ad concedendam Fratribus Sancti Dominici Euſtorgianam Baſilicam: Alterum expeditum pro confirmanda iiſdem memorata Eccleſia cum omnibus ſuis juribus, legitur loco laudato, num. XXIV. In hoc autem, ùt infra videbimus, narrans Henricus res actas in iſta Tranſlatione ait, Præpoſitum & Canonicos, qui in eadem Baſilica morabantur, jurium ſuorum in Euſtorgianum Templum liberam dimiſſionem feciſſe *in manum Hugonis Cimiliarchæ Mediolanenſis, Vicarii noſtri, qui tunc eramus in partibus tranſmarinis, in ſervitio Crucifixi*. Jam ergo multò ante Annum MCCXXI. Mediolano receſſerat Henricus, in Orientem profectus. Itaque, ut veram hujus expeditionis epocham decernamus, afferere nos poſſe arbitramur, ſtatim ac ſub finem Anni MCCXVIII. conſecratus fuit ab Honorio, Henricum ſimul cum Crucefignatis Jeroſolymam contendiſſe, ac ibidem integro vix Anno exacto, in Patriam fuiſſe reverſum. Siquidem menſe Majo Anni MCCXX. Caravallis Templum conſecravit. Plura hoc ſuadere videntur. Primò Honorius

III.

III. Deceſſoris ſui præclara veſtigia ſequens, ut ad redimendam e Barbarorum manibus Terram Sanctam Chriſtianos populos accenderet, inter alias peculiarem ad Inſubres Epiſtolam direxit, plenam cœleſtis ſpiritûs igne Anno MCCXVII., quæ in hæc verba exorditur: *Accingantur Fideles, & ſint filii potentes; tempus eſt enim, ut faciant vindictam in nationibus, in gentibus ſcilicet detinentibus, & contaminantibus Terram Sanctam* &c. Collectis autem undique Italicis Cruceſignatis, quarta expeditio facta eſt Anno MCCXVIII. Cùm ergo Romæ Anno eodem Henricus ſacram recepiſſet unctionem ab Honorio III., ùt jam diximus, quid veroſimilius, quàm ipſum, ſive ut exemplo ſuo Inſubres ad iter alacriter aggrediendum inflammaret, ſive ut Pontifici Maximo gratificaretur, ſeſe iiſdem adjunxiſſe? Præterea Scriptores Ordinis Prædicatorum unanimes tradunt, miſſos fuiſſe a Sancto Dominico Alumnos ſuos in Urbem Mediolanenſem Anno MCCXVIII., atque pertractatum fuiſſe, ut Euſtorgiana Baſilica iiſdem cederetur, eam dimittentibus Canonicis in manum Hugonis Cimiliarchæ, qui Vicarium agebat Archiepiſcopi in Orientem profecti. Proinde nobis videtur, pene ad oculum patêre, genuinum annum depugnantis in Syria Henrici eſſe MCCXIX., cùm & ante hunc annum, & poſt, ex hactenus allatis ſecuri ſimus, extitiſſe in Italia memoratum Archipræſulem noſtrum Septalam.

Nondum tamen eo anno ad Eccleſiam Euſtorgianam tranſlati fuerant Ordinis Prædicatorum Alumni: Quapropter Hugo Cimiliarcha, Vicarius Archiepiſcopi, habito aſſenſu Antiſtitis noſtri, & totius Collegii Ordinariorum Eccleſiæ

Ambroſianæ, ſponte recedentibus in Laurentianam Baſilicam Præpoſito & Canonicis ibidem olim Sacra peragentibus, prædictos Sancti Dominici Filios in Euſtorgianum Templum induxit Anno MCCXX., Idibus Martii, ut ex Malvenda, & Codice MS.to ejuſdem Cœnobii refert Puticellus prædicto Cap. CIX., ſimul cum Charta hujus Translationis, quam hic recudere opus eſt, ut difficultas, quæ inde emergit, diſſolvatur.

„ In nomine Domini, Anno Dominicæ Incarnationis milleximo ducenteximo, vigeximo, die Sabbati, octavo die „ ante Calendas Novembris, Indictione nona. In Palatio ve„ teri Domini Archiepiſcopi, in præſentia Domini Epiſcopi „ Laudenſis, & præſentibus Teſtibus Lanfranco de Puteobo„ nello, filio quondam Soldani, Præpoſito Sancti Nazarii: „ & Anſelmo filio Ugonis de Caſtegnianega, Canonico San„ cti Nazari: & Presbytero Suzone filio quondam Guar„ nerii Hunicani, Miniſtro Eccleſiæ Sancti Alexandri in Zi„ bidia: & Galdino Bixiolo, Canonico Sanctæ Teglæ, filio „ quondam Ardigotti: & Martino filio Guillielmi Greppi, „ Canonico de Segrate: & Oprando filio quondam Lanfranci „ de Beſana, Superſtite Laboris Sanctæ Mariæ Majoris: & „ aliis multis Teſtibus. Cùm Dominus Ubertus Marinonus „ Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Euſtorgii, & Presbyter Rolan„ dus Biffius, & Presbyter Lanfrancus de Sexto, & Do„ minus Arialdus Præpoſitus de Nerviano, Canonici dictæ „ Eccleſiæ Sancti Euſtorgii renunciaviſſent in manu Domini „ Ugonis Cimiliarchæ Mediolanenſis Eccleſiæ, Vicarii Do„ mini Henrici Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, nomi-

„ ne

„ ne & vice illius Archiepiſcopi, ſive Archiepiſcopatus, Ec-
„ cleſiæ Sancti Euſtorgii, & omni juri habitationis, & ha-
„ bitationi, & loco domorum & Sediminum tam Eccleſiæ,
„ quàm Superſtantiæ, cum braida, quæ eſt juxta Eccle-
„ ſiam: ità quod ipſe Dominus Cimiliarcha nomine ipſius
„ Archiepiſcopi, ſive Archiepiſcopatus Mediolanenſis, poteſt
„ diſponere & ordinare de ipſa Eccleſia & de ipſis ædifi-
„ ciis & ſediminibus tam Eccleſiæ quàm Superſtantiæ, & de
„ ipſa braida, ſicut diffinitur braida illa per cohærentias,
„ quibus voluerit ad ejus utilitatem, reſervato ſibi omni
„ jure tam in Beneficiis ſive Præbendis quàm in Superſtan-
„ tia quæ remanſit, & in redditibus ſuis, & in Hoſpi-
„ tali, & in Eccleſiis Sancti Petri ad Scoldaſolem, & San-
„ cti Stephani in Bixiario, & in omnibus aliis, prout con-
„ tinetur in Charta ſcripta per me Jacobum de Puteo No-
„ tarium, milleximo ducenteximo vigeximo, die Mercurii,
„ decimo die Auguſti. Dictus Dominus Ugo Cimiliarcha,
„ Vicarius dicti Domini Henrici Mediolanenſis Eccleſiæ Ar-
„ chiepiſcopi, præſentibus & conſentientibus, atque confir-
„ mantibus Domino Alberto Amicono, dictæ Mediolanen-
„ ſis Eccleſiæ Archipresbytero, & Domino Guilielmo de
„ Rezolo, dictæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archidiacono, &
„ Magiſtro Stephanardo Bilbo, & Alcherio de Terziago,
„ & Guilielmo Rina, & Anrico Comite, & Ottone de
„ Landriano, & Amizone de Porta Romana, Ordinariis di-
„ ctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, auctoritate ipſius Domini Ar-
„ chiepiſcopi, ſeu Archiepiſcopatûs & Mediolanenſis Eccleſiæ;
„ conceſſit, contulit, dedit, & confirmavit Magiſtro Jaco-

 „ bo,

Digitized by Google

„ bo, Priori Fratrum Ordinis Prædicatorum, recipienti ſuo
„ nomine, & nomine ipſorum Fratrum qui morantur, vel
„ de cetero moraturi ſunt in Mediolano, Eccleſiam Sancti
„ Euſtorgii, & locum domorum ſive ædium & Sediminum
„ tam Eccleſiæ quàm Superſtantiæ, & totam braidam, quæ
„ eſt juxta Eccleſiam ipſam, a monte parte ipſius Eccleſiæ,
„ ſicut diffinitur braida illa per cohærentias. Et hoc fece-
„ runt prædictus Dominus Cimiliarcha, & præfati Ordinarii,
„ reſervato ipſis Præpoſito & Canonicis Sancti Euſtorgii om-
„ ni jure tam in Beneficiis ſive Præbendis, quàm in Su-
„ perſtantia quæ remanſit, & in redditibus ſuis, & in Hoſ-
„ pitali, & in Eccleſiis Sancti Petri ad Scoldaſolem, &
„ Sancti Stephani in Bixiario. Et hoc totum factum eſt,
„ ſalvâ in omnibus auctoritate dicti Domini Archiepiſcopi
„ Mediolanenſis.

„ ✠ Ego Henricus Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſco-
„ pus ſubſcripſi.

„ Ego Jacobus filius Domini Guillielmi de Puteo, de
„ Puſterla Sancti Stephani, Civitatis Mediolani, Not . . . .
„ ac Miſſus Domini Ottonis Imperatoris interfui . . . . . .
„ dicti Domini Cimiliarchæ ſcripſi.

Cùm ſuperiùs jam ſtatuerimus, Archiepiſcopum Henricum in Italiam a Jeroſolymitano bello fuiſſe reverſum, & Caravallenſis Cœnobii Templum ſolemni conſecratione Deo devoviſſe Anno MCCXX, VI. Nonas Maji, non parùm Sententiam noſtram infirmare videtur hæc Charta, quæ data eſt octavo die ante Calendas Novembris. Cur enim non ipſius Henrici nomine ſcripta fuit, ſed ejuſdem Vicarii? præ-

præſertim cùm non conſtet quo tempore eidem ſubſcripſerit Archiepiſcopus noſter. Equidem facilè tolli hic ſcrupulus poſſet, aſſerendo, incœptum a Vicario ſuo Sacrum hoc Opus, voluiſſe Archiepiſcopum noſtrum, ut ab eodem abſolveretur; appoſito tantùm ſuo nomine, ut Translatio firmamentum acciperet. Hinc tamen argumentum capi nequit, tunc ſolùm itineri in Orientem ſeſe Henricum commiſiſſe: Ad convellendam namque Ughelli opinionem, ſatis eſt diſſidium illud inter Nobiles & Plebejos, quod ipſe commemorat, occaſione cujus extra Urbem migrare coactus eſt Archipræſul Mediolanenſis; illud enim excitatum fuiſſe eodem Anno MCCXX., ex Epiſtola Honorii ad Vercellenſem Epiſcopum miſſa comperimus, data ſiquidem eſt XVIII. Calendas Februarii, Anno MCCXXI. In ea verò præcipit, ut ſacro anathemate feriat Amiceum Saccum Laudenſem, *quondam Mediolani Prætorem*, ideſt qui jam ab officio ſuo exciderat; quòd Henricum Archiepiſcopum Mediolanenſem exulare coëgiſſet. Sigonius, qui in annum ſequentem differt feralem hanc diſcordiam inter Nobilitatem, & Credentiam quæ Opificibus conſtabat, exortam, ait: *Cùm, irritatis animis ad arma diſcurſum eſſet, Henricus Archiepiſcopus cum parte Nobilium Urbe exire coactus, atque in exilio eſſe juſſus, Canturium occupavit, atque ibi ſe præſidiis ac munitionibus confirmavit*. Non igitur eo tempore tranſmarinas regiones adiit Henricus; ſed pugnæ intentus, ob recuperandam Sedem necnon jura & prædia, quæ invaſerat plebs inſana, militiæ vacabat, quemadmodum Triſtanus Calchus teſtatur ad Annum MCCXXI., ſubdens, pacem quidem Auguſto menſe

ſa-

factam, ſed citò abruptam, & toto triennio vexatam armis fuiſſe Mediolanenſem Civitatem.

Porro exacto hoc triennio, Anno MCCXXIII., decimoquinto die ante Calendas Auguſti, Indictione XI., ab Henrico Archiepiſcopo noſtro Donationem factam quorumdam redituum Lectoribus Metropolitanæ Eccleſiæ legimus in Ughello. Cùm enim ob paupertatem fructuum Eccleſiaſticorum Miniſtri Altaris a Divinis Officiis ſæpe abeſſent, nonnulla ex Archiepiſcopatûs patrimonio ipſis in perpetuum indulſit, ſimulque approbavit confirmavitque Donationem conſimilem, quam iiſdem & Succeſſoribus obtulerant Fratres ſui Canonici Ordinarii: Statuens impoſterum, ut frequentes forent gerendis muneribus ſuis in Eccleſia, jubenſque inſuper, ut Feſto die Sancti Martini pecunia ſingulis diſtribueretur, prout unuſquiſque præſentiam ſuam præſtitiſſet, tamquam Reſidentiæ præmium; & in ſolemnioribus diebus ibidem enumeratis duplex unicuique portio obtingeret: Quod non tantùm religioſiſſimum Antiſtitis noſtri & primoris Ordinis Sacerdotum animum oſtendit, ſed etiam in gloriam non modicam Eccleſiæ Ambroſianæ vergit, quæ, tanto ante Concilium Tridentinum tempore, Reſidentiæ legem iis indixit, qui Sacris Miniſteriis in Choro obeundis incumbebant.

Retulimus ſuperiùs quæ Henricus Archiepiſcopus egit, ut novos Cultores, nempe Sancti Dominici Alumnos in vineam Domini ſibi commiſſam immitteret, ipſis aſſignando inſignem vetuſtamque Baſilicam, ubi olim jacuerant Corpora Sanctorum Magorum, qui oſcula infixerant Divinis pedibus Chriſti Domini in præſepio degentis; eos enim prævidebat Ec-

Eccleſiæ ſuæ plurimùm profuturos frequentibus Concionibus, quæ uberi Divini verbi pabulo Oves ſuas aluiſſent. Alterum gloriæ Henrici monumentum, non ſecus ac Metropolis noſtræ, adventus fuit ipſiuſmet præclariſſimi hujus Ordinis Conditoris, Sancti Dominici. Bis iſtum acceſſiſſe Mediolanum, noſtrates & Prædicatorum Ordinis Scriptores referunt, eorumque teſtimonio utitur Puricellus laudatus. Primâ vice conſtitiſſe tradunt in Canonica Sancti Nazarii Anno MCC. XIX., eoque Dei amore quo exardebat, ſæpiùs e ſuggeſtu peroraſſe, tantâ populi commotione, ut, cùm fœda colluvies Hæreſum Mediolanenſem Urbem, ſicut & ceteras, non modicè infeciſſet, quamplures illam ejuraverint, & influente Divino ſpiritu in eos, Ordinem quoque ejuſdem amplexi fuerint. Tres inter alios recenſent memorati Scriptores, Robaldum Albingenſem, Jacobum Montienſem, ſeu de Modoëtia, & Amizonium de Solario, Juriſprudentiâ & muneribus publicis geſtis celebres, qui poſtmodum ſanctimoniâ & Apoſtolicis toleratis laboribus pro Catholica Fide in populis confirmanda, ſumma cum laude floruere. Nonnullos alios enumerat Taëgius, *in Chronico* MS.to penes Cœnobium Dominicanum Sanctæ Mariæ Gratiarúm Mediolani, his verbis: *In Canonica Sancti Nazarii Beatus Dominicus hoſpitatus eſt, & per quoſdam dies ibi moram trahens prædicationis officio inſiſtere cœpit, & non modicum in populo illo fructum fecit: Quoſdam autem præclaros Viros tunc temporis ad Ordinem recepit, videlicet Guidotum de Sexto Mediolanenſem, Decretorum Doctorem, Auditoremque Contradictoriarum in Curia, & in Ordine unum ex primis Inquiſitoribus hæ-*

hæreticæ pravitatis in Lombardia, *Rogerium de Merate*, *Doctorem Juris famoſiſſimum*, *& poſtmodum in Ordine Mediolanenſem Priorem* &c. Secundò inductis jam in Baſilicam Euſtorgianam Fratribus ſuis, penes ipſos hoſpitium recepit Sanctus Dominicus Anno MCCXX., atque ibidem febri correptus in ægritudinem incidit, qua, ſequente anno vehementiùs ingraveſcente, meritis cumulatiſſimum ſpiritum Bononiæ Deo reddidit.

Hiſce proventibus in Mediolanenſi populo tum a Sancto Dominico, tum ab ejuſdem Sociis, Divinæ gloriæ deſiderio procuratis, Henricus Archiepiſcopus iiſdem gratificari volens, Diploma expedivit Anno MCCXXVII., quo non modò Euſtorgianos Patres in ea Baſilica confirmavit, ſed etiam ita diſpoſuit res omnes, ad eorum dominium pertinentes, ut impoſterum nulla cum Canonicis Laurentianis litium ſemina poſſent ſuccreſcere, atque ita animarum ſaluti & Prædicationi evangelicæ tranquillè incumberent. Quamvis autem illud vulgaverit Puricellus, nos *ex Miſcellaneis* MS.tis Franciſci Caſtelli in lucem idem proferimus.

„ Henricus miſeratione Divina Sanctæ Mediolanenſis Ec-
„ cleſiæ Archiepiſcopus, Dilectis in Chriſto Filiis Priori &
„ Conventui Sancti Euſtorgii Mediolani, Ordinis Fratrum
„ Prædicatorum, tam præſentibus, quàm futuris, Me-
„ diolani commorantibus & commoraturis in perpetuum. Of-
„ ficii noſtri debitum exigit & requirit, ut in iis, quæ
„ ad cultum Religionis pertinent, teneamur propenſiùs in-
„ tendere, ac ea effectu proſequente ſtudioſiùs adimplere.
„ Hinc eſt quòd, cùm propter Dei timorem, & Sanctæ
„ Ro-

„ Romanæ Eccleſiæ devotionem, ac totius Cleri & populi
„ Mediolanenſis utilitatem & profectum, Eccleſiam Sancti
„ Euſtorgii, ſitam in Suburbio Portæ Ticinenſis Mediolani,
„ unà cum Sedimine & braida, inſimul ſe tenentibus, ad
„ faciendum hortos & brolium, ac domos ædificandas, quæ
„ omnia Ubertus Marinonus, tunc ipſius Eccleſiæ Præpoſitus,
„ & Presbyter Rolandus, & Presbyter Lanfrancus, & Ay-
„ roldus ejuſdem Eccleſiæ Canonici refutaverunt in manum
„ Ugonis Cimiliarchæ Mediolanenſis, Vicarii noſtri, qui tunc
„ eramus in partibus tranſmarinis, in ſervitio Crucifixi, vo-
„ bis veſtriſque Succeſſoribus, auctoritate Mediolanenſis Ec-
„ cleſiæ, de conſilio Fratrum noſtrorum, duxerimus conce-
„ denda; volentes ipſis Præpoſito & Canonicis tollere oc-
„ caſionem evagandi; timentes etiam, ne aliquo modo ſe-
„ ducti, ipſi vel eorum Succeſſores haberent materiam ve-
„ xandi ſive moleſtandi vos aut veſtros Succeſſores aliqua-
„ tenus in futurum; de conſilio Fratrum noſtrorum, ac de
„ conſenſu dictorum Uberti Præpoſiti, & Presbyteri Rolan-
„ di, & Ugonis & Chunradi, ejuſdem Eccleſiæ Canonico-
„ rum; volentibus etiam & conſentientibus Presbyteris Go-
„ zio, Amizone, Gullielmotto, Sozone, Chunrado, &
„ Ambroſio, Canonicis Eccleſiæ Sancti Laurentii Mediola-
„ nenſis; conſideratis utilitatibus Eccleſiæ Sancti Laurentii &
„ Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ, in qua Eccleſia ſunt tan-
„ tùm octo Canonici cum Præpoſito, & utilitatibus Eccle-
„ ſiæ Sancti Euſtorgii, Præpoſiti & Canonicorum illius Ec-
„ cleſiæ, in qua Canonica ſunt tantùm quatuor Canonici cum
„ Præpoſito, & penſatis circumſtantiis locorum & perſona-

„ rum & totius negotii ; univimus prædicta duo Capitula
„ Sanctorum Euſtorgii & Laurentii, & de eis duobus Ca-
„ pitulis fecimus unum Capitulum & unum Collegium, tranſ-
„ ferendo dictos Præpoſitum & Canonicos Sancti Euſtorgii, &
„ bona & poſſeſſiones, & jura Eccleſiæ Sancti Euſtorgii, cum
„ omnibus ſuis oneribus ; ita quòd onera utrinſque Eccleſiæ, ſeu
„ ipſius Capituli ſic uniti, ſint communia ad Eccleſiam Sancti
„ Laurentii ; exceptis his, quæ jam vobis ſunt conceſſa,
„ ita quòd de cetero dicti Præpoſitus & Canonici Sancti
„ Euſtorgii, & Canonici Sancti Laurentii, ſint unum Cor-
„ pus & idem Capitulum & Collegium Sancti Laurentii,
„ & ſint & eſſe debeant cum uno Præpoſito tantùm duo-
„ decim ; & vos Eccleſiam Beati Euſtorgii, cum rebus vo-
„ bis conceſſis liberè habeatis, pacificè ac quietè ſecundùm
„ Ordinem veſtrum teneatis & poſſideatis. Item ſtatuimus
„ & ordinamus, ut Libri & ornamenta & utenſilia Eccle-
„ ſiæ Sancti Euſtorgii remaneant in illa Eccleſia, & ſint
„ ipſius Eccleſiæ Sancti Euſtorgii. Item ſubjicimus & ſup-
„ ponimus Hoſpitale, quod dicitur Sancti Euſtorgii, & Ec-
„ cleſias Sancti Petri ad Scaldaſole, & Sancti Stephani in
„ Bixiario, cum omnibus rebus & poſſeſſionibus & juribus
„ ad ipſas Eccleſias & ad ipſum Hoſpitale pertinentibus,
„ Eccleſiæ, ſeu Præpoſito & Capitulo, ſeu Collegio Sancti
„ Laurentii ſic unito. De facto verò Superſtantiæ ſtatuimus
„ & ordinamus, ut dominium & inſtitutio & omnia jura
„ & poſſeſſiones ipſius Superſtantiæ remaneant in poteſtate Ec-
„ cleſiæ Sancti Euſtorgii, & perſonarum in ea Eccleſia San-
„ cti Euſtorgii commorantium, vel quæ ſunt commoraturæ
„ in

„ in perpetuum, ad uſum Fabricæ illius Eccleſiæ; & ſalvo „ quòd adminiſtratio fructuum illius Superſtantiæ ſit in poteſtate Uberti Marinoni, quondam Præpoſiti Sancti Euſtorgii, quouſque vixerit, faciendo de ipſis fructibus fieri „ laborem Fabricæ ipſius Eccleſiæ Sancti Euſtorgii. Et poſt „ ejus deceſſum fructus omnes, & adminiſtratio, & omnia „ jura illius Superſtantiæ liberè deveniant & ſint illius Eccleſiæ Sancti Euſtorgii & perſonarum, ut ſupra dictum eſt, ad uſum Fabricæ prædictæ Eccleſiæ. Nulli ergo omnino hominum in noſtra ditione commorantium liceat „ hanc paginam noſtræ Inſtitutionis ſive Ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem „ hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis „ Dei, & noſtram ſe noverit incurſurum. Datum milleſimo „ ducenteſimo vigeſimo ſeptimo, die Sabbati, nono die „ ante Calendas Februarii.

„ Ego Henricus Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus „ ſubcripſi.

Romam ſubinde profectus eſt Henricus; cùmque Gregorius IX Pontifex Maximus Eccleſiam Sancti Adriani ſolemni ritu conſecraret, XIII Calendas Aprilis, Anno Domini MCCXXVIII, Archiepiſcopus noſter huic Celebritati interfuit ſimul cum aliis Cardinalibus & Epiſcopis. Teſtis eſt Inſcriptio, in abſide ibidem inciſa, quæ tertio loco inter reliquos Præſules, quos enumerat adſtantes, Archipræſulem Mediolanenſem recenſet. Legitur hæc Inſcriptio in Oldoino, ubi de rebus geſtis a Gregorio IX. mentionem agit.

Vigilantiæ tam accurati Paſtoris ſatis non fuit, Sancti

Dominici Alumnos Mediolani fixiſſe. Quamobrem Sedi ſuæ reſtitutus, cùm animadverteret, variis Hæreſum fæcibus e Gallia huc illabentibus (ùt tradit Sigonius ad Annum MCCXXIX.) coinquinatam eſſe hanc Urbem, auctoritate Legati Apoſtolici Gaufridi Cardinalis Tituli Sancti Marci uſus, expellendos Mediolano omnes hac pice infectos curavit. Nec abnuit Apoſtolicus Miſſus, qui Prætori anni illius Bonacurſio de Porta, Brixienſi, in mandatis dedit, ut convocato communi Conſilio capitale exilium iis indiceret: Quinimo inter Statuta Civitatis, ea quæ ipſe præcipiebat, imposterum inviolabiliter obſervanda collocaret. Refert Bernardinus Corius ſeveriſſima Edicta, quæ tunc a Prætore aliiſque Primoribus promulgata fuerunt, adſtante eorumdem publicationi Archiepiſcopo noſtro, ut videlicet nemo Hæreticos excipere poſſet ſub graviſſimis pœnis, everterentur eorum domus, & Bona in Fiſcum Civitatis referrentur, captivique hujuſmodi furfuris homines conjicerentur in eos carceres, quos Archiepiſcopus ſtatuiſſet.

Neque hoc præſentiſſimo remedio ad expurgandam ab hiſce dumis vineam ſuam contentus fuit Henricus. Sed ne in futuras ætates venenata hæc germina pullularent, aut ſecretò peſtis iſta in oves ſuas irreperet, Inquiſitionis Tribunal in noſtram Metropolim primus invexit, hac lege ut bini in ſingulis Tribubus (ſeu Portis) Fratres ex Ordine Prædicatorum, & Minorum, a Præfectis ſuis dati conſtituerentur, qui omnia ad ipſum Archipræſulem referrent, & auctoritate Archiepiſcopali Hæreticos indagandos & corripiendos curarent: Prætor autem eos impenſis publicis perdu-

duceret, quòcumque Archiepiſcopus voluiſſet.

Quoniam verò mentionem Fratrum Minorum egimus, prætereundum minimè ſilentio eſt, Henricum Archiepiſcopum hanc quoque Sacram Coloniam in Mediolanenſem Urbem deduxiſſe. Cùm per ea tempora floreret peculiari perfectæ vitæ exemplo Seraphicus Ordo, a Sancto Franciſco inſtitutus, miſſi fuerant a Conditore ſuo per omnes Regiones ejuſdem Alumni. Carere iis noluit Henricus. Petrus Nicolaus Bonavilla, ex Fratribus Minoribus Obſervantiæ, *in Serie Chronologica Cœnobiorum ſui Ordinis*, Mediolani vigentium tradit, paulò poſt inductos ab Archipræſule noſtro Fratres Ordinis Prædicatorum, hos quoque fuiſſe advocatos Anno MCCXXI. (non MCCXII., quemadmodum Wadingus retulit) tamquam præſtantes Divinæ gloriæ Adminiſtros; & primò iiſdem aſſignatam ab Henrico pro Hoſpitio Eccleſiam Sancti Victoris ad Theatrum; ſubinde verò eos ad alteram Sanctæ Mariæ Fulcorinæ fuiſſe translatos. Diu ibidem permanſere; noſtraque conſtans Traditio refert, Sanctum ipſum Franciſcum, ad hanc Metropolim adventantem ut eos inviſeret, in eodem loco commoratum eſſe. Quin etiam ad noſtram uſque ætatem commonſtrabatur Cellula & ſolum, in quo ipſe dormiens cubaverat; ſed occaſione novi conſtruendi Templi, dirui illam oportuit. Nihilominus eo loci Sacellum erectum fuit, Seraphici Patris Simulacro ad pedes Crucifixi Salvatoris appoſito, infixuſque parieti proximo lapis eſt, qui tanti recepti honoris memoriam poſteris commendet. Et ſanè non modica Urbi noſtræ gloria acceſſit ex Sanctorum Dominici & Franciſci hoſpitio,

qui

Digitized by Google

qui lumina & fulcimentum Catholicæ Fidei extiterunt.

Tentaverat Henricus Archiepiſcopus, creſcente Fratrum Minorum numero, ampliores ædes iiſdem parare; eaque Baſilica, quæ Sanctis Nabori & Felici Martyribus dicata erat, & antiquiſſimo Civium cultu inter prima Deo ſacra Templa numerabatur, opportuna figendæ hujus Sacræ Familiæ Sedi videbatur. Duo tamen obſtitere, videlicet repugnantia Præpoſiti & Canonicorum eamdem Baſilicam incolentium, qui inde recedere prorſus recuſabant, & mors intempeſtiva, quæ præclara tanti Præſulis meditamenta abrupit. Hæc tamen optatum ab ipſo exitum habuere poſt ejus obitum, ùt ſuo loco narrabimus. Emendandus autem eſt in hoc Ughellus, qui aſſignatam fuiſſe Alumnis Sancti Franciſci Baſilicam Naborianam ab Henrico abſque dubitatione tradidit; hoc enim beneficium a Leone de Perego Antiſtite noſtro, Anno MCCLVI. recepere, quemadmodum infra patebit.

Referri quoque ad peculiarem piiſſimi hujus Paſtoris laudem debet, quòd non Viris tantùm, ſed etiam Fœminis, quæ ſub vexillo Seraphici Patris Deo militabant, hoſpitalem domum Mediolani aperuerit. Narrat præclariſſimi ſui Ordinis Chronographus Wadingus, ſub exordium ejuſdem adventaſſe in noſtram Metropolim Jacobam, ſociam Agnetis (quæ Soror erat Sanctæ Claræ, Matris & Magiſtræ Monialium, quæ *Clariſſæ* appellantur) cum nonnullis pediſſequis, quæ Crucifixo & Seraphicæ Regulæ ſeſe devoverant, in hac noſtra Urbe ſacram ſedem figere peroptantibus. Benigniſſimè illas excepit Henricus, precibus etiam ada-

adactus Hugonis Cardinalis Oſtienſis; utque commodiùs regularibus Inſtituti ſui exercitationibus vacare poſſent, Eccleſiam Sancti Apollinaris liberali dono largitus eſt. Dubius hæſit laudatus Bonavilla circa Annum hujus largitatis, ab Henrico in has Moniales effuſæ; cenſuitque, id peractum fuiſſe Anno MCCXX. Conſtat tamen ex Charta in ejuſdem Cœnobii Archivo aſſervata, quam (ſub num. I.) ad calcem hujus Vitæ, cum aliis reliquis dabimus, Religioſas haſce Fœminas donatas fuiſſe ab Henrico Archiepiſcopo, Anno MCCXXIV. in finem vergente, tum Eccleſia Sancti Apollinaris, tum Sedimine & domibus ac ædificiis ipſi Eccleſiæ adjacentibus. Horum autem omnium jus ac poſſeſſionem, mandante eodem Archipræſulæ adeptè poſtmodum fuere, quemadmodum docet altera Charta (ſub num. II.) ſexto poſt donationem die confecta. Inſuper facultas iiſdem tributa eſt Anno inſequente MCCXXV., ut ibidem Aſceterium conderent, ſibique Domicilium pararent omnino longè a ſtrepitu vulgi civiumque hujus Metropolis, prout docet publicum Documentum (ſub num. III.) die quarto Februarii exaratum. Demum ad preces Gregorii IX. Summi Pontificis hortum quoque, qui alendis, Sacerdotibus, olim Sancti Apollinaris Eccleſiam incolentibus patrimonii loco deſerviebat, iiſdem Monialibus indulſit Anno MCCXXVIII., die XXVI. Aprilis, publicis tabulis id teſtantibus (ſub num. IV.); ita tamen ut decedente quolibet ex iis, qui fructum annuum inde capiebant, in utilitatem plenamque poſſeſſionem Monaſterii portio illa quæ prædicto fructui reſpondebat, in perpetuum recideret. Cumulavit pariter

riter ſacrum hunc gregem famularum Dei, pietatis ornamentis, Corpore videlicet Sancti Fauſti Mediolanenſis militis & Martyris, atque (ùt antiqua fert Traditio) alterà ex Coſtis Sancti Laurentii Archidiaconi, quæ ſingulis annis in illius Eccleſiæ Ara publico cultui exponitur. Ceterùm dubitari nequit de effuſa Antiſtitis noſtri largitate ac beneficentia erga peregrinam Sancti Franciſci Aſſiſiatis Familiam, Mediolanum profectam, cùm Gregorius IX. Summus Pontifex Diploma Donationis quorumdam Beneficiorum, in favorem Monialium Sancti Apollinaris noſtræ Urbis, datum Peruſii Anno MCCXXXV:, V. Calendas Aprilis, Pontificatûs ſui anno nono, ita exordiatur: *Cùm olim bonæ memoriæ Mediolanenſis Archiepiſcopus* (Henricus) *Sancti Apollinaris* (Eccleſiam) *in qua vos perpetuo clauſtro clauſiſtis, piâ vobis liberalitate duxerit concedendam* &c.

Antequam Henricus vitam deponeret, diſſidium emerſit, quod acerbo illius animum dolore confixit. Homobonus Epiſcopus Cremonenſis plutibus aliis rebus in Eccleſia ſua egregiè geſtis clarus, ſubrepere ſibi permiſit quemdam ſuperbæ elatiònis faſtum, quo debitæ Metropolitano ſuo obedientiæ jugum conatus eſt prorſus excutere, ſeſe omnino eximens ab ejuſdem juriſdictione. Diu agitata eſt Cauſa; imo ad Apoſtolicam Sedem deferri illam oportuit. Cùm autem futilibus tantùm conjecturis & ſtramineis rationibus ſeſe tueretur Cremonenſis Antiſtes, Gregorius IX. Pontifex Maximus Homobonum damnavit, eique juſſit, ut Archiepiſcopum Mediolanenſem revereretur, ejuſque mandatis tamquam Suffraganeus obtemperaret. Refert Ughellus *in Epiſcopis Cremo-*

nen-

nenſibus, has Literas Gregorii Summi Pontificis, *datas Peruſii III. Idus Julii, Pontificatus ſui Anno ſecundo*, Chriſti MCCXXVIII. Anonymus autem Scriptor Catalogi jam laudati, qui præſens erat, minutim narrat modum, quo publicè reconciliatus eſt Henrico Homobonus, his verbis: *Tamdem convictum, & per Sententiam condemnatum, debitam fidelitatem, præſtito juramento, ſolito more, coram cunctoiſtius Civitatis Clero, ibi etiam adſtante innumerâ populi utriuſque Sexûs multitudine diverſarum ætatum, ſcilicet puerorum, adoleſcentum, juvenum, & ſenum in medio Eccleſiæ Beatæ Theclæ, ſibi & Mediolanenſi Eccleſiæ fecit exhibere, Anno Domini MCCXXIX., in Feſto Purificationis Beatæ Mariæ, horâ tertiâ, Clero veniente cum Proceſſione a Sancta Maria Beltrade, ſecundùm debitam conſuetudinem.*

Quàm celebris eſſet Mediolani hæc Supplicatio, conſtat ex Beroldo alibi laudato, qui ſub initium Seculi XII. florebat; ait enim, univerſum Clerum die Hippapantis, ideſt Præſentationis in Templo Domini Noſtri Jeſu Chriſti, a Deipara Virgine illuc delati, unà cum Archiepiſcopo ad Eccleſiam, quæ apud nos appellatur *Sanctæ Mariæ Beltradis*, conveniſſe, atque ibidem benedicto thure, & accenſis candelis incœptos fuiſſe cantari Hymnos & Pſalmos; atque inde proceſſiſſe diſtinctis Ordinibus ad Eccleſiam Majorem, cuncto populo religioſiſſimè proſequente, & duobus Sacerdotibus Imaginem Beatiſſimæ Virginis, puerum Jeſum geſtantis in ulnis (quam *Idæam* vocabant) ſuper humeros aſportantibus. Extat adhuc Lapis infixus in altero ex lateribus frontis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Beltradis, rudi ſcal-

pro effictus, qui ſolemnem hanc Supplicationem, cum Idæa Archiepiſcopo & Veglonibus, repræſentat. Quin etiam in præſentia viget hæc conſuetudo, memorato die annuatim renovata, quo tantùm intus Metropolitanam Baſilicam depicta hæc Tabella ab ejuſdem Clero circumfertur. Hæc obiter adnotavimus hoc loco, ut verba Scriptoris Catalogi ſummatim explicaremus; latiùs verò de iis diſſeretur, cùm in publicam lucem edentur Commentaria Ritûs Ambroſiani.

Regimen ſuum clauſit Henricus præclaro teſtimonio animi ſui ad pacem compoſiti, quamvis ipſe in ærumnis, proſcriptionibus, pugnis, diſſidiiſque Annos, quibus præfuit huic Eccleſiæ, invictâ conſtantiâ tranſigere debuiſſet. Nemo eſt qui ignoret, quàm frequentia eſſent bella Mediolanenſis Urbis cum finitimis populis, & quot in ſingulis Urbibus factiones acriter invicem in cruentas pugnas abirent. Fervebat Anno MCCXXIX aliud prælium cum Veronenſibus tanto ardore, ut die ipſo Paſchatis Factiones duæ, quietis impatientes, armis inter ſeſe occurrerint, & obſtinato utrinque certamine edito, ſuas quiſque domos ſe magnâ cæde retulerit, ùt ſcribit Sigonius. Condoluit Paſtor noſter tam infelices temporum viciſſitudines, quibus una alteram ex florentiſſimis Urbibus diſcerpebat. Quocirca, ut in fœdus amicum reducerentur, curavit; atque ad illud ſanciendum (ùt proſequitur idem Sigonius) *IV. Nonas Decembris ejuſdem anni Moderatores, Prætores, Rectores, ac Legati Civitatum fœderatarum Mediolani convenere, atque in præſentia Henrici Archiepiſcopi, Gufredi Legati Sedis Apoſtolicæ, & Fratris Gualla* (ex Ordine Prædicatorum, Pontificii pariter Legati)

de

de fœdere retulere. Dictis ab omnibus ſententiis, univerſi conſenſu maximo cenſuére, ut fœdus renovaretur.

Conſumptus tamdem curis pro Eccleſia Mediolanenſi atque etiam Romana, dum ad Oppidum Brebbiæ, Archiepiſcopalis ſui juris, divertiſſet, animum fortaſſe ab earum onere levaturus, in morbum incidit Henricus, & ad æternam quietem migravit Anno MCCXXX., XVI. Calendas Octobris. Admirationem nobis primò ingeſſit Ughellus, qui Anno ſequente eumdem naturæ ceſſiſſe die III Octobris ſcribit, cùm ſtatim oculis ſubjiciat Epitaphium appoſitum in Æde Sancti Franciſci Mediolani a Carolo Septala, poſtmodum Epiſcopo Derthonenſi, in quo annus a nobis & a Catalogis ſtatutus legitur. Verùm cùm Editionem Romanam ejuſdem Ughelli conſuleremus, hanc funebrem Inſcriptionem minimè relatam vidimus: Quocirca in ea ſumus opinione, additamentum hoc eſſe Editorum Venetæ Urbis, quamvis conſuetas virgulas, quibus nova additamenta deſignant, minimè appoſuerint. Epitaphium autem ſic ſe habet.

Digitized by Google

ÆTERNITATI.

HENRICUS SEPTALA
MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUS
DOCTRINA, PIETATE, AC RERUM GESTARUM GLORIA
INCOMPARABILIS
AD TANTÆ REGIMEN ECCLESIÆ
AB INNOCENTIO III. ELECTUS
AB HONORIO III. CONSECRATUS,
COMES REGUM AC DYNASTARUM
CUM EGREGIA MEDIOLANENSIUM NOBILIUM
AC MILITUM MANU
JEROSOLYMITANAM SUSCEPIT EXPEDITIONEM.
METROPOLITANI JURIS MIRUS VINDEX FUIT,
INSTITUTO INQUISITORE JUGULAVIT HÆRESES
DOMINICANUM ET FRANCISCANUM ORDINES
IN HANC URBEM PRIMUS EXCEPIT, EISQUE DOMICILIA
CONSTITUIT:
PLURIBUS ECCLESIIS PATRIMONIUM NON MEDIOCRE
ADDIDIT.
MEDIOLANENSI ECCLESIA PER ANN XVI. ET MENS. X.
LABORIOSISSIME ADMINISTRATA
QUIEVIT ANNO SALUTIS MCCXXX. XVI. CAL. OCTOBRIS,
ELATUSQUE PIO ET VERO UNIVERSÆ ITALIÆ DOLORE
HIC JACET.

CA-

Digitized by Google

CAROLUS SEPTALA JURISCONSULTUS COLLEGIATUS,
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI INNOCENTII X.
UTRIUSQUE SIGNATURÆ REFERENDARIUS,
ET METROPOLITANÆ MEDIOLAN. ARCHIPRESBYTER
BENEMERITO PROPATRUO TRITAVI MAXIMO
ANNO MDCLII.
P.

Erravit Galeſinius *in Tabula Archiepiſcoporum Mediolanenſium*, qui tradit, Henricum Mediolani obiiſſe; cùm omnium Scriptorum conſenſu aſſeratur, eumdem defunctum in Oppido Brebbiæ, atque illinc ad noſtram Urbem tranſlatum, in Eccleſia Sancti Victoris appellati *ad Ulmum*, primum Tumulum habuiſſe; ſubinde in marmorea Arca adhuc extante conditum fuiſſe illius Corpus in Baſilica Sancti Franciſci, quæ tunc dicata erat Sanctis Nabori & Felici, inſculptâ Urnæ hac brevi Epigraphe:

HENRICUS SEPTALA ARCHIEP. MEDIOLAN.

Corruente poſtmodum Templo illo ex improviſo, innoxio tamen lapſu, alioque magnifico extructo, depoſita ſunt hujus Antiſtitis Oſſa ante Altare Majus, cum hoc funebri Elogio:

HEN-

HENRICO SEPTALÆ
MEDIOLANI ARCHIEPISCOPO
SERAPHICI HUJUS ORDINIS
BENEFACTORI EXIMIO,
POST RESTAURATUM TEMPLUM
A PATRIBUS HUC TRANSLATO
GRATI ANIMI MONUMENTUM
AN. D. MDCCXVIII.

Anonymus Auctor Catalogi Bibliothecæ Metropolitanæ tradit, adminiſtratam fuiſſe ab Henrico Eccleſiam Mediolanenſem *per Annos XVI.*, *menſes X.*, *minus XII. dies*. Si tamen computus fiat ab Anno MCCXIII. die IV. Novembris, quo ab Innocentio III. creatus eſt Archiepiſcopus, uſque ad XVI. Calendas Octobris Anni MCCXXX., cui ipſemet Henrici obitum figit, clarè patet, tempus Sedis ab eodem aſſignatum debuiſſe protendi uſque ad allos dies XXIV., ut decimum ſextum diem Septembris attingeret. Cenſemus tamen, hunc Auctorem non enumeraſſe dies quos impenderat Henricus, ut a Bononienſi Urbe, ubi literis operam navabat, ſe Mediolanum conferret; ſed tantùm eos enunciaſſe, quibus verè in hac Mediolanenſi Cathedra ſedit.

Ughellus Henrico attribuit XX. annos regiminis, ob errorem, quem ab initio admiſerat, biennio ejuſdem electionem præveniens, vitamque poſtmodum uno Anno protendens.

Num.

Num. I.

Donatio Eccleſiæ Sancti Apollinaris, facta ab Henrico Mediolanenſi Archiepiſcopo Jacobæ Abbatiſſæ & Sororibus Ordinis de Spolito, Anno MCCXXIV. II. Novembris.

„ In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimo quarto, die Sabbati, qui eſt ſecundo die Menſis Novembris, Indictione tertiadecima, In Caſtro Bribiæ, in Palatio Domini Archiepiſcopi. Ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Dominus Henricus Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Venerabilis Archiepiſcopus, attendens honeſtatem & religionem Jacobæ Abbatiſſæ & pauperum Sororum Mediolani commorantium Ordinis de Spolito, & ad preces Domini Hugonis Dei gratia Hoſtienſis Epiſcopi, dedit titulo devotionis, conceſſit Eccleſiam Sancti Apollinaris, ſitam juſta Portam Romanam, prope Foſſatum Civitatis, & Sedimen cum domibus & ædificiis ipſi Eccleſiæ cohærentibus, prædictis Abbatiſſæ & Sororibus, earumque Succeſtricibus ibidem commoraturis in perpetuum, ſecundùm Regulam Ordini Spolitano a Domino Papa conceſſam, vitam ducturis: Ita ut de cetero præfata Abbatiſſa & Sorores, & earum Succeſtrices habeant, teneant, & poſſideant Eccleſiam, domos, & Sedimen, ut ſupra legitur, faciendo & ſolvendo Annis ſingulis Cereos duos duarum librarum,

„ no-

„ nomine Cenſus & devotionis præfato Domino Archiepi-
„ ſcopo & ejus Succeſſoribus, in omni Feſto Sancti Apol-
„ linaris. Interfuerunt ibi Teſtes Dominus Fulco de Der-
„ vio, Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinarius, filius quondam
„ Domini Bartholomæi de Dervio, & Magiſter Anſelmus
„ Camararius Domini Archiepiſcopi, filius qu. Hugonis de
„ Gaſteganea, & Landulfus filius Pedruſi de Caſtro Seprio,
„ Canonicus de Sergiano, & Dominus Girardus filius Do-
„ mini qu. Petri de Vigiudo Canonicus de Crena; & Bru-
„ netus filius qu. Oldradi de lo Carmaniago, qui de man-
„ dato Domini Papæ eſt Proviſor & Rector omnium Mo-
„ nialium ipſius Ordinis.

„ ✠ Ego Henricus Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſco-
„ pus ſubſcripſi manu propria.

„ ✠ Ego Sigibaldus Officialis Eccleſiæ Sancti Apollina-
„ ris ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Conradus ſeptem denariorum, Presbyter San-
„ cti Apollinaris ſubſcripſi.

„ Ego Albertus Notarius Sacri Palatii, filius Alberti
„ Apoliti Judicis, Civis Mediol., qui modò habito in Bur-
„ go Angleriæ, hanc Chartam tradidi, & ſcripſi.

Num.

Num. II.

Poſſeſſio Eccleſiæ Sancti Apollinaris & domuum ac ædificiorum ipſi adjacentium, acquiſita per Abbatiſſam Jacobam & Sorores Ordinis de Spolito Anno MCCXXIV. die VIII. Novembris.

„ In nomine Domini. Anno Dominicæ Nativitatis mil-„ leximo, ducenteximo, vigeximoquarto, die Veneris, octa-„ vo die Novembris, Indictione decimatertia. Cùm Domi-„ nus Henricus Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ ve-„ nerabilis Archiepiſcopus dediſſet, & titulo donationis con-„ ceſſiſſet Eccleſiam Sancti Apollinaris, ſitam juxta Portam „ Romanam, prope Foſſatum Civitatis, & Sedimen, & do-„ mos cum hedificiis ipſi Eccleſiæ cohærentibus. Domnæ Ja-„ cobæ Abbatiſſæ, & pauperibus Sororibus Mediolani com-„ morantibus Ordinis de Spolito, ſicut apparet per publicum „ Inſtrumentum a me infradicto Guidotto Bicco Notario, „ viſum & lectum, factum per Albertum Notarium, filium „ Alberti Apoliti, Dominicæ Incarnationis milleximo, du-„ centeximo vigeximo quarto, die Sabbati ſecundo die No-„ vembris, & ſubſcriptum per ſupradictum Dominum Ar-„ chiepiſcopum, & per Sigebaldum Officialem prædictæ „ Eccleſiæ Sancti Apollinaris, & per Chunradum Septem-„ denariorum Presbyterum ejuſdem Eccleſiæ; & idem Do-„ minus Archiepiſcopus mandaſſet Præpoſito & Presbytero „ Guilielmo Sancti Nazarii in Brovio Mediolan., & Fratri

„ Leoni de Ordine Fratrum Minorum, ut prædictas Abba-
„ tiſſam & Moniales, ſive Sorores præfati Ordinis de Spo-
„ lito inducerent in poſſeſſionem corporalem & tenutam præ-
„ dictæ Eccleſiæ, & hedificiorum, ſicut apparet per Literas
„ ipſius Domini Archiepiſcopi, ejus ſigillo cereo ſigillatas,
„ ibi a me infradicto Guidotto Bacco viſas & lectas, hiidem
„ Præpoſitus & Presbyter Guillielmus, & Frater Leo, au-
„ ctoritate ipſius Domini Archiepiſcopi, induxerunt dictas
„ Abbatiſſam & Sorores in poſſeſſionem & tenutam Eccleſiæ
„ & domorum & hedificiorum prædictæ Eccleſiæ, intro du-
„ cendo eas in ipſam Eccleſiam & domos & Sedimen, &
„ aſſignando eis claves Eccleſiæ & domorum. Actum ad
„ prædictam Eccleſiam Sancti Apollinaris; unde plura In-
„ ſtrumenta uno tenore fieri rogata ſunt.

„ Interfuerunt Teſtes rogati Magiſter Anſelmus de Ca-
„ ſtegnanega, Canonicus Sancti Nazarii, filius qu Hugonis
„ de Caſtegnanega, & Rogerius, filius qu. Griffi de Ta-
„ vernaſco, de Puſterla Sanctæ Ehuſemiæ, & Guido & Pe-
„ trus fratres, filii qu. Bertrami Zocolæ de Verzario, om-
„ nes Civit. Mediolani.

„ Ego Guidottus, filius qu. Nigri Bachi de Burgo fo-
„ ris Portæ Romanæ, Civis Mediol., Notarius & Regis
„ Miſſus interfui, & rogatus ſcripſi.

Num.

Digitized by Google

Num. III.

Facultas conceſſa ab Henrico Archiepiſcopo Mediolanenſi Jacobæ Abbatiſſæ & Sororibus Ordinis de Spolito, conſtruendi Monaſterium prope Eccleſiam Sancti Apollinaris, Anno MCCXXV., IV. Febr.

„ In Nomine Domini. Anno a Nativitate Domini No-
„ ſtri Jeſu Chriſti milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, die
„ Martis quarto menſis Februarii, Indictione tertiadecima.
„ In præſentia Alberti de Summovico, & Guilicioni Cumini
„ Notariorum, & infraſium, c riptorum Teſtquorum nomina
„ ſubtus &c. Dominus Henricus Dei gratia Sanctæ Medio-
„ lanenſis Eccleſiæ Venerabilis Archiepiſcopus, de mera libe-
„ ralitate ſua, ac conſenſu infraſcriptorum Fratrum ſuorum,
„ videlicet Alberti Archipresbyteri, Guilielmi Archidiaconi,
„ Girardi Vicedomini, Alcherii de Tertiago, Guilielmi Ra-
„ ne, Gonfredi de Caſtelliono Cancellarii, Arnaldi de Man-
„ dello, Amizonis de Porta Romana, Rogerii della Turre,
„ Obizonis de Lampuniano, Guilielmi de Puſterla, atque
„ Ambroſii de Pateobonello, ejuſdem Sanctæ Mediolanenſis
„ Eccleſiæ Ordinariorum, ob honorem Dei & reverentiam
„ Apoſtolicæ Sedis, & intuitu pietatis, ac obtentu Vene-
„ rabilis Patris Ugonis, Dei gratia Hoſtienſis & Velletren-
„ ſis Epiſcopi, donavit & conceſſit atque tradidit Eccleſiam
„ Sancti Apollinaris ſitam juxta Foſſatum Civitatis Mediola-
„ ni, non multùm longe a Porta Romana, cum Sedimine

„ & horto prope prædictam Eccleſiam, & terra illa, quæ
„ conſuevit eſſe via, quæ eſt a meridie partis illius Ec-
„ cleſiæ, & alia petia terræ, quam Syro Moronus nomine
„ & ad partem infraſcripti Monaſterii aquiſivit ab Officia-
„ libus dictæ Eccleſiæ Sancti Apollinaris, prout in alio
„ quodam publico Inſtrumento illius aquiſiti, a me infra-
„ ſcripto Ambroſio Percoſſo Notario tradito & ſcripto con-
„ tinetur, Dominabus Jacobæ & Sororibus ejus tam præ-
„ ſentibus quàm futuris ab habendum & tenendum, ac con-
„ ſtruendum ibi Monaſterium in honorem Beatiſſimæ atque
„ glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & Beati Martyris Apollina-
„ ris, in quo illæ & aliæ Ancillæ Chriſti præſentes & fu-
„ turæ in paupertate Domino famulentur, juxta formam
„ vitæ pauperum Dominarum clauſarum, in Valle Spoliti ma-
„ nentium, eiſdem Sororibus auctoritate Domini Papæ tradi-
„ tam per Epiſcopum memoratum, & Monaſterium & lo-
„ cum illum ac Sorores ab omni Epiſcopali jurisdictione
„ tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus prorſus exe-
„ mit, nihil ſibi reſervans in eo, præter Dedicationem Ec-
„ cleſiæ, Conſecrationes Altarium, benedictiones Abbatiſſæ
„ ſeu Monialium, cùm ab Abbatiſſa & Sororibus propter
„ hoc fuerit requiſitus, ſi tamen ipſe Dominus Venerabilis
„ Archiepiſcopus & Succeſſores ſui gratis hæc & ſine pra-
„ vitate voluerit exhibere. Reſervavit etiam ſibi & Archie-
„ piſcopatui duos Cereos duarum librarum in Feſto Sancti
„ Apollinaris, nomine Cenſus, annis ſingulis perſolvendos.
„ Sorores verò ipſæ, ſi traditam ſibi formam Religionis
„ aliquando deſerentes, eam prorſus contempſerint obſerva-
„ re,

„ re, & ſæpe quoque admonitæ ſe corrigere non curarent, „ ex tunc juriſdictioni ipſius Domini Venerabilis Archiepiſcopi & Succeſſorum ejus Monaſterium ipſum, & locus „ ac perſonæ liberè revertantur. Et hanc donationem ſive „ conceſſionem ut ſupra &c. firmam & ratam omni tempore „ habere promiſit, & nullo tempore contravenire. Actum „ ſupra Solarium Monaſterii Sanctæ Mariæ de Burgo Can- „ turio.

„ Interfuerunt Teſtes Ardericus Præpoſitus Plebis de Galliano, Magiſter Anſelmus Camerarius dicti Domini Archiepiſcopi, filius qu. Ugonis de Caſtenianega, Presbyter „ Amizo Canonicus Sancti Laurentii, Albericus de Ouretis „ Canonicus de Vicomercato, Ariprandus filius Alberti Judicis de Alzate, Matthæus filius qu. . . . . de „ Settarra, Franciſcus filius qu Lanfranci de Settarra, „ atque Manfredus filius Thomaſi de Settarra, qui tres Teſtes ſunt de Civitate Mediolani, ſed habitant in Loco „ Settarra.

„ Ego Ambroſius filius qu. Jacobi, qui dicebatur Percoſſus, de Parochia Sancti Protaſii ad Monachos, Civis Mediolanenſis, Notarius Domini Henrici Regis, hanc Chartam tradidi, & ſcripſi, ut ſupra.

Num.

Num. IV.

Donatio cujuſdam Horti adjacentis Eccleſiæ Sancti Apollinaris, facta ab Henrico Archiepiſcopo Mediolanenſi, Jacobæ Abbatiſſæ & Sororibus Ordinis de Spolito, Mediolani commorantibus, Anno MCCXXVIII., XXVI. Aprilis.

„ In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno „ Nativitatis ejuſdem milleſimo ducenteſimo vigeſimo octa„ vo, Pontificatus verò Domini Gregorii noni Papæ anno „ ſecundo, Indictione prima, menſe Aprilis, die vigeſimo „ ſexto. Nos Henricus miſeratione Divina Sanctæ Medio„ lanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Divinæ pietatis intuitu, „ & ad preces Domini Gregorii Summi Pontificis, ac ani„ mæ noſtræ remedio, hac die præſentialiter ex nunc „ damus, cedimus, tradimus, concedimus & confirma„ mus tibi Fratri Martino, recipienti ad opus & utilita„ tem Monaſterii Sanctæ Mariæ apud Sanctum Apollinarem, „ & ipſius Monaſterii Abbatiſſæ & Monialium, & per „ te ipſis Monaſterio, Abbatiſſæ, & Monialibus, & earum „ Succetricibus in dicto Monaſterio permanentibus, Regulam „ a Summo Pontifice eiſitadem exhibm obſervantibus, prout „ in aliis quampluribus pleniùs continetur Inſtrumentis, in „ perpetuum. Ideſt quemdam Hortum eidem Monaſterio „ adjacentem, ſicuti infra hos ſuos concluditur fines: a

„ primo

„ primo latere eſt Domus Humiliatorum ; a ſecundo tenet
„ dictum Monaſterium ; a tertio eſt via publica ; a quarto
„ verò latere eſt Eccleſia Sancti Apollinaris , & domus
„ ejuſdem , cum omnibus introitibus & exitibus ipſius Hor-
„ ti , & omnibus ejus uſibus , utilitatibus , & pertinentiis in-
„ ferius & ſuperius ibi habitis , ad habendum , poſſidendum,
„ fruendum , tenendum , & ùt dictum eſt perpetuò , ad
„ omnia faciendum , quæ dictis Abbatiſſæ , & Monialibus de
„ ipſo Horto facere placuerit , ſicut nos & noſtri Succeſſo-
„ res facere deberemus ; nihil enim exinde nobis , aut ali-
„ cui cuiquam reſervato , excepto quòd Corradus Presbyter ,
„ Sinibaldus , & Waldericus , quondam Sancti Apollinaris
„ Beneficiales , & nunc Beneficiales Eccleſiæ Sancti Joannis
„ in Brulio habebunt quilibet ipſorum pro parte ſua de ipſo
„ Horto uſufructum in vita ſua , quoniam eis in Benefi-
„ cium datus fuit , ita tamen quòd alter alteri poſt mor-
„ tem alterius de jam dicto Horto ſuccedere nunc poſſit .
„ Imo volumus & ſtatuimus ut quicumque ipſorum deceſſe-
„ rit , prædicto Monaſterio de jam dicto Horto moriatur ,
„ ſuccedendo in ipſo Monaſterium antedictum . Poſt mortem
„ omnium prædictorum , libere & ſine cujuſquam contradi-
„ ctione idem Hortus remaneat Monaſterio memorato . Obli-
„ gantes nos & Succeſſores noſtros ut ſupra , hanc donatio-
„ nem , ceſſionem , conceſſionem , confirmationem , & om-
„ nia ſupradicta rata & firma perpetuo habere , & contra
„ non venire , ſed obſervare . In hujus autem rei eviden-
„ tiam pleniorem hoc præſens publicum Inſtrumentum no-
„ ſtri ſigilli munimine roboravimus . Actum Reat , præſenti-
„ bus

„ bus Teſtibus ſubſcriptis, ad hoc ſpecialiter rogatis, vi-
„ delicet:

„ Jacobo Presbytero de Vicedomino Capellano Sancti
„ Salvatoris teſt.

„ Landulfo de Caſtroſeprio Canonico de Selagrio teſt.

„ Corrado Canonico Sancti Ambroſii teſt.

„ Et Fulco de Ervis Canonico de Domo Mediol teſte.

„ ✠ Ego Albertus Amiconus Mediolanenſis Eccleſiæ
„ Archipresbyter ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Magiſter Stephanardus Balbus Mediol. Ordi-
„ narius ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Albericus Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinarius,
„ & Primicerius ejuſdem ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Villielmus de Rozolio Mediolanenſis Eccle-
„ ſiæ Archidiaconus.

„ ✠ Ego Guillielmus Mediolanenſis Maj. Eccleſiæ Or-
„ dinarius ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Ambroſius, cognomine Percoſſus, Notarius,
„ mandato Domini Ribaldi Burri Mediolanenſis Diaconi
„ ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Lanterius Scaccabarotius Mediolanenſis Eccle-
„ ſiæ Ordinarius ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Azo Vicecomes Mediolanenſis Eccleſiæ Or-
„ dinarius ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Rugerius de la Turre Mediolan. Ordinarius
„ & Diaconus ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Ambroſius Ordinarius M. ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Hugo Mediolanenſis Cimiliarcha, & Domi-
„ ni

„ ni Papæ Subdiaconus ſubſcripſi.

„ ✠ Ego R. S. Dei gratia Sacri Romani Imperii Scri-
„ niarius, habens poteſtatem dandi Tutores, Curatores, eman-
„ cipandi, Decretum interponendi, alimenta decernendi, &
„ public. fac., quia hiis interfui ſupradictis, hoc Inſtrumen-
„ tum ſcripſi, & complevi rogatus.

Digitized by Google

GULIELMUS RUZZOLIUS.

POſt dies XXVIII. vacantis Sedis Succeſſor Henrico datus eſt Gulielmus, ſeu Willielmus Ruzzolius, ſive de Rozolo, *cum omni pace & concordia, totiuſque Capituli conſenſu & favore*, pridie Idus Octobris Anni MCCXXX., quemadmodum tradit Catalogus hucuſque laudatus, ſcriptus ab Auctore coævo, & Mediolani degente. Hac autem in re fallitur Ughellus, qui ejuſdem electionem differt ad Annum ſequentem MCCXXXI. in utraque Editione; fortaſſe quòd ejuſdem oculis nondum obvia fuiſſet funebris Inſcriptio, poſtmodum appoſita Tumulo Henrici Archiepiſcopi, in qua Annus MCCXXX. aſſignabatur illius morti, cùm ea minimè reperiatur in prima Editione.

Antequam de præclariſſimis rebus a Gulielmo geſtis diſſeramus, prætereundum non eſt Elogium, quod eidem contexit Auctor *Annalium Mediolanenſium*, editorum Tom. XVI. *Scriptor. Italiæ*, qui Hiſtoriam ſuam ab hoc Gulielmo Antiſtite ſcribere inchoavit: *Gulielmus* (inquit ille) *in bellis quaſi tonitru, in conſilio gigas, mirabili lingua clariſſimus fuit*.

Archidiaconi Dignitate in noſtra Metropolitana Baſilica decoratus erat, cùm Ambroſianam Sedem conſcendit Gulielmus. Sequenti Anno MCCXXXI. Gregorius IX. Summus Pontifex Legem tulit, confirmatam a Senatu Romano, & ab

ab ipſo etiam Imperatore Federico II., qua excommunicationis ſententiam protulit contra Hæreticos Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Joſeppinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & alios hujuſmodi, quos etiam proſcriptionibus pœniſque graviſſimis afficiendos, ubicumque occurrerent aut latitarent, Rectoribus Civitatum indixit. Ad Archiepiſcopum quoque noſtrum Epiſtolam dedit, hoc anno expeditam, quam Raynaldus ex Regeſto Vaticano ſummatim recenſuit, monens eumdem ac Suffraganeos ſuos, ut pari ſtrenuitate in impios homines hac peſte infectos conſurgerent. Non defuit muneri ſuo Archipræſul noſter, qui amore Catholicæ Religionis jam incenſus, acceptis Summi Pontificis mandatis ferventior factus, conatus omnes ſuos impendit, ut intactam ſervaret hanc Domini vineam, ne eam exterminaret aper de ſilva, aut ſingularis ferus depaſceretur. Sanè fructus ſolicitæ vigilantiæ noſtri Archiepiſcopi biennio poſt apparuere, cùm ab ipſo exſtimulati procul dubio Civitatis hujus Rectores, Catharos, qui jam ab ævo Sancti Galdini altas in hoc Solo radices jecerant, tamquam venenata germina ferro & igne prorſus conſumpſerint. Viſitur etiam in hodiernum diem Marmor in latere Plateæ Mercatorum Urbis noſtræ, quod ſculptum refert Prætorem Oldradum Trixinum equo inſidentem, qui ignis pœnâ expurgavit a maligna Catharorum lue florentiſſimam hanc Civitatem. In calce autem memorati Lapidis inciſa leguntur hæc Carmina:

MCCXXXIII. DOMINUS OLDRADUS DE TREXENO POTESTAS MEDIOLANI:

ATRIA QUI GRANDIS SOLII REGALIA SCANDIS
CIVIS LAUDENSIS, FIDEI TUTORIS ET ENSIS,
PRÆSIDIS HEIC MEMORES OLDRADI SEMPER HONORES,
QUI SOLIUM STRUXIT, CATHAROS, UT DEBUIT, UXIT.

De hoc noſtro Archiepiſcopo, Galeſinii teſtimonio, Ughellus ſequentia refert: *Gregorius IX. illum legavit ad Imperatorem Federicum II, ut contra Saracenos expeditionem ſuſciperet. Mediolanum reverſus, eumdem Federicum, tamquam Eccleſiæ hoſtem ſubmovit a communione Fidelium, contraque ipſum multos mortalium Cruceſignatos vocavit ad arma*. Nonnulla in hac narratione comperimus, quibus faciles aures accommodare nequimus. Siquidem Sigonius & Raynaldus, dum ad Annum MCCXXVII., mentionem agunt Gregorii IX., Honorio III. in Summo Pontificatu ſuffecti, aſſerunt, ſtatim ab initio ſui regiminis admonitum fuiſſe ab ipſo Federicum, *ut quod ſæpiùs Honorio ſpoponderat, neque umquam præſtiterat, tamdem expleret; atque hanc gratiam a ſe & ab omnibus Chriſtianis iniret, ut Sanctum Chriſti Sepulcrum ex impiorum manibus extorqueret*; verba ſunt Sigonii. Verùm de Legatione Archiepiſcopi noſtri ad eumdem ſilent Hiſtoriæ; præſertim cùm hæc integro triennio ante contigerint, quàm Galielmus in Archiepiſcopum deligeretur. Cùm autem in gratiam Gregorii IX. rediiſſet Federicus, exceptus ab ipſo Pon-

Pontifice Maximo Anagniæ, & menſæ etiam adhibitus Anno MCCXXX., inducias cum ipſo ſancivit; quæ tamen Imperatoris culpâ citò abruptæ fuerunt: Anno enim MCCXXXIX. Summus ille Hierarcha eumdem Imperatorem anathemati ſubjecit, coactus renovare hanc pœnam a violenta illius irruptione in Eccleſiaſticum Patrimonium, aliaſque Urbes, quæ vel juris erant Pontificii, vel Pontifici favebant; nec ampliùs ſub hoc Cæſare actum eſt de mittendis in Orientem Cruceſignatis. Quapropter neſcimus, quando Legatio ad eumdem demandata fuerit Archiepiſcopo noſtro.

Quod attinet ad excommunicationem a Gulielmo Archipræſule noſtro latam, de qua Galeſinius & Ughellus agunt, non inficiamur, promulgatam fuiſſe hanc Sententiam a Gulielmo; non tamen nomine proprio, ſed Gregorii Summi Pontificis, qui univerſis Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis mandavit, ut inflictum hoc anathematis telum ſuis in Diœceſibus publicè denunciarent. Quinimo Gregorius Pontifex Crucem indixit adversùs Federicum Eccleſiæ rebellem, multoſque ad eam ſumendam incitavit; utque adimpleretur voluntas ipſius Summi Hierarchæ, Legatum miſit ad Mediolanenſes, quos optimè noverat ſuopte genio acerrimos eſſe Federici hoſtes. Commiſſa eſt hæc Legatio Gaufrido de Caſtelliono, natione Mediolanenſi. Fuerat iſte ſeveriori morum diſciplinâ ſub Sancto Galdino inſtitutus primò, deinde Metropolitanæ Baſilicæ Archipresbyter & Cancellarius declaratus. Poſtmodum ſub Patrui Urbani III. Pontificatu, Mediolanenſis Eccleſiæ adminiſtrandæ onus ſibi ab eodem Pontifice oblatum, aureâ ſuâ mediocritate contentus, magnanimo

mo ſpiritu a ſe rejecit. Defuncto Urbano Monaſticam vitam in Sabaudia profeſſus, haud longo poſt tempore a Gregorio IX. reluctans e Clauſtro reductus eſt, & Presbyter Cardinalis Titulo Sancti Marci primò, deinde Sabinenſis Epiſcopus renunciatus. Demum confectus ſenio in ejuſdem Gregorii locum, ſub Cœleſtini IV. nomine ſuffectus, decimooctavo ab electione ſua die morti conceſſit, quemadmodum narrat Oldoinus. Iſta omnia nos aliquantulum digreſſi, ad illuſtrandam Eccleſiaſticam Mediolanenſem Hiſtoriam hoc loco retulimus; præcipuè cùm Ambroſianæ Infulæ eidem oblatæ, atque admirabili modeſtia ac moderatione recuſatæ gloriâ inſignis, commemorari in hac Serie Antiſtitum noſtrorum, ad æternam Civium Mediolanenſium venerationem Gaufridus mereatur. Is itaque in hanc Urbem delatus omnium animos incendit contra Fridericum; ſicuti etiam intrepidè peregerunt Primores Mediolani Cives, miſſis in ſubſidium Eccleſiæ militibus ſuis. Huic operi conficiendo inſudaſſe pro virili Gulielmum etiam Archiepiſcopum, nemo vertet in dubium, tum ob ſupremam, qua in urbe pollebat, auctoritatem, tum quia imperterriti erat animi, & non tam hujus Eccleſiæ, ſed totius Catholicæ Religionis bono conſervando promovendoque addictiſſimi.

Non minori ſolicitudine ſtudia & conatus omnes impendit Gulielmus, ut in hac metipſa Metropoli ejus curæ commiſſâ cultus religionis floreret, & peculiaria Deo obſequia diu noctuque perſolverentur. Excepta fuerat a Prædeceſſore ſuo Henrico Septala Sacra Virginum cohors, quæ ſub Seraphici Patris Franciſci Regula ac diſciplina inviolatam morum

rum caſtimoniam ſervabant, & in Aſceterio, Sancti Apollinaris Eccleſiæ adjacente ſuaviſſimum angelicæ vitæ odorem ſpirabant. Haſce Domini Ancillas peculiari amore fovebat Gregorius IX. Summus Pontifex, ſuo illas patrocinio dignatus. Quamobrem Gulielmus Archiepiſcopus, ut Pontificis Maximi benevolentiæ gratiam referret, & propenſos jam earum animos ad virtutem vehementiùs inflammaret, necnon ut ab omni externi Fori ſtrepitu ſemotas ad ſolius Dei dilectionem & ſervitutem curandam impelleret, Monaſterium illud, incolaſque omnes ejuſdem præſentes ac futuras, ab Ordinariæ poteſtatis juriſdictione ſolutas declaravit, expedito Diplomate in hujus peculiaris indulgentiæ teſtimonium, quod in Archivo memorati Cœnobii adhuc ſuperſtes, non abs re erit, in publicam lucem proferre:

„ Gulielmus Divina miſeratione Sanctæ Mediolanenſis Ec-
„ cleſiæ Archiepiſcopus Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſ-
„ ſæ & Sororibus Monaſterii Beatæ Mariæ, & Beati Apol-
„ linaris, conſtructi extra Portam Romanam, juxta Foſſa-
„ tum Civitatis, Salutem & benedictionem. Cùm Monaſte-
„ rium in honore Beatæ & glorioſæ ſemperque Virginis Ma-
„ riæ, & Beati Apollinaris in loco memorato conſtrui fe-
„ ciſſetis, ut ibidem devote Domino famulantes, pro nobis &
„ aliis peccatoribus orare poſſitis, humiliter poſtulaſtis, ut
„ Monaſterium & perſonas ibidem Domino ſervientes intuitu
„ pietatis & pro redemptione peccatorum noſtrorum a jure
„ Epiſcopali, ſeu alterius conditionis gravamine, tam in
„ temporalibus, quàm in ſpiritualibus pleno jure eximere
„ deberemus: Ea propter piæ ac humili petitioni pro con-
„ cur-

„ currentes aſſenſu, præfatum Monaſterium & perſonas illic „ vel in futurum commorantes cum omnibus bonis ſuis, conſenſu & voluntate Capituli ab omni jure Epiſcopali, & „ cujuslibet conditionis obligatione, tam in ſpiritualibus quàm „ in temporalibus pleno jure liberamus & eximimus; nihil „ aliud nobis & Eccleſiæ Mediolanenſi in eiſdem reſervantes, niſi Conſecrationem Eccleſiæ & Altariorum, cùm fuerimus requiſiti, ſi tamen nos & Succeſſores noſtri gratis „ & ſine pravitate aliqua voluerimus conſecrare. Reſervamus „ etiam nobis unam libram ceræ in Feſto Beati Apollinaris octo diebus ante, vel octo diebus poſt, pro cenſu „ nobis annis ſingulis perſolvendam. Dat. Mediolani milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo, die Sabbati, nono Calendas Junii, Indictione quarta.

„ ✠ Ego Willielmus de Rizolio Mediolanenſis Eccleſiæ „ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Albertus Amiconus Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbyter ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Magiſter Stephanardus Balbus Mediolanenſis „ Eccleſiæ Ordinarius & Presbyter ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Girardus de Baſegapede Presbyter & Vicedominus ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Alcherius de Tertiago Mediolanenſis Eccleſiæ „ Ordinarius & Primicerius Ferulæ ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Guillielmus Rana Mediolanenſis Ordinarius ſubſcripſi.

„ ✠ Ego Fulco de Dervio Mediolanenſis Eccleſiæ Presbyter Ordinarius ſubſcripſi.

„ ✠ Ego

„ ✠ Ego Arnaldus de Mandello Mediolanenſis Ordina-
„ rius ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Stephanus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Ar-
„ chidiaconus ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Ambroſius , qui dicor Percoſſus , nomine iſti Do-
„ mini Ribaldi Burri Mediolanenſis Diaconi ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Amizo de Porta Romana Mediolanenſis Or-
„ dinarius ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Rogerius de Turre Mediolanenſis Ordinarius
„ ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Ambroſius de Puteobonello Ordinarius ſub-
„ ſcripſi .

„ ✠ Ego Hugo de Settarra Mediolanenſis Eccleſiæ Or-
„ dinarius , & Domini Papæ Subdiaconus ſub cripſi .

„ ✠ Ego Willielmus de Puſterla Mediolanenſis Ordina-
„ rius , & Subdiaconus ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Azo Vicecomes Mediolanenſis Eccleſiæ Or-
„ dinarius , & Domini Papæ Subdiaconus ſubſcripſi .

„ ✠ Ego Conradus de Settarra Ordinarius Eccleſiæ Me-
„ diolanenſis , & Subdiaconus Domini Papæ ſubſcripſi .

Tranſmiſit illud ad Supremum Hierarcham Archipræſul noſter , ut Pontificia approbatione & auctoritate ratum haberetur , & firmitatem acciperet . Nec abnuit Gregorius IX. , qui datis Apoſtolicis Literis III. Nonas Maji , Indictione VIII. , Anno MCCXXXV. , inſertam iiſdem Archiepiſcopalem Gulielmi Chartam laudavit approbavitque . Extant hæ quoque in eodem Monialium Archivo .

Idem Romanus Pontifex , ut paternæ benevolentiæ tene-

 ritudi-

ritudinem, qua Ancillas haſce Crucifixi Domini earumdem Sponſi foveat, oſtenderet, & ne Sancti. Apollinaris Moniales, jejuniis vigiliis ac ſuſcepta regulari diſciplina attritæ, neceſſariis ad reficiendas vires auxiliis laborarent, preces ad Gulielmum Archiepiſcopum miſit, Literis Anagniæ datis VII. Calendas Martii, Pontificatus ſui anno ſexto (Chriſti MCCXXXII.) rogans eum, ut liberales manus erga illas extenderet, agrum quemdam iiſdem perneceſſarium largiendo. Pontificiam paginam hoc loco damus, ex harum Monialium Tabulario depromptam, cùm in non modicam Archiepiſcopi noſtri gloriam vergat.

„ Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Vil. Archiepiſcopo Mediolanenſi ſalutem & „ apoſtolicam benedictionem. Cùm olim ad preces noſtras, „ cùm adhuc eſſemus in minori Officio conſtituti, dilectis „ in Chriſto Filiabus, Abbatiſſæ & Sororibus Monaſterii Sanctæ Mariæ de Mediolano Eccleſiam Sancti Apollinaris Mediolan. duxeris concedendam, Tibi ejus poſſeſſionibus integraliter reſervatis, & quidam campus de dictis poſſeſſionibus eſſe dicatur juxta Monaſterium ſupradictum, ex „ quo cùm inde tranſitus habeatur, Sorores ipſæ multa incommoda patiuntur, Fraternitatem tuam rogamus in Domino, quatenus pro Divina & noſtra reverentia, gratiæ „ gratiam ſuperaddens, prædictum Campum concedas liberaliter Abbatiſſæ & Sororibus memoratis; ita quòd eædem „ pro te offerre Domino orationis incenſum ſpecialiter teneantur, noſque devotionem tuam commendare meritò debeamus. Datum Ananiæ VII. Calendas Martii, Pontificatus „ noſtri anno ſexto.

Id

Id ipſum ſine mora implevit memoratus Præſul, quemadmodum conſtat ex Charta Donationis, in cujus exordio hæc leguntur: *Willelmus de Rizolio Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Venerabilis Archiepiſcopus, volens reverenter & devote preces Domini Papæ exaudire & adimplere* &c.

Humiliatorum quoque Ordini beneficentiſſimus fuit Gulielmus, Privilegium concedens Mediolanenſibus Fratribus, expeditum die XII. Octobris Anni MCCXXXVI., quo illis licentiam impartiebatur, Cœmeterium habendi, & Sacerdotes qui iiſdem Sacramenta miniſtrarent. Extat hæc Charta apud Clariſs Nicolaum Sormanum Collegam noſtrum, Collegii Ambroſiani Doctorem.

Contigerat Anno MCCXXXVII. feralis illa direptio, qua Papienſes milites, abjectâ prorſus reverentiâ Deo debita ejuſque ſacris Miniſtris, improvisâ nocturnâ irruptione Monaſterium Morimundenſe adorti, illud ad extremam propemodum vaſtitatem redegêre, ſupellectilem omnem expilantes tam quæ Monachis, quam quæ Altaribus inſerviebat; Imo nec innocentibus quoque Aſcetis parcentes, eos omnes indumentis exutos e clauſtris expulêre, cæſis aliis verberibus, aliis vulneribus, & pudendo ipſis Barbaris facinore omnibus malè affectis. Quin etiam in eorumdem agreſtes Villas & domos furibundâ rapacitate debaccantes, cunctis frugibus & frumentaria meſſe, paratâ ad alimentum Servorum Dei, peſſime habitis quoque Villicis, eas denudaverunt; omnia ſecum in Patriam reportantes, veluti ſpolia triumphalis nefandiſſimi patrati ſceleris, & monumenta glorioſa execrabi-

lis exercitæ in inſontes inermeſque pluſquam ferinæ crudelitatis. Itaque relictis ſub dio infelicibus Monachis, nec quo ſe tegerent, nec quo famem ſedarent quidquam præſto erat. Lacrymas ſimul & indignationem ciet tragicæ hujus Hiſtoriæ lectio, quam integro Libello complexus eſt Monachus, qui eidem interſuit non teſtis tantùm, ſed particeps inſani Papienſium furoris; eamque publici juris fecit Ughellus Tom. IV. *Italiæ Sacræ*, ubi de hoc Archiepiſcopo noſtro agit. Ad miſerrimæ hujus calamitatis nuncium intimo cordis dolore percitus Antiſtes Gulielmus, caritatis ſuæ viſcera aperuit, totuſque ad eorum ſubſidium converſus in ulnas ſuas illos recepit, atque ad Deum preces primò effudit, ut hæreditatem ſuam ab impiorum manibus vindicaret, & fideles Servos ſuos potenti brachio tueretur. Extat præclariſſima tam pio Præſule digna Oratio ad Deum emiſſa, ut opem deſolatæ huic Familiæ impertiretur, & Monachorum lacrymas ſolaretur, ac immeriti a propriis Clauſtris exilii acerbitatem, in eorum quoque vultibus depictam ſupernæ gratiæ ſuæ dulcedine temperaret; eamque integram recitat Ughellus loco laudato, a Monacho coævo chartis commiſſam.

Quoniam verò Monachorum indigentia præſentiſſimum expoſcebat remedium, Gulielmus ære proprio ſuppetias attulit, juſſitque ut Ædes monaſticæ vel dirutæ, vel incenſæ ſtatim reficerentur. Nec deſtitit, officia ſua apud religioſos præſertim Viros impendere, ut profugos atque extorres Dei Servos in amicum ſecum contubernium admitterent: Qua in re Humiliati Fratres plurimùm emicuere, eoſdem Monachos in fraternæ ſocietatis conſortium promptiſſime recipientes.

Digitized by Google

tes. Ne autem inulta remaneret impia & effrons Papienſium temeritas, tremendum excommunicationis fulmen in illos contorſit Gulielmus, itemque Literas ad Summum Pontificem dedit, ut Apoſtolicis præceptis impudentes hoſce raptores ad juſtam ſatisfactionem tam perfidè peſſumdatarum humanarum ſimul divinarumque legum, & ad illata per ſummum nefas damna promptâ plenâque compenſatione redintegranda, urgeret cogeretque. Acceptis hiſce Literis, deteſtatione indigni facinoris, ſimulque erga afflictos Monachos miſeratione commotus Gregorius IX. Pontifex Maximus, Epiſcopo Vercellenſi in mandatis dedit, ut reos atrocis adeò ſceleris Papienſes in judicium vocaret, eoſque per Eccleſiaſticas cenſuras ad plenam tanti reatus ſatisfactionem compelleret adigeretque. Reliquum lugendæ hujus Hiſtoriæ, quod in teterrimum dedecus & probrum vergit claræ aliunde Ticinenſis Urbis, non vacat referre, cùm legi poſſit in Ughello, loco ſuperiùs indicato. Quod ad noſtrum Archiepiſcopum attinet, id meritò memoramus, nempe induſtriâ & largitate ipſius ac Succeſſorum effectum eſſe, ut Cœnobium illud, quod in ſpeluncam latronum repetitis etiam vicibus Papienſes converterant, in priſtinum decus & majeſtatem redactum fuerit.

Plurimis laudibus Gulielmum exornat Anonymus Catalogi Auctor, tunc vivens, conditis ſequentibus carminibus:

Quem pietas redimit, quem lex Divina reformat,
Quem mores laudant, quem vita beata coronat,
Artibus inſtructus, Divino fonte repletus,

Exem-

Exemplisque ſuis nos omnes ipſe docebat.
Eloquio Marcus Cicero nam Tullius iſte.
In bello Turnus, quando ferus hoſtis agebat;
Alter Cato fuit, quem pax tranquilla juvabat,
Nam dabat optanti pacem ſibi quando petebat.
Quid referam? Non ultra valet mea lyra ſonare:
Nam mihi ſi centum linguas Deus ipſe dediſſet,
Laudes nempe tuas non poſſem dicere cunctas &c.

Subdit verò: *Præfatus Domnus Guilielmus ſedit in Epiſcopali Sede annis X. & menſibus V., & diebus XV. Obiit MCCXLI., quarto die exeunte Martii. Vacavit autem Sedes menſibus II., diebus XIX. Sepultus eſt in Monaſterio Clarevallenſi.*

Sepulcrum marmoreum, in quo conditum erat Gulielmi Archiepiſco p corpus, excifum poſtmodum fuit ſimul cum aliis Inſignium Virorum monumentis, per inſcitiam unius Abbatis, ùt ſcribit Ughellus. Sed malè exſcriptum eſt Epitaphium, quod olim inerat huic Tumulo, in hæc verba, quæ Editores Veneti Ughello in calce addidere:

HIC

HIC JACET D. GULIELMUS DE RIZOLIO,
MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS,
VIR IN SCRIPTURIS ADMODUM ERUDITUS,
QUI OBIIT ANNO,
MCCXLI., DIE QUARTO EXEUNTE APRILI.

certò enim novimus ex memorato Anonymo Scriptore, Gulielmum deceſſiſſe die quarto exeunte Martii, ideſt die XXVIII. ejuſdem menſis.

FR. LEO VALVASSORIUS DE PEREGO.

EX nobili Mediolanenſi Familia Valvaſſorum de Perego ortus Leo, vacuam, ob Gulielmi Ruzzolii mortem, Archiepiſcopalem Sedem implevit Anno MCCXLI., poſt duos menſes, & dies XIX. Sedis vacantis, electus die, Sancto Vito Martyri ſacro, ideſt die XV. Junii, ùt tradit Anonymus Auctor Catalogi MS, in Metropolitanæ Baſilicæ Bibliotheca ſervati, quem hactenus adhibuimus. Galvaneus Flamma, iis temporibus æqualis, *in Manipulo Florum*, edito Tom. XI. *Rerum Italicar.*, Cap. CCLXXIV. ejuſdem Natalem ita deſcribit: *Quidam Vir nomine Guilielmus de Perego genuit Filium, qui cùm adhuc in utero Matris haberetur, Mater ſomniavit, quòd pariebat Filium, qui brachii proprii ſanguine multos potabat, quorum corda confortabantur* &c. Id autem ipſemet Leo in Archiepiſcopali Dignitate conſtitutus ſæpiùs commemorabat, ùt idem Galvaneus ibidem teſtatur. Ingreſſus Ordinem Minorum, *factus eſt Vir magni conſilii, magnæ auſteritatis, & mirabilis opinionis*, verba ſunt Galvanei. Theologicis ſtudiis addictus tantum profecit, ut in Divina ea ſcientia facilè princeps haberetur: Facundià quoque ſingulari præditus, in annunciando Dei verbo omnium animos ſibi devinciebat, pluresque a via veritatis aberrantes in æternæ ſalutis tramitem reduxit. Ob ſplendidas haſce ingenii animique dotes ſummam apud omnes exiſtimationem adeptus, primò ex Superiorum

riorum mandato præfectus eſt univerſæ Langobardicæ Provinciæ Ordinis ſui ; dein a Summo Pontifice Gregorio IX. ſocius datus eſt Gregorio de Monte-longo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali , Apoſtolicæ Sedis Legato contra Federicum II. Eccleſiæ rebellem : Quo in munere ita ſe viriliter geſſit , ut Federicus ipſe ſcribens ad Angliæ Regem , conqueſtus apud illum ſit de acri obſtinatoque fervore , quo animos populorum ad arma contra ipſum capienda Leo incitabat , his verbis : *Præfectos Mediolanenſes , imo veriùs Papalis exercitûs ſtatuens loco ſui* (nempe Gregorii IX.) *Gregorium de Monte-longo , & Fratrem Leonem Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum , qui non ſolùm accincti gladiis & galeis muniti , falſas militum imagines oſtendebant , verùm etiam prædicationi inſiſtentes , Mediolanenſes & alios , quicumque noſtrant & noſtrorum perſonam offendebant , a peccatis omnibus abſolvebant . Hodie quidem prædicti Legatus & Frater , contra nos & Imperium ſe ſcribunt Rectores & Dominos* &c. Epiſtolæ variæ hujus Leonis , dum prædicto munere fungeretur , ad Gregorium IX. Summum Pontificem , alioſque Italiæ Principes datæ ob eorum implorandum auxilium contra hunc Schiſmaticum Cæſarem , extant apud Clariſs. Nicolaum Sormanum , ſuperiùs laudatum .

Excitatæ jam a longo tempore in hac Metropoli Civiles diſcordiæ inter Nobiles ac Plebejos , eâ ætate acerbiùs exardebant . Quamobrem cùm e vivis exceſſiſſet Gulielmus Archiepiſcopus , actum eſt inter Baſilicæ Metropolitanæ Electores de altero ſubſtituendo . In varias partes primarium illud Canonicorum Collegium diſtrahebatur : Verùm , ne va-

cua Sedes diutiùs Paſtorem deſideraret, in tam afflicta Urbis conditione captum eſt conſilium, Fratrem Leonem adeundi ſuis jam Clauſtris reſtitutum, cujus doctrinæ & dexteritatis fama cunctas Italiæ regiones pervaſerat; ut quem dignum Archiepiſcopali Solio reputaret, arbitrio ſuo decerneret. Ferunt antiqui & recentes Mediolanenſes Hiſtorici, in hac poteſtatis plenitudine conſtitutum Leonem, ſeipſum in Archiepiſcopum delegiſſe. Ughellus autem recitat etiam brevem Orationem, qua allocutus eſt Electores in publicis Comitiis; ſed ex quo Codice illam excerpſerit, minimè indicat. Ea verò eſt hujuſmodi:

„ Mediolanenſes, Divinoque cultui deditiſſimi Clerici, „ cùm me tanto expediendo negotio præfeceritis, quis jam „ dubitare poſſit, quale quantumque de me ſit omnium ve„ ſtrûm judicium? Prætuliſtis enim me pannoſum hominem „ atque deliteſcentem in Clauſtro, vobis omnibus (quæ ve„ ſtra ſumma moderatio eſt) atque eligendis ipſis, quos „ modò Mediolanenſi throno dignos ſuſpiciebatis, cùm ſcili„ cet vos ac illos ex uno meo arbitrio decreviſtis pendêre. „ Ego igitur, tametſi noverim ſcriptum: *nemo aſſumit ſibi „ honorem, niſi qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, mihi„ que planè religio ſit, ſemel ſuſceptum ſaccum mendicita„ tis excutere, ne tantum honorificum veſtrum de me de„ generi animo videar contempſiſſe judicium, meipſum ju„ dicio veſtro jam approbatum, ac Mauritii quondam Pa„ riſienſis Epiſcopi in non diſpari cauſa præjudicio anima„ tum, Archiepiſcopum Mediolanenſem declaro.

Wadingus, celebris Scriptor Annalium Ordinis Mino-

rum,

Digitized by Google

rum, a Sancto Franciſco Aſſiſiate inſtituti, niſus omnes intendit, ut falſi arguat hanc Traditionem. Verùm conjecturæ, quibus utitur ut illam evertat, imbelles prorſus ſunt, ad conſenſum Mediolanenſium Scriptorum & teſtimonia illiuſmet ævi, veluti fabuloſa damnanda. Sufficiat hoc loci exſcribere quæ memoriæ commendavit Galvaneus Flamma, expirante illo Seculo Ordini Dominicano jam adſcriptus, loco ſuperiùs laudato. Ait igitur: *Interveniente turbatione Clericorum de Archiepiſcopo Mediolanenſi eligendo, pariter omnes committunt Fratri Leoni, ut de Archiepiſcopo provideret: Qui acceptâ auctoritate ſeipſum elegit*. Ripamontius quoque Libr. IV. *Hiſtor. Eccleſ. Mediol.* hæc habet: *Cùm Archiepiſcopo Gulielmo Succeſſor quæreretur, nominatio in jurgium exceſſit ..... Poſt varias altercationes eò demum Canonici deſcenderunt, ut ad Leonem Peregum irent, quemcumque ille dixiſſet, juſtum eum legitimumque Pontificem habituri. Erat Leo Minores inter Franciſcanos Divinæ Sapientiæ ſtudiis & Concionum eloquentiâ ſatis notus, moribus quoque non illaudatis; niſi quòd arte premebat honoris cupiditatem, & fortaſſe Clauſtra diſplicebant. Is occaſionem e manibus amittere ſtultum ratus, quòd bene verteret, ſe ipſe Archiepiſcopum renunciavit. Ad latam hanc Sententiam*, tradit Ughellus, *primò obſtupuiſſe populum, tum & arriſiſſe, demum geſtiviſſe præ gaudio; itaut poſteà Pontifici ipſi Romano ea Fratris Leonis callida interpretatio juris probaretur Anno MCCXLI., quæ tot litium capita uno ictu truncaſſet*.

Fœda Hæreticorum colluvies plures Italiæ partes peſtifero veneno infecerat, præſertim verò Inſubricum Solum:

Quamobrem ab Innocentio IV. Summo Pontifice datus eſt Civitati Mediolanenſi in eoſdem Supremus Inquiſitor Petrus Veronenſis, ex Ordine Sancti Dominici. Ille verò, cùm munere ſibi collato ſanctè inviolateque fungeretur, invidiam odiumque hominum perfidorum incurrit, qui ſe eximere a judiciaria ejuſdem virga minimè poſſe conſpicientes, ſecretis conſiliis eum vivis exrrudere decrevere; inventique ſunt pecuniâ corrupti Sicarii, qui Como Mediolanum proficiſcenti ſanctiſſimo huic Viro, in medio itinere prope Barlaſſinæ Vicum necem crudeliter intulerunt. Impiæ hujus cædis famâ per omnes Urbes vulgatâ, Supremoque Numine iſtius Famuli ſui ſanctimoniam miraculis comprobante, Apoſtolica Sedes cenſuit, inquirendum eſſe in vitam reſque præclariſſimè geſtas ſacri hujus Miniſtri, necnon inſtituendum examen gratiarum ac miraculorum, quæ accepta a Deo ferebantur invocato ejuſdem patrocinio. Commiſſa eſt hæc Cauſa & judicium Leoni Perego Archiepiſcopo noſtro, Laudenſi Epiſcopo, & Præpoſito Baſilicæ Apoſtolorum Mediolani, Brevibus literis datis Peruſii ab Innocentio IV. Pontifice Maximo II. Calendas Septembris, Pontificatus anno decimo, ideſt Anno MCCLII. Abſoluto, ùt ajunt, Proceſſu, convocatis Patribus omnibus Ordinis Prædicatorum Provinciæ, Archiepiſcopus Leo exhumari juſſit ab humili loco, in quo jacebat in Templo Sancti Euſtorgii, Corpus venerabile Petri Veronenſis; quod repertum eſt integrum ac flexuoſum, acſi ibidem recentiſſimè depoſitum fuiſſet, publicoque conſpectui expoſitum fuit, & ſubinde in nobiliori Urna collocatum, quam dono eidem Sancti Euſtorgii Baſilicæ dederat Abbas San-

Sancti Simpliciani Mediolani. Conſcio autem facto de hiſce Actis Innocentio IV., cenſuit, non amplius differendam eſſe publicam Sancti hujus Martyris venerationem. Quapropter ſequenti Anno MCCLIII. eumdem Sanctorum albo adſcripſit, Sacriſque Aris donavit.

Non defuit etiam Metropoli ſuæ curandæ, implendoque egregiè Paſtorali ſuo muneri Archiepiſcopus noſter. Quamobrem cùm animadverteret, Oves ſuas aliquando deleri a Parœcialium Eccleſiarum Rectoribus, longè ab iis commorantibus, Conſtitutionem ſeu Statutum edidit, quo ſub gravibus pœnis jubebat, ut quicumque curam Eccleſiarum gerebat, & Parœciam aliquam obtinebat, ibidem perpetuò reſideret cubaretque. Conſtat hoc ex Charta, quam dabimus, cùm de Ottone Vicecomite, Archiepiſcopo Mediolanenſi inferiùs agemus, qui eamdem Conſtitutionem coram Clero univerſo, peculiari Decreto renovavit.

Poſt ferale excidium a Federico I. Imperatore huic Metropoli illatum, Veneti qui Alexandro III. legitimo Pontifici impensè adhærebant, ſtudium omne impenderunt, benevolis officiis apud Italas Urbes, & etiam erogato liberali ære, ut Mediolanenſis Civitas reſtauraretur; quemadmodum etiam feliciſſimè contigit. Quamobrem, ut gratum animum ſuum erga Venetam Rempublicam poſteris omnibus ſignificarent Majores noſtri, Eccleſiam condidere, quæ *Sancti Marci* Evangeliſtæ illorum Patroni nomen præferret: Imo totum adjacens *Suburbium*, teſte Andrea Dandulo, *in Chronico* Lib. IX. Cap. XV. Part. V., *cognomine Divi Marci in hac inſtauratione appellarunt*. Sub initium Seculi ſubſequentis, conſtru-

ſtructo Cœnobio, in illud migrarunt Eremitæ Congregationis Mantuanæ, a Joanne Bono, ſive Bonito inſtitutæ, quorum exemplis commoti nonnulli ex nobilibus Patriciis Civibus hujus Urbis, eamdem vivendi normam amplexi ſunt; atque inter alios numerantur Manfredus Septala, & Lanfrancus fratris filius, quos Titulo *Beati* Torellus in ſuis Auguſtinianis Annalibus exornavit. Horum poſtremus (cùm diſperſi Eremitæ iſti ſeſe undique diffudiſſent in varias claſſes, a diverſis Inſtitutoribus efformatas, & ab Alexandro IV. Pontifice Maximo in unum Corpus redacti fuiſſent, expeditis Anno MCCLVI. die XXII. Februarii bullatis Literis, quas refert idem Torellus) primus fuit, qui Generalis hujus Ordinis Præſes deligeretur, tantaque religione ac prudentia munus ſuum implevit, ut ejuſdem memoriam Mediolani, ubi vitam depoſuit, nobili monumento atque Inſcriptione Fratres Sancti Marci poſteris commendaverint. Ad augendum Eccleſiæ noſtræ præſidium, hoc Regularis militiæ decus obtinuit Leo Archiepiſcopus, qui Eremitas Ordinis Sancti Auguſtini ita collectos, Mediolanenſis Urbis contubernio donavit; iique continuatâ temporum ſucceſſione, perſolvendis Deo laudibus in memorato Sancti Marci Templo adhuc incumbunt.

Occaſione memoratæ Pontificiæ unionis, ſubjungere opus eſt alterum Regulare Inſtitutum, quod in Urbe noſtra enatum viguit ſub nomine *Pauperum Catholicorum*, cujuſque nullam mentionem egêre Scriptores rerum Mediolanenſium. Ut igitur illuſtretur Eccleſiaſtica Eruditio hujus Metropolis, muneris noſtri eſſe duximus, de prædicti Inſtituti initiis ac pro-

progreſſione nonnulla recenſere. Quidam Petrus Valdo in Lugdunenſi Galliæ Urbe Societatem init cum aliis pluribus, qui ad Apoſtolicæ vitæ imitationem profitentes paupertatem, *Lugduni Pauperes* appellabantur, Seculo XII. in finem vergente. Nihilominus citò evanuit hæc Congregatio; cùm enim in hæreſim, & contumaciam contra Romanæ Sedis præcepta ejuſdem Aſſeclæ prolapſi fuiſſent, Lucius III. Pontifex Maximus illos anathemate perculit, ac demum ſuccedentes Summi Hierarchæ ferali damnationis telo Societatem illam confixere. Unus ex Diſcipulis Petri Valdi, nomine Durandus de Oſca Mediolanum diverterat, exceptuſque a Civibus benignè, ob caſtigatæ vitæ normam, & Sacros quos habebat Sermones, ab ipſis Civitatis Rectoribus Pratum quoddam extra Orientalem Portam mœnibus adjacens obtinuerat, in quo domicilium figeret, & pias ad Sequaces ſuos haberet adhortationes. Obſtitit Paſtorali vigilantiâ ſuâ Philippus Lampugnanus tunc Mediolani Archiepiſcopus, qui admonitus de anathemate in Lugdunenſes Pauperes inflicto ab Apoſtolica Sede, ne Oves ſuæ contractæ hæreſis peſte inficerentur, e memorato Domicilio Durandum ejecit. Is cum Sociis Romam profectus Anno MCCVII., ad Innocentium III acceſſit, aſſerens, ſe & Socios ſuos veros eſſe Catholicos, ac Sectæ Lugdunenſium prorſus abrenunciaſſe. Paternâ illum benevolentiâ complexus eſt Pontifex Maximus: Sed, ut prudenter ſecurèque ageret, juſſit ut confeſſionem Fidei ſuæ in ſcriptis proderet ac juramento firmaret; eâque ſedulò expenſâ conſcius veritatis factus, eumdem illiuſque Aſſeclas, abjuratâ hæreſi, Eccleſiæ gremio re-

ſti-

Digitized by Google

ſtituit: Quinimo Ordinem *Pauperum Catholicorum* ejuſque Regulas approbavit Bullatis Literis, expeditis die XVIII. Decembris, Anno MCCVIII. Quam latè autem ſeſe diffuderit Ordo iſte non tam per Langobardicas Urbes, Comum, Cremonam, Derthonam, ſed etiam per Gallias, Hiſpaniaſque, noſtrà non eſt enunciare, cùm exorbitare a ſemita ſuſcepti a nobis Inſtituti minimè debeamus.

Reverſus Mediolanum Durandus primævum Domicilium ſolo æquatum invênit; quocirca ad Innocentium III. per Epiſtolam confûgit, ut illius patrocinium imploraret. Neque abnuit Summus Pontifex, ſcribens ad Philippi Succeſſorem Ubertum Pirovanum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem & Mediolani Archiepiſcopum, necnon ad Metropolitanæ Canonicos, in ejuſdem Durandi & Sociorum commendationem. Integras haſce Literas dare neceſſarium exiſtimamus, ut plenior hujus Hiſtoriæ notitia habeatur. Sic igitur exorditur Innocentius:

„ Ex tuarum, Frater Archiepiſcope, tenore accepimus „ Literarum, quòd, cùm dilectus filius Durandus de Oſca, „ & quidam alii Socii ejus, qui *Pauperes Catholici* nuncu„ pantur, ad te cum noſtris Literis acceſſiſſent, eos beni„ gnitate debita ſuſcepiſti, & quod pro illis tuæ Fraterni„ tati mandavimus, ſatagens pro viribus adimplere, quoſ„ dam de Societate ipſorum in Italia commorantes, juxta „ formam, qua idem Durandus reconciliatus fuerat coram „ nobis, reconciliaſti Eccleſiaſticæ unitati. Item quoque Du„ randus & Socii ejus ſuis nobis Literis intimarunt, quòd „ reconciliatis Eccleſiæ per te dictis Fratribus eorumdem,

„ qui-

„ quidam alii fere centum reconciliari volebant, dummodo „ quoddam Pratum, quod Commune Mediolanenſe ipſis olim „ conceſſerat, in quo ſuâ Scholâ conſtructâ conſueverant „ convenire, ac exhortari Fratres ad invicem & Amicos, „ quam bonæ memoriæ Prædeceſſor tuus deſtrui fecerat, dum „ eſſent excommunicationis vinculo innodati, & nunc ite- „ rum eſt erecta, ipſis concedere velles, ut ad exhortatio- „ nem mutuam faciendam Fratribus & Amicis liberè valeant „ convenire. Unde nobis humiliter ſupplicarunt, ut Pratum „ prædictum eiſdem faceremus concedi, ad proponendum in „ Schola præfata more ſolito verbum Dei. Cùm igitur non „ propter rem temporalem, ſed propter æternam mercedem, „ reconciliari debeant Eccleſiaſticæ unitati, cùm nullus ſal- „ vari valeat extra Arcam, petitionem hujuſmodi non du- „ ximus approbandam, cùm in reconciliatione ipſorum con- „ ditio non debeat hujuſmodi adhiberi. Quocirca Diſcretioni „ veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ſi pro- „ priæ ſalutis intuitu, Deo & Eccleſiæ reconciliari vo- „ luerint, eos juxta formam, qua reconciliatus in præ- „ ſentia noſtra Durandus extitit ſupradictus, & quam tibi, „ Frater Archiepiſcope, per alias Literas noſtras expreſſimus, „ ipſos in Eccleſiæ gremium recipere manſuetudine debita ſa- „ tagatis. Et ſi demum, ſecundùm datam vobis a Deo pru- „ dentiam, tam Eccleſiaſticæ unitati quàm eorum ſaluti vi- „ deritis expedire, Pratum prædictum, ſeu alium Locum „ idoneum, in quo ad exhortandum ſe ipſos & Amicos „ eorum cum timore Domini valeant convenire, concedatis „ eiſdem ſine gravi ſcandalo aliorum; quoniam aliter eſt cum

„ converſis, quàm cum perverſis agendum. Datum Latera-
„ ni III. Nonas Aprilis, Anno duodecimo „. Extant hæ
Literæ *in* Balutii *Collectione* Libr. XII. num. XVII.

Paruit omnibus Pontificiis mandatis Archiepiſcopus Ubertus, conſenſitque, ut in Prato prædicto erigeretur Oratorium & Cœnobium, Sancto Auguſtino dicatum. Eo in Loco Durandus aliique illius Aſſeclæ quietè conſtitêre uſque ad Annum MCCLVI., quò Alexander IV. omnium Eremitarum Congregationes in unum Ordinem Eremitarum Sancti Auguſtini coaleſcere juſſit. Non acquievere ſtarim Pontificio huic Decreto Pauperes iſti Catholici: Modici tamen temporis hæc diſſenſio fuit; ſequenti enim anno Fr. Nicolaus, qui univerſæ horum Pauperum Langobardicæ Provinciæ Cœnobiis præſidebat, ſe ipſum ac Monaſteria omnia ſui Ordinis, ceſſit Fratri Jacobo Procuratori Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, ac obedientiam totius Ordinis, Generali eorum Miniſtro promiſit. Publicas ceſſionis Tabulas, confectas in Mediolanenſi Cœnobio, quod erat princeps hujuſmodi Pauperum, inſeruit ſuo Diplomati, dato Anno MCCLVII. Alexander IV., unionem iſtam confirmans. Receptis in Monaſterium Sancti Marci noſtræ Metropolis Fratribus iſtis, nonnulli ex iis, qui ſeſe devoverant in eorumdem Cœnobio Ordini Eremitarum, jugum excuſſerunt, ac noctu e Sancti Marci clauſtris ſeſe proripientes, ad antiquum Sancti Auguſtini Domicilium progreſſi ſunt, armatâque manu inde expulêre Eremitanos Fratres, qui in illud ſucceſſerant: Quin etiam, dimiſſo habitu Eremitarum, priſtinum Pauperum Catholicorum inſigni audaciâ reſumpſerunt, atque Monaſterium

rium illud per XVI. annos incoluere; donec Anſelmus de Gardano, in Priorem ab ipſis electus, eoſdem ad ſanam frugem redegit. Siquidem Superiorem Monaſterii Sancti Marci exoravere, publiciſque confectis Tabulis veniam graviſſimi admiſſi criminis implorantes, in conſortium Eremitarum iterum recepti fuere Anno MCCLXXII. Omnia hæc fusè refert ad Annos memoratos Aloyſius Torellus *in Seculis Auguſtinianis* (& ex eo Auctor *Hiſtoriæ Ordinum Regularium*, Gallicè ſcriptæ Tom. III Cap. IV.) qui primus ex Pergamenis ab Archivis erutis Hiſtoriam hanc nos edocuit, ac fatetur, nihil ſe reſcire potuiſſe, quid actum ſit de Cœnobio & Eccleſia Pauperum Catholicorum; ideoque arbitratur, ea prorſus fuiſſe deleta, ne occaſio aliqua ſuboriretur conjunctis Fratribus, in illa denuo commigrandi. Sanè *Prati Communis* nomen, in hunc uſque diem perſeverat eâ in Via, quam *Marinam* dicimus, quin ulla vetuſti alicujus Ædificii veſtigia ſuperſint.

Deerat hoc unum, ut in tanta Archiepiſcopalis Dignitatis amplitudine alicujus inſignis beneficii monumento, gratam erga Ordinem Seraphicum, cui adſcriptus erat, ſui nominis memoriam teſtaretur, ac Poſteris commendandam relinqueret Leo Archiepiſcopus. Porro hanc etiam cogitationem nobili animo menteque revolvit; utque eam factis comprobaret, conſilium cepit perficiendi Operis, quod Prædeceſſor ſuus Henricus Septala infectum dimiſerat, ob reluctantes conſtantiſſimè Præpoſitum & Canonicos Baſilicæ Sanctorum Naboris & Felicis, qui locum cedere Franciſcanis Fratribus prorſus abnuebant. Itaque Archiepiſcopus noſter Roma-

num iter aggreſſus eſt, ſupplicemque Libellum advolvit pedibus Alexandri IV. Summi Pontificis, qui tunc in Apoſtolico Solio ſedebat, ut facultatem eidem impertiretur transferendi Præpoſitum & Canonicos memoratæ Baſilicæ, in aliam Sedem, quò Alumni Sancti Franciſci in prædicto Templo Divina Officia celebrare poſſent, & ab anguſtiis, in quibus hactenus delituerant, educti, in adjacentibus Domibus ampliori loco conſidêre. Annuit benigniſſimè Alexander IV., eique vivæ vocis oraculo poteſtatem omnem conceſſit, qua votum ſuum implere valeret. Proinde ad Hoſpitium ſuum reverſus, quod Romæ incolebat, Diploma expedivit, a nobis hic exhibitum, ut rei veritas dilucidiùs pateat.

„ Frater Leo de Ordine Minorum, Divina providentia „ Sanctæ Mediolaneuſis Eccleſiæ Archiepiſcopus: Univerſis & ſin- „ gulis has Literas inſpecturis ſalutem in Domino. Noveritis, „ quòd Dominus Papa Alexander IV. Eccleſiam & Clauſtrum „ Sancti Naboris Mediolanen., cum horto, viridario, & „ aliis cohærentiis ipſi Eccleſiæ conceſſiſſet Guardiano & Or- „ dini Fratrum Minorum Mediolanen. in utilitatem & uſus „ Ordinis prædicti, ut libentiùs poſſent Divinis obſequi Of- „ ficiis, Præpoſito & Capitulo ipſius Eccleſiæ prædictum „ locum auferendo, ut tamen in competenti loco ipſius Ci- „ vitatis collocarentur. Nos de ſpeciali mandato Domini Pa- „ pæ nobis oretenus facto, præfatos Præpoſitum & Capi- „ tulum, Canonicos & Clericos ipſius Eccleſiæ Sancti Na- „ boris hoc acceptantes transferimus ad Eccleſiam Beatæ Ma- „ riæ ad Fulcorinam Portæ Vercellinæ ejuſdem Civitatis,

„ unien-

„ unientes auctoritate prædicta Præpoſitum & Capitulum
„ memoratos cum Capellis eis ſubjectis, & cum Terris,
„ poſſeſſionibus, Caſalibus, Decimis, & aliis juribus & re-
„ bus ſuis præfatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, & Beneficiali-
„ bus ac Clericis ejuſdem Eccleſiæ, facientes & ordinantes
„ auctoritate prædicta, ut memorati Præpoſitus & Capitu-
„ lum & Beneficiales prætactæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ unum
„ Corpus & Collegium exiſtant & eſſe cenſeantur, & quòd
„ prædictus Præpoſitus, & alius qui pro tempore fuerit,
„ præſit & præeſſe debeat tamquam Prælatus ipſi Capitulo
„ & Collegio ſic unito & Eccleſiæ prætactæ. Inſuper conce-
„ dimus & deputamus, auctoritate mandati prædicti, præ-
„ dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ, Clauſtrum ipſius, Domos
„ cum horto, Viridario & aliis rebus & Domibus cohæ-
„ rentibus & adjacentibus prædictis Eccleſiæ Clauſtro & Do-
„ mibus, ad communem uſum & utilitatem Præpoſiti & Ca-
„ pituli & Beneficialium prædictorum, non obſtante Statuto
„ bonæ vitæ qu. Fulcorini, qui dicitur fundaſſe & dotaſſe
„ dictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ, & ſtatuiſſe, ut tres
„ Præbendæ tantùm Sacerdotales eſſent in dicta Eccleſia,
„ & in ipſis tres tantùm Presbyteri ordinarentur, quas ſic
„ ordinatè in tribus Sacerdotibus ùt in priſtinum ſtatum, ſic
„ volumus permanere, & quòd electio deficientis vel defi-
„ cientium Presbyterorum vel Clericorum ſpectaret ad ipſum
„ Presbyterum, qui ſupereſſet Major in ipſa Eccleſia, &
„ qualibet alia ordinatione, auctoritate Sedis Apoſtolicæ aut
„ alia quacumque vallatis, quibus unio hujuſmodi & tranſ-
„ latio impediri poſſent, vel etiam perturbari. Porro ejuſ-
„ dem

„ dem Domini Papæ mandato ordinamus & diſponimus,
„ ut fructus unius anni de tribus Præbendis, quæ primò in
„ ipſa Eccleſia vacaverint, colligantur & retineantur ad uſum
„ ipſius Collegii ſic uniti, ut ex eis reficiantur Domus ip-
„ ſius Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, & aliæ ædificentur de no-
„ vo, in quibus Præpoſitus & Canonici ejuſdem Eccleſiæ
„ commodè valeant commorari. Nihilominus tamen fructus
„ unius anni aliarum Præbendarum, quæ vacaverint poſt ip-
„ ſas tres Præbendas, teneantur ad communem uſum ipſius
„ Eccleſiæ, deputandi & convertendi in utilitatem Eccleſiæ
„ memoratæ, prout Præpoſito & Capitulo videbitur expe-
„ dire, & decernimus, Præpoſitum & Capitulum memora-
„ tos fore inducendos in corporalem poſſeſſionem prædicto-
„ rum, & inductos defendendos, invocato ad hoc, ſi opus
„ fuerit, auxilio brachii ſecularis. Et de prædictis omnibus
„ idem Dominus Archiepiſcopus juſſit mihi infraſcripto Gual-
„ terio Notario, ut facerem publicum Inſtrumentum ſui ſigil-
„ li munimine roborari.

„ Actum in Civitate Romæ, in Contrada de Latera-
„ no, in qua moratur prætactus Dominus Archiepiſcopus,
„ præſentibus Dominis Ugone Dalano Præpoſito de Riglo-
„ no, & Fratre de Otolillo de Ordine Humiliatorum, &
„ Presbytero Pagano de Bernate, Canonico de Creſcenza-
„ no, & Lanfranco Filio Ser Gaſparis de Molterio, om-
„ nibus rogatis Teſtibus . . . . . . Not. Henricus de Sum-
„ ma Canonicus de Summa, Anno currente MCCLVI., die Mar-
„ tis decimoquarto ante Calendas Februarii, Indictione XIV.

„ Ego Gualterius filius qu. Ser Petri Antillii Burgi Por-
„ tæ

„ tæ Orientalis, Civitatis Mediolani Notarius, & Scriba
„ Domini Archiepiſcopi rogatus interfui & ſcripſi.

Interim autem Antiſtes noſter tantùm dexteritate ſua egit, ut Præpoſitus & Canonici libenti animo, ac ſua ſponte hanc Translationem acceptaverint. Ne autem aliquo tempore quieta hæc concordia & liberalis conceſſio litium ſtrepitu perturbaretur, ab eodem Alexandro IV. obtinuit Leo, ut Pontificia auctoritate quidquid ab ipſo ſtatutum fuerat, roboraretur. Id autem conſtat ex Diplomate dato a memorato Pontifice Maximo, Laterani X. Calendas Februarii, Anno Pontificatus II., ideſt Anno MCCLVI., quod refert Wadingus.

Reſtitutus ab alma Urbe Archiepiſcopali Sedi ſuæ Archipræſul noſter, invênit ſuccenſum Civile bellum inter Nobiles ac Plebem; cùmque in dies acerbiùs ſemper recrudeſceret, Martino Turriano, popularis factionis Duce, novas ſemper faces ſubdente unà cum ejuſdem Familia, quæ utpote divitiis affluens Principatum hujus Urbis ambiebat, Archiepiſcopus Leo, ſive ob affinitatis vinculum, quo cum reliquis clarioris ſanguinis Viris devinciebatur, ſive ne Privilegio illo orbaretur, quo præcedentes Archiepiſcopi gaviſi fuerant, ut nempe tamquam Reipublicæ Capita Civitati dominarentur, Nobilium partes ſuſcepit, frequentibus etiam pugnis Civilibus inſiſtens, quæ noſtræ Urbis compita miſerrimè cruentabant. Verùm prævalente Popularium Factione, numero & viribus potentiore, expulſus eſt Archiepiſcopus Leo ab Urbe in exilium, unà cum Nobilibus, & Collegio Canonicorum Ordinariorum Metropolitanæ Baſilicæ, qui nullum humili Plebis ſtirpe progenitum ex privilegio, ùt ajebant,

bant, ab. Ænobarbi tempore accepto, in conſortium ſui admittere ſe velle conſtanter profitebantur. Extorris itaque & profugus Antiſtes noſter, nunc in Seprienſi Agro unà cum Collegis & Commilitonibus ſuis, nunc in Variſienſi Oppido conſtitit, meliorem ſortem ſibi auſpicatus. Sed cùm rem deſperatam conſpiceret, in Lignani Oppido quievit, ibique Ædes ſibi Archiepiſcopales extruxit ſatis magnificas, prout temporum illorum conditio ferebat, earumque veſtigia & reliquiæ in eo Oppido adhuc perdurant. Demum confectus ſenio & ærumnis, ac morbo correptus, ibidem ſpiritum Deo reddidit, ſepultus in Eccleſia Sancti Ambroſii, quam ſibi in Sepulcri locum vivens delegerat.

Difficilius eſt ſtatuere, quo verè anno Antiſtes Leo deceſſerit; Merula namque, Calchus, Ughellus, Corius, aliique paſſim recentiores Hiſtorici Leonem Archiepiſcopum Anno MCCLVII. mortuum conſtanter affirmant. Si tamen veteres Patriæ Hiſtorias conſulamus, erraſſe omnes procul dubio eſt aſſerendum. Siquidem *Annales Mediolanenſes*, e Petro Azario Seculi XIV. Scriptore ut plurimum excerpti, editique Tom. XVI. *Rerum Italicar.* Leonem Archipræſulem ſuperſtitem fuiſſe uſque ad Annum MCCLX. clarè teſtantur. Longiùs etiam ejuſdem vitam protrahit Donatus Boſſius *in Chronicis*, illius obitum Anno MCCLXIII. conſignans. Hoc idem confirmat Galvaneus Flamma *in Manipulo Florum*, Cap. CCXCIX, cujus teſtimonium plurimì faciendum eſſe nemo non videt, cùm Leonis ætati proximus fuerit, ejuſque Succeſſorem Ottonem optimè noverit. Is igitur ad Annum MCCLXIII. hæc habet: *Iſto tempore Leo de Perego Archiepiſcopus*

piſcopus Mediolanenſis in Ligniano moritur, & ibidem viliter tumulatur. Errandi occaſio ceteris Scriptoribus ea eſſe potuit, quòd oborta inter Nobiles Plebemque Mediolanenſem gravi ſimultate, Leo Archiepiſcopus, qui Nobilium partes, ùt ſuperiùs retulimus, tuebatur, a contraria Factione victus, ſolum vertere coactus fuerit Anno MCCLVII., vitamque poſtmodum omnem in exilio tranſegerit: Inde enim vacaſſe Mediolanenſem Sedem arbitrati ſunt, cùm nullum per illa tempora exerciti a Leone Archiepiſcopalis muneris veſtigium invenerint, eumque ideo mortuum crediderint. Eâdem ratione factum arbitramur, ut XVI. tantùm anni ejuſdem Sedi in Catalogis aſſignentur. Ceterùm Galvaneus Flamma, non ſecus ac *Annales Mediolanenſes* memorati, poſt Annum MCCLVII. Hiſtoriam ſuam proſequentes, ad Capitum initium id ferè ſemper adnotant: *Exulante Leone de Perego*.

Addimus etiam, ſervari in Archivo Præpoſituræ Oppidi Lignani Codicem MS.tum Italico idiomate, qui Hiſtoriam Eccleſiarum Loci illius complectitur. Ubi autem agit de Eccleſia Sancto Ambroſio dicata, Juriſpatronatus Dominorum Metropolitanæ Baſilicæ Mediolani Canonicorum, hæc leguntur, a nobis latinè reddita: *Excavata eſt Foſſa navigabilis, quæ Major appellatur . . . . . . Anno MCCLXIII, quo exceſſit e vivis Leo Archiepiſcopus die XVI. menſis Octobris. Sepultus autem fuit in Eccleſia Sancti Ambroſii ejuſdem Oppidi parciſſimâ pompâ: Cùmque tempore Sancti Caroli fatiſcens prædicta Eccleſia ob ſenium reſtauraretur, inventum eſt Corpus iſtius Archiepiſcopi Leonis ſub fornice quodam lateralis parietis, parùm a terra ſurgente, integrum, intus Arboris trun-*

truncum, *in modum cunabuli efformatum*. *Admonitus de hac re Sanctus Carolus ad illud Oppidum advolavit*; *cùmque recognita omnia ab ipſo fuiſſent*, *ſequenti mane* (ùt ſcribit ille Auctor) *ab oculis evanuere tum Archiepiſcopus vivens*, *tum mortuus*. Fortaſſe enim inſciis omnibus id peregit ſanctiſſimus Præſul Carolus, cùm in vulgus emanaſſet rumor gratiarum & miraculorum, Leonis invocatione editorum; & cùm nondum Eccleſiæ examini eadem ſubjacuiſſent, prudentiſſimè cavit, ne quo loco Corpus condiderit, reſciretur.

Certè Franciſcani Ordinis Scriptores Arturus, & Wadingus, aliique hunc Leonem Archiepiſcopum *Beati* titulo inſigniunt. Mediolanenſis tamen Eccleſia nudo Leonis Archiepiſcopi nomine eum in Catalogis deſcribit; neque in Actis hujus Eccleſiæ quidquam de hoc Archiepiſpopo tamquam Beato commemoratur: Sed potiùs Galeſinius *in Tabula noſtrorum Antiſtitum* iiſdem Actis insertâ, eum negligentiæ, in juriſdictione ſuæ Eccleſiæ curanda inſimulat, aitque, propter ipſam Turrianos ſibi eamdem uſurpaſſe. Fallitur tamen, dum ſcribit, Leonem creatum fuiſſe Archiepiſcopum Mediolanenſem ſub Cœleſtino IV.; cùm eo tempore viveret adhuc Gregorius IX., & Cœleſtinus huic ſucceſſerit menſe tantùm Octobris, Anni MCCXLI., quo jam a menſe Junio Ambroſianæ Eccleſiæ præerat Leo de Perego.

Quod juſtè aſſerere poſſumus de hoc Antiſtite, illud eſt, inter ceteras egregiarum virtutum dotes quibus exornabatur, fuiſſe eumdem Eccleſiaſticæ diſciplinæ amantiſſimum, quæ non modicum depravata tunc temporis erat bellorum injuriis; pluraque etiam impoſterum illum editurum

fuiſſe

fuiſſe in hujus Eccleſiæ ſplendorem, & conſervandæ animarum ſalutis ſubſidium, ſi Civilibus diſcordiis minimè implicitus, quietam in ſua Archiepiſcopali Sede vitam agere potuiſſet.

Præfuit igitur Eccleſiæ Mediolanenſi Annis XXII., menſibus IV. & die I., ſi tempus, quo in exilio fuit, computetur; tot enim effluxere a die XV. Junii Anni MCCXLI., quo electus eſt, ad diem XVI. Octobris Anni MCCLXIII., quo, ut diximus, e vivis exceſſit.

OTTO VICECOMES.

OTto ortus ex clariſſima Vicecomitum Stirpe, quam adulandi libido, cùm Mediolanenſe Imperium teneret, poſt longam Seriem Dynaſtarum & etiam Regum Italiæ, non tam a Deſiderio Langobardorum Principe, ſed etiam ab Anglo Achiſis Nepote, ignoto Hiſtoricis omnibus ſanæ mentis tramite, derivavit; noſque *in Appendice ad Diſſertationem pro vindicanda Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii Mediolano Poſſeſſione* fabulis expurgavimus: Otto, inquam, defuncto Leone de Perego, poſt varias contentiones ab Urbano IV. Summo Pontifice Mediolanenſi Eccleſiæ datus eſt Archiepiſcopus. Fuit ille primis vitæ ſuæ annis, poſt exacta in Literis ſtudia, Metropolitanæ Baſilicæ Cardinalibus connumeratus, dein auctus Canonicatu in Collegio Myſtarum Sancto Ambroſio inſervientium, & poſtmodum Præpoſiturâ inſignitus Eccleſiæ Decii, Oppidi ita appellati, quòd decimo ab Urbe noſtra lapide diſtet, ibidem nonnullos annos tranſegit; donec redeunte e Gallica Legatione Octaviano Ubaldino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, quem domi humaniſſimè exceperat, aſſumptus eſt in comitem Romani itineris, ac Romæ in Familiam ſuam cooptatus.

Agitabatur interim Mediolani inter Electores conſilium, quis Leoni demortuo ſubrogandus eſſet Mediolanenſis Antiſtes. Duo autem propoſiti fuerant Candidati, Raymundus

Tur-

Digitized by Google

Turrianus, & Franciſcus Septala. Ubaldinus Cardinalis, qui Romæ degebat, facti conſcius, apud Urbanum IV. Summum Pontificem officiis omnibus precibuſque inſiſtebat, ut Otto, quem Virum ingentis ſpiritus, & indolis ad magna natæ agnoſcebat, hujus Metropolis Archiepiſcopus a Pontifice Maximo renunciaretur. Ceſſerat electionis ſuæ juri Franciſcus Septalà, ratus, ſe prorſus imparem Cauſæ ſuæ propugnandæ contra duos tantarum virium Æmulos, Turrianum nempe, ac Vicecomitem. Quocirca Octavianus Cardinalis, Turrianis infenſiſſimus, utpote qui, cùm redux e Galliis Mediolano pertranſiſſet, non ſatis honeſtè pro voto, a Martino Turriano Rerum publicarum tunc Domino ſe habitum querebatur, id effecit, ut tamdem Urbanus IV. Apoſtolica auctoritate in Mediolani Archipræſulem Ottonem conſtituerit ac declaraverit, manibus etiam propriis Conſecrationem eidem impertiens, teſte Triſtano Calcho *Hiſtoriæ Patriæ* Libr. XVI. Offenſi hoc Pontificio Decreto Turrianæ Familiæ Proceres nullum lapidem reliquerunt, quem non moverent, ut electum Ottonem a Patriæ finibus amoverent, irritamque facerent ejuſdem in Antiſtitem deſignationem. Occupata ideo forti militum manu Caſtra & Oppida Archiepiſcopalis juris, cuſtoditæ viæ, uſurpatique omnes prædiorum reditus, ne ullum novo Archiepiſcopo ſubſidium aut aſyli locus ſupereſſet. Præcepit tamen Urbanus Ottoni, ut ad capeſſendam Dignitatem veniret, ac ad contundendam Adverſariorum ſuperbiam Romà proficiſceretur. Equidem ſub initium propitia illius votis ſors arriſit; Novariam namque adiens, cùm Nobilium aliorumque proſcriptorum ac militum agmen collegiſſet, præ-

ſidio

ſidio deſtitutam Aronæ Arcem feliciſſimè obtinuit. Sed de hoc monitus Martinus Turrianus, validis copiis ſtipatus illuc accurrit, atque Otto viribus impar abſcedere coactus eſt, præcluſoque omni alio aditu, aut Caſtro in quod ſe reciperet, iterum Romam profûgit. Indignatione commotus ob hanc tyrannicam invaſionem, ac inobedientiæ contumaciam contra Apoſtolicam Sedem, Mediolanenſem Civitatem Sacris interdixit Urbanus; ut ſcilicet hiſce pœnis multati Mediolanenſes ad Archiepiſcopi Ottonis venerationem & obſequium redirent.

Nec defuit partibus ſuis Otto; Sed cùm animadverteret, non tam in hac Metropoli, verùm etiam in ſuæ Provinciæ Diœceſibus peſſumdari Eccleſiaſticam juriſdictionem, Epiſcoporum bona perfidâ invaſione ac licentia diripi, ipſoſque etiam Sacros Præſules a Sedibus ſuis tyrannicè expelli, Concilium Provinciale apud Saonam indixit ac celebravit Anno MCCLXVI., Idibus Novembris. Fragmentum edidit hujus Synodi Carolus a Baſilica-Petri Epiſcopus Novarienſis in Libro inſcripto *Novaria Sacra*, pag. CDXXXVI., in quo inter cetera hæc contineri aſſerit: *Quæcumque Civitas, vel alia Univerſitas perſecuta fuerit ſuum Antiſtitem, Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, & in hujuſmodi præſumptuoſa perſecutione perſtiterit, itaut in ſua Sede majori non audeat manere; vel conſenſerit vel paſſa fuerit perſecutionem hujuſmodi fieri, dummodo hoc valeat prohibere; Rector illius Civitatis vel Univerſitatis, Conſiliarii & Officiales ſint ipſo facto excommunicati; Civitas verò vel Univerſitas ipſo facto diſtrictè ſubjaceat Interdicto*. Recudere placuit hanc laciniam,

cùm,

cùm hujus tam præclari Operis Exemplaria omnia, & ferè memoria ipſa perierit.

Compulſi pudore, quòd Eccleſiaſticis execrationibus ſubjecti tamdiu a Sacrorum perceptione ac Divinis officiis arcerentur, Mediolanenſes, ac præſertim Turriani, decrevere Legationem expedire ad Clementem IV., qui in Beati Petri Sede Urbano IV. demortuo ſucceſſerat, & Prædeceſſoris inflictum Civitati Interdictum auctoritate ſuâ confirmaverat; utque abſolutionem a ſacris pœnis a Pontifice Maximo exceperent, ſimulatæ pacis conciliandæ inter utramque Familiam Vicecomitum & Turrianorum, ac reſtituendæ afflictæ laceratæque Urbi olim vigentis tranquillitatis ſpecioſum titulum prætenderunt; revera tamen, ut Ottonem æmulum a Mediolanenſis Eccleſiæ Solio deturbarent, quemadmodum poſtmodum patuit. Itaque profecti Viterbium Legati Anno MCCLXVII. clauſos Pontificiæ Aulæ poſtes invenêre, renuente Clemente illos ad ſuî conſpectum & colloquium admittere. Ne igitur re infectâ ad Urbem noſtram regrederentur, Caroli Andegavenſis, Siciliæ & Apuliæ Regis patrocinium imploravere; iſque ſe obſtrictum profeſſus Turrianis & Mediolanenſibus, quos amicos & fœderatos plurimùm negotiis ſuis ad felicem exitum promovendis profuiſſe expertus fuerat, libenti animo favorem ſuum iiſdem ſpopondit. Inſtructâ igitur Legatione, unà cum Miſſis Turrianorum, Viterbium cum iſtis direxit Proceres ſuos, ut Clementem Summum Pontificem juſtè iratum emollirent, gratiamque Supremi Hierarchæ illis iterum conciliarent. Nobili hoc comitatu in Viterbienſem Urbem delatis, Summus Pontifex, ut gratam

bene-

benevolentiam ſuam, ob recepta ab ipſo non levis momenti adjumenta, erga amicum ſibi Regem patefaceret, facilè ſe exorari permiſit; & convocatis in Conſiſtorio Sacri Senatus Patribus, prodire in conſpectum ſuum utriuſque Partis Oratores, de Cauſa ſua peroraturos juſſit. Triſtanus Calchus Orationes ab iis habitas coram Pontifice, & univerſo venerabili illo Cœtu recitat, quas, cùm ad elucidandas caliginoſas hujus controverſiæ viciſſitudines, & Eccleſiaſticam noſtræ Metropolis eruditionem nitidiùs ediſcendam plurimùm conferant, non abs re erit hoc loco recudere; raritate præcipuè Exemplarium Calchi, quæ non ita obvia oculis ſunt in Bibliopolarum Officinis, id ſuadente.

Oratores Caroli Regis priores verba fecere. „ Si pro „ amicis atque Sociis, quorum dignitas atque fortunæ in „ diſcrimen verſantur, Pontificum Maxime, deprecaturi ve„ nimus, haud equidem mirari te oportere exiſtimamus; imo „ magis deſertos atque proditos eos opinari deberes, ſi ſe„ cus ageretur, quibuſcum fœdus & amicitia ſit inita „ jampridem, & novis ſubinde meritis creverit. Neque „ Rex noſter dignos patrocinio & favore duxiſſet, ſi con„ tumaces in Te hos perſpiceret, qui ſic de Mediolanenſi „ Sacerdotio contendunt, ut utilitatem publicam, Patriæ „ quietem privatæ cupiditati anteponant; neque id agunt, „ ut legem Tibi præſcribant, ne des quem Præſulem volue„ ris, ſed æquum cenſent, ut ſemel audias atque cogno„ ſcas, ſalubrius-ne & ex publici ſtatûs commodo magis „ ſit, Raymundum Turrianum, an Ottonem Vicecomitem „ Eccleſiæ ſuæ præeſſe. Sed, dicet aliquis, cùr non conti„ nuò

„ nuò imperata fecere, conſtitutum Præſulem in Urbem admiſere, & illi de more Eccleſiaſtico obedientes fuere? Facta „ nempe hæc forent, Pater Ampliſſime, niſi ab diuturno „ odio & perpetuis ſeditionibus, novi in Urbe tumultus certò certiùs futuri fuiſſent. Hactenus igitur imperiis Tuis repugnare viſi ſunt, ut cladem a Patria, & exitiale bellum avertere procurarent. Nulli tuorum vim aut arma intulerunt; Tui enim ſunt Turriani, ſi cetera intueris. „ Jam quo vultu, qua liberalitate Regis noſtri Caroli ab „ Alpibus deſcendentes Duces & copias excepêre, quàm benigno hoſpitio, quanta rerum largitate proſequuti ſunt, „ quàm fortiter atque fideliter arma contra æmulos ſumpſerunt? Qui ſi in ipſo Italiæ limine ſeſe nobis oppoſuiſſent, „ aut cum hoſtibus conſilia agitaſſent, profectò enim per infeſtas terras tranſire non licuiſſet: His verò adjuvantibus, „ & commeatus largè ſuppeditantibus & tenentes arma Adverſarios compreſſimus, & ſi qui alii nos laceſſere parabant, exemplo deterriti quievere; & velut Amici nihil „ denegantes, Romam uſque tranſmiſêre. Hinc inclyta illa „ victoria, & quidquid juris & imperii in Italia habemus, „ & Romanæ Eccleſiæ poſt cæſum Manfredum acceſſit, Turrianis acceptum referri oportet. Audias igitur, Clementiſſime Pater, eorum Oratores, qui Tibi obtemperare, „ Tuique juris eſſe volunt. Hoc Rex invictiſſimus rogat; „ hoc concedere debes, ne tales illius Amicos damnaſſe „ indictâ causâ videaris.

Datâ dein veniâ Legatis Mediolanenſibus ut loquerentur, ita exorſi ſunt. „ Niſi Tibi, Romane Pontifex, parêre

„ decretum nobis eſſet, & Majeſtatem Apoſtolicam unicè
„ coleremus, profectò a Te ſpreti atque repulſi, domum
„ ad nova conſilia, ad amicitias & fœdera concilianda,
„ denique ad inimicos Tuos acceſſiſſemus, ut quacumque
„ ope ſubnixi alienum animum oſtenderemus. Verùm in eo
„ perſeverantes quod æquum, quod debitum ac ſaluberri-
„ mum eſt, eum Regem adivimus, & deprecatorem para-
„ vimus, quem ſciebamus amicitiâ & magnitudine beneficio-
„ rum tibi conjunctiſſimum eſſe; qui ita Regno potitur, &
„ Regium nomen ita exercet, ut fateatur, ſe id munere
„ & nutu veſtro accepiſſe; ac propterea ad arcendas inju-
„ rias, & defendenda Sacerdotum jura potentiorem prom-
„ ptioremque non noverimus. Hujus gratiâ in conſpectum
„ Tuum admiſſi, breviter, quid optemus, exponemus. Mor-
„ tuo Leone Perego, qui per omne Sacerdotii ſui tempus
„ nihil antiquius habuit, quàm in Civitate, irâ odiiſque
„ ardente, Patricios in Plebem armare, perniciosa certa-
„ mina fovere; Plebs ipſa, pro vetere jure & conſuetu-
„ dine eorum qui rei Divinæ Præſulem dare conſueverant,
„ Raymundum Turrianum Archiepiſcopum deſignat. Hunc
„ Fratres & propinqui, cum jure ſanguinis & novæ in
„ gente ſua Dignitatis amplexi ſunt, tum quòd cernebant,
„ eo Paſtore perpetuam inter Cives concordiam fore. Sed,
„ ùt magno in populo plerumque uſuvenit, Franciſcus Sep-
„ tala, Vir nulla ex parte noſtro conferendus, paucorum
„ ſuffragiis electus eſt. Urbanus verò Pontifex, neutri ho-
„ rum ſubſcribens, tertium delegit, & quidem e numero
„ eorum, qui continuos motus certamina & cædes fecerant,
„ &

„ & Urbe pulſi, rapinis & latrociniis fines perturbarunt,
„ Contradiximus, fateor, Edicto Pontificio, deſignatumque
„ Antiſtitem recuſavimus; non ut Majeſtati veſtræ derogare-
„ mus, ſed ne hic ſub nomine & poteſtare Sacerdorii ex-
„ cidium Patriæ moliretur. An obſcurum eſt, quantum cla-
„ dis Civibus ſuis, quid dedecoris Romanæ Eccleſiæ gens
„ ſuperba & ferox ſemper intulerit? Nonne cum Actiolino
„ Romano, tyrannorum omnium ſæviſſimo, per cauſam re-
„ cuperandæ Patriæ, fœdus & arma junxerunt? eoque oc-
„ ciſo Palavicinum ſectati, quid non injuriarum & malefi-
„ cii in ſuos edidere? Aronam Oppidum, Brebiamque ador-
„ ti, exulum manum obarmare, multitudinemque latronum
„ finibus inducere conati ſunt, unde tamen, non ſine mul-
„ torum ſanguine, & agrorum populatione repulſi, ad au-
„ ctoritatem veſtram confugientes, per Eccleſiaſticas execra-
„ tiones jus Sacerdotii ſibi vindicare nitunrur. Et is quidem
„ rei Divinæ adminiſtrarionem ſibi depoſcit, cui (cum ve-
„ nia dictum ſit) conducibilius foret deliteſcere in occul-
„ to, & velut ignarus myſteriorum, peritis ſe tradere,
„ & quid cæremoniæ, quid Sacerdotes noſtri velint, ediſcere.
„ Niſi fortè illi animos facit uterque Parens, qui a recta
„ Fide abhorrentes, nihil non opis contulerunt iis, qui diſ-
„ putarionibus & vario certamine veram Religionem oppu-
„ gnabant; aut Sororis nupriæ, quæ homini hæretico & Ec-
„ cleſiæ rebelli in matrimonium data eſt. Tantum abeſt,
„ ut noſtra Sacra Otto Vicecomes capeſſat, ut nemo ma-
„ gis ab hoc miniſterio arcendus, & in ultimas terras de-
„ portandus exiſtimetur. An parùm nota ſunt mala, quæ

„ Urbs pertulit, cùm Eccleſia pravum & ſeditioſum Anti-
„ ſtitem nacta eſt? cui, cùm incubaret Auxentius, Vir ne-
„ farius & Arianæ hæreſeos ſignifer, intolerabilem tyranni-
„ dem (ùt Divus Hieronymus inquit) totâ Italiâ Fides
„ Catholica ſuſtinuit. Langobardi Reges, niſi expulſis Ar-
„ chiepiſcopis, quietas res non habuere. Ardericus Cotta,
„ cùm morem gerere Hugoni Italiæ Regi recuſaret, miſe-
„ randæ cædi & agrorum populationi materiam præbuit. Quis
„ commodè explicaret duorum Arderici Gentilium, Landul-
„ phi & Arembaldi Cottarum ſeditiones, qui per decem
„ & novem annos Sacerdotem & univerſum Clerum vexa-
„ verunt, quò Antiſtitem quem vellent, conſtituerent, ut
„ nullum non ſacrilegii genus admiſerint, *nihil impollutum*
„ reliquerint, fuſtibus gladiiſque ſuccincti, ab Aris & Tem-
„ plis celebrantes Sacra deturbarint; Sacro oleo ſparſo, pro-
„ fanum quo uterentur, protulerint; denique (proh nefas
„ & inauditum ſcelus!) tres uno tempore Præſules Eccle-
„ ſia haberet, exulem unum, in carcère alterum, & qui
„ Sedem ſuffocaret puer imperitus, centum Patribus illo-
„ rum imperio prælatus. Quos verò tumultus, quæ bella
„ non excitavit Heribertus Antimianus, qui ſex & viginti
„ annos in eodem Archiepiſcopatu ſic vixit, ut & Domi-
„ nium Urbis apertè affectaverit, & Germanos Principes bar-
„ baraſque Nationes, ut cupiditati ſuæ ſatisfaceret, arcerſere, &
„ populos prædæ exponere non dubitaverit? Intereſt nimiùm,
„ Pater Beatiſſime, non tam Sacrorum & Religionis, quàm
„ publicæ quietis, qualem Præſulem ſortiamur; quò enim
„ ſe Paſtor noſter inclinaverit, eò imperia & opes ſtetêre:

„ quin

„ quin etiam Romano Sacerdoti reliquæ Occidentis Eccleſiæ „ paruêre, ubi Mediolanenſis ſuccubuit. Quare, Patrum Ampliſſime, Te publico nomine, & ex Religionis & Sacrorum noſtrorum utilitate rogamus atque obteſtamur, ut quæ „ ad publicos uſus & cultum Chriſti faciunt, atque in commune conducunt, ea omnia ſolerter circumſpicias, eumque nobis Præſulem des, qui ſit miti ingenio, ſincera mente, procul ab imperandi, procul ab ulciſcendi libidine, „ urbanæ tranquillitatis & concordiæ ſtudioſus, publicam utilitatem amplectatur, & pro communi negotio & ſalute invigilet.

Cùm finem dicendi feciſſent Turrianorum Oratores, Pontifice innuente Ottoni Archiepiſcopo, ut ſi quod Cauſæ ſuæ propugnandæ firmamentum haberet, ediceret, ita reſpondit: „ Nec novum nec inopinatum mihi eſt, Summe Sacerdotum, voſque ceteri Religionis Principes, a ſeditioſis hominibus improbiſque Tyrannis ea objici vitia, quæ ipſi „ patiuntur: Qui poſtea quàm aliquo numero in Urbe eſſe „ cœperunt, Illuſtres Familias odio implacabili, & pulſos „ Patriâ Cives bello inſectari non deſtiterunt, & nomen omne „ Patricium ex profeſſo peroſi, Plebem longo & continenti „ ſervitio opprimunt. Feras obſecro æquo animo, Pater Optime, paulò uberiùs calamitatem noſtram me conqueri, „ & quanta Adverſariorum crudelitas fuerit, exponere. Hi „ non imperare ceteris, & ſuo nutu Urbem regere tantùm „ poſtulant, ſed ſanguinem miſerorum appetunt, opes fortunaſque ſitiunt, funditùs perditos, quos ſemel odêre, „ cupiunt. Cùmque nemo a vi & injuria liber, nemo a „ damno & contumelia tutus foret, ſpes una miſeris reliqua

„ qua

„ qua in Sacerdotii reverentiâ poſita eſt: De cujus jure doctè & prudenter Adverſarius hic noſter fecit, quòd „ parcè locutus eſt; controverſiam omnem, ad publicam „ cauſam & populorum quietem rejecit: ut quod per ſum- „ mam injuriam & Romanæ Sedis contumeliam occupant, „ quod adversùm Decreta duorum Pontificum agunt, id vi- „ deantur publici commodi & tranquillitatis ergo face- „ re: Qui pacis ipſi ſtudioſi, ſtatim ut in me inclinari ſuf- „ fragia vidêre, facto tumultu, correptis armis, domo & „ Urbe ejecerunt. Confûgi ad hoc ſacratiſſimum Orbis ter- „ ræ Conſiſtorium; data ſunt Reſcripta, ut me Antiſtitem „ reciperent: Sed vix fines ingreſſum hoſtili modo arcent. „ Fateor, Amicorum manu ſuccinctus Aronam cepi, non „ ut detrimenta Patriæ inferrem, ſed ut quocumque modo „ in Diœceſi mea conſtitutus, poſſeſſionem mihi deſignatam „ aſſererem. Sed audaces & impii homines, quos nulla re- „ verentia Sacerdotii, nullus Dei metus, nulla Pontificis au- „ ctoritas tangit, ſubitò tumultuarium militem contrahunt, „ Oppidum obſident, Paſtorem operibus & machinis oppu- „ gnant. Fruſtra ſæpiùs auxilium & fidem Tuam invocavi, „ Pater Clementiſſime: Nihil Majeſtas Tua, nihil Pontifica- „ le nomen juvare potuit. Cedere furentibus malui, quàm „ committere, ut Civium meorum ſanguis ex certamine ef- „ funderetur. Tam inſignem contumeliam & Apoſtolicæ Se- „ dis contemptum ne impunitum ferrent, diras in eos Præ- „ ceſſor Tuus injecit, ac Civitatem omnem Sacris interdi- „ xit; ut ſcilicet Sacris multati, ad venerationem & obſe- „ quium redirent. Sed nihil is profecit. Tu eadem repe-

„ tiſti.

„ tiſti . Quid reveriti ſunt ? Et audent deteſtabiles in con-
„ ſpectum Tuum venire ? At dicet aliquis : Adſunt vene-
„ rabundi , ſupplices , pacem expoſcentes , ad genua procum-
„ bunt . Nimirum , Pater Sanctiſſime , non facturi imperata
„ huc venêre ; parituros ſe ſimulant , cùm maximè recu-
„ ſent . Liberæ populi voces , & acres querimoniæ eorum ,
„ qui Sacris carere diutiùs non poſſunt , & gravis regni in-
„ vidia , & rebellionis infamia , hæc illos facere cogunt .
„ Sed impudentes homines tantum ſibi arrogant , ut Ro-
„ mano Pontifici Sacerdotii poteſtatem adimant . Præſulem ,
„ inquiunt , des nobis mitis ingenii , Sacrorum peritum , &
„ qui partium ſtudio non teneatur . Ecce , non erubeſcunt
„ conditiones proponere , a quibus ſi defeceris , ad Majo-
„ rem , credo , Magiſtratum provocabunt . Vecordes ſanè ,
„ & inauditæ temeritatis homines ; velint nolint , arbitrio
„ Romani Pontificis ſtabunt , illi obtemperabunt , & ceu per-
„ petuo ac ſingulari Domino ſervient . Optarem ſanè , ut
„ Sacroſancti hujus Loci rationem aliquam habuiſſent , neque
„ tantâ petulantiâ ejus amplitudinem læſiſſent . Auſi ſunt me
„ Parenteſque meos hæreſeos inſimulare , quos ipſos priùs
„ omni crimine vacare oportuit , qui manifeſtæ contumaciæ
„ tenentur . Sed ſinite , quæſo , quietos meorum cineres :
„ Pax ſit cum mortuis , parcite Manibus : Satis enim eos
„ conſtat piè & religioſè deceſſiſſe , qui ex ultima volun-
„ tate Chriſtiano ritu , ſacro in Loco ſepulti ſunt ; quorum
„ Oſſa non a profanis , ùt vos eſtis , ſed a religioſis Viris
„ componuntur ; Sororis quoque Maritum taxare placuit ,
„ cujus ego Cauſam longiore oratione non proſequor . Vi-

„ vit

Digitized by Google

„ vit enim, & quidem Loco celebri, ut facilè quorum hominum fautor ſit, & quæ dogmata ſequatur perſpici poſſit. Objiciunt nobis Actiolini vires, quem nunquam novi; & Uberti Palavicini ſocietatem, cujus ipſi quinquennali militia uſi ſunt; & poſt intoleranda damna Amicis ſuis illata, mox Plebi Mediolanenſi illudentes, nomen & imperium Credentiæ, quod olim infima turba adversùs improborum hominum licentiam comparaverat, cujuſque Ordinis tanta poteſtas auctoritaſque fuit, ut bello paceve id demum ratum foret quod Credentia juſſiſſet, penitus ſuſtulerunt. Soli Rempublicam tenent & gubernant. Protector populi nuncupatur, qui Patriam nobilitate exhauſtam, & Plebem juxta circumſcriptam opprimit tyrannide inſolentiſſima. Quippe minus multò calamitoſum plerique duximus exulare, longeque a Patriæ finibus vitam agere, quàm libidini & intemperantiæ eorum parêre, apud qnos nullum rapinis, ferro, & cædibus modum eſſe videbamus. Nam & quæ Carolo Regi præſtitiſſe ſe jactant, ea non in Pontificis gratiam facta ſunt, ſed ut illo ſocio amicoque uterentur; ejuſque umbrâ ſubnixi regnum ſtabilirent, Patriamque omnem per ſcelus & libidinem lacerarent. Porro, quæ immanitas, quæ ſævitia nuper admiſſa eſt, cùm ob unius necem ab incerto auctore factam, centum & quatuordecim Viri, nihil commeriti, & quorum pars maxima abſfuerat, uno Edicto contrucidati ſunt, & carris impoſiti, per ora vulgi circumvecti infandum ſpectaculum præbuere? Quos tunc gemitus, quas lacrymas, quàm lamentabiles querelas tota

„ Urbe

„ Urbe auditas fuiſſe creditis ? Certè animus meminiſſe horret. Et tamen funeſti homines in medium procedunt, Sacerdotium petere, de pace agere, & de concordia Civium tam inſolenter loqui in hoc ampliſſimo Cœtu audent ?

Abire juſſis ab Aula Oratoribus, non diu agitanda conſilia fuere, cùm unica omnium ſententia foret, quam Summus ipſe Pontifex pronunciavit in hæc verba: *Remaneret tamdiu Sacris interdicta Civitas Mediolanenſis, uſquedum obſequens ea eſſet Pontificis mandatis, atque in Sedem Otto ſuam reciperetur.*

Petenti autem Ottoni Archiepiſcopo, ut Legatus Mediolanum a Pontifice mitteretur, qui Apoſtolica auctoritate omnia componeret, annuit Clemens, atque unum ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Legatum ad hanc Metropolim direxit. Statim ac iſte Urbem noſtram attigit, honorificè exceptus a Turrianis cum longo Sacerdotum ordine ac Civium turba, commiſſum ſibi munus implere curavit. Quapropter collecto Præſulum & Principum Langobardiæ Concilio, Summi Hierarchæ mentem palam explicuit, tria hæc ſubinde ſtatuendo, quæ Galvaneus Flamma *in Manipulo Florum* nobis ſervavit Cap. CCCIV., videlicet: *Primò quòd Mediolanenſes recognoſcent, Ottonem Vicecomitem eſſe verum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & ipſi tamquam vero Patri dignos exhibebunt honores. Secundò quòd ipſum recipient in Civitatem Mediolanenſem, & ipſi reſtituent omnia ſua jura & Caſtra, & poſſeſſiones Eccleſiæ. Tertiò quòd de cetero nulla fiet in Clero exactio, nec proſcribetur alius Clericus, &*

damna illata reſtituentur, *& nulla injuria fiet alicui Eccleſiaſticæ perſonæ* &c. Hæc autem omnia jurejurando ab univerſis Civibus ſignari voluit, ut rata & firma haberentur; idque præſtitum eſt publicè in plateis. Quibus pro voto expletis Pontificius Legatus *relaxavit Interdictum*, *& excommunicatos abſolvit*, *ac petiit*, *quòd juramentum opere compleretur*, ùt Galvaneus teſtatur. Reverſus Romam Legatus, factoque conſcio Clemente IV. de Legatione ſua feliciter acta, Ottoni Archiepiſcopo facultas data eſt, ut liberè ſecurèque ad regendam Mediolanenſem Eccleſiam quantocius accederet.

Verùm, cùm nondum reſtituta fuiſſent a Turrianis Oppida, Arces, & prædia Archiepiſcopalis Menſæ, Otto omni interim ſubſidio ſe orbatum videns, porrecto ſupplici Libello, a Clemente Pontifice poſtulavit, ut ſibi ea poteſtas confirmaretur, qua olim expulſum ab Aronæ Arce ipſum donaverat Urbanus IV. per Literas Pontificias, ut videlicet, cùm Bona Mediolanenſis Eccleſiæ *ab indevotis nequiter* occuparentur, nec facilè eorum poſſeſſionem adipiſci poſſet, ſubſidium in pecunia exigeret per biennium, ad neceſſariam ſuî Dignitatiſque acceptæ ſuſtentationem, ab Epiſcopis, Prælatis, Monaſteriis, Eccleſiis Cathedralibus, aliiſque perſonis Eccleſiaſticis. Propenſum votis ſuis animum Clementis Archiepiſcopus noſter invênit: Pontifex enim datis Literis *Viterbii III. Calendas Julii*, *Anno MCCLXVII. Pontificatus ſui anno tertio* prædictam facultatem Ottoni conceſſit. Harum Exemplar nos inſpeximus in Archivo Monialium antiquiſſimi Cœnobii Medæ, in quibus, ex placito Pontificis, Otto imponit

nit Prælatis, Abbatibus, Clero, Archidiacono & Capitulo, ac univerſis perſonis Eccleſiaſticis Alexandriæ & ejus diſtrictûs, quatenus *pro anno præſenti Procuratoribus ſuis Leonardo Præpoſito de Dexio Mediolanenſis Diœceſis, vel Magiſtro Joanni Qualiotto Canonico Aſtenſi, infra XL. dies, triginta libras Imperiales Papienſis monetæ ſolvant ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Interdicti Eccleſiarum*. Similia Exemplaria occurrent in Archivis, expedita ad ceteras Provinciæ Eccleſias, cùm ad alterum etiam annum Clemens IV. hanc facultatem Ottoni extenderit.

Videbatur attingendo litori proxima ſpes Ottonis, quæ tamdiu ærumnis & contentionibus agitata in ſicco hæſerat, quin progredi poſſet ad infigendum Patriæ liminibus, & Eccleſiæ ſuæ Solio ſecurum oſculum pacis. Siquidem adnitente Summo Pontifice, Apoſtolica auctoritate tum in publico Conſiſtorio, tum per Legatum in Urbe ipſa Mediolani, id tamdem aſſecutus fuerat, ut a Turrianis hoſtibus atque univerſo populo, quieta poſſeſſio capienda Archiepiſcopalium Arcium, obſequiumque eidem tamquam legitimo Paſtori præſtandum, necnon admiſſio in ſuam Sedem, inviolabili fide ac ſacramento firmarentur. Sors tamen infauſta, quæ ex inopinato emerſit, denuo ſpem omnem recuperandæ Sedis in altum propulſavit; ſequenti namque Anno MCCLXVIII. correptus Clemens Pontifex Maximus vehementi morbo, Viterbii migravit e vita; Quodque difficiliorem in Patriam reditum Ottoni reddidit, fuit diuturna & ferme triennis viduitas Romanæ Cathedræ, quæ nonniſi Anno MCCLXXI., Calendis Septembris ſponſum recepit Gregorium hujus nominis

 X.,

X., e nobiliſſima Vicecomitum Placentina Familia progenitum. Digreſſo enim ad æternam requiem Sanctiſſimo Pontifice Clemente, exſolutos ſe exiſtimantes Turriani vinculis ſponſionum & juramenti, quibus obſtricti erant ſe, ſuſdeque cuncta verterunt, ut Ottonem omni jure ſpoliarent, præſidiis ac munimentis fulcientes Loca, quæ ad Archiepiſcopum Mediolanenſem ſpectabant, ne aditus ullus pateret adventui Ottonis. Sedente autem Romæ Gregorio, ſplendidam ad novum Pontificem Legationem duodecim ex nobilioribus Procerum Turriani direxerunt, ut univerſæ Civitatis gratulationes pedibus ejuſdem advolverent, ſimulque ut a patrocinio, inviſi ipſis, delecti Archiepiſcopi illum averterent. Non defuit Otto partibus ſuis, querelas coram Gregorio exponens, rogansque, ut quod in pleno Apoſtolico Senatu a Deceſſore ſuo ſtatutum fuerat de quieto ejuſdem reditu in Patriam, Turrianis ipſis publicè conſentientibus, tamdem impleretur. Id tamen, quamvis juſtum æquiſſimumque ſibi videretur, differendum cenſuit Summus Pontifex, cùm animo verſaret, celebrare Concilium Generale in Urbe Lugduni, nolletque infenſos ſibi reddere Turrianos in hoc Reipublicæ Chriſtianæ proficuo molimine, quod meditabatur.

Acquieſcere itaque debuit Otto tam piis Gregorii votis, qui optima ſperare illum jubebat; nec in caſſum cecidêre hæc Summi Pontificis proſpera auſpicia. Siquidem cùm, indicto memorato Concilio, Româ proficiſceretur ad illud celebrandum, Ottonem ſecum comitem adſcivit: Cùm autem Placentiam deductus eſſet, ibidem conſiſtere Ottonem voluit, pollicitus eidem, ſe, cùm Mediolano tranſiret, de pace cum Tur-

Turrianis concilianda pertractaturum. Exceptus quidem fuit Gregorius in hac Metropoli ſolemni pompâ, atque omni honoris ſignificatione, quam Calchus deſcribit; ſed ſive urgente deſiderio feſtinandi ad Concilium, ſive contumaciâ Turrianorum pervicaciter obſiſtente, poſt expletum in Ædibus Ambroſianis triduum moræ, nocte intempeſtâ, abſque ullo Mediolanenſium comitatu ſe Mediolano proripuit. Neque ſegnis fuit etiam Otto ad iter arripiendum Lugdunum verſùs, eo præcipuè commotus, quòd intellexiſſet, ſe ad necem peti per Sicarium pecuniâ conductum. Lugduni autem degens cum Gregorio X. (non IX., ùt per errorem ſcripſit Galeſinius) de hoc inſolenti auſu, deque aliis criminibus, quibus violatâ Eccleſiaſticâ juriſdictione & peſſumdatâ reverentiâ Apoſtolicæ Sedi, humanas Divinaſque leges perſtringebant Turriani conqueſtus, eò adduxit Pontificem Maximum, ut ſacri anathematis telum armaverit, novamque Civitati Mediolanenſi Interdicti pœnam inflixerit, ùt Calchus teſtatur. Corius non Lugduni, ſed poſt reditum Gregorii à Lugdunenſi Concilio, Anno MCCLXXIV. multatam fuiſſe hac Cenſurâ noſtrorum Civium contumaciam aſſerit; atque hanc veriorem ſententiam eſſe opinamur, quemadmodum conferenti narrationem Calchi cum altera Corii patebit.

Opportunè hoc loco recolendum nobis occurrit inſigne decus, quo illuſtrata hæc Metropolis fuit, ex adventu in eamdem Petri de Murrone, qui poſtmodum Pontificiâ Romanâ Tyarâ ornatus ſub nomine Cœleſtini V., demum Sanctorum Confeſſorum albo adſcriptus eſt a Clemente V., Anno MCCCXIII. Neque enim ſolummodo nominis ſui famam,

per

per hanc Urbem tranſiens reliquit, ſed etiam veſtigia apud nos ſingularis ſuæ caritatis impreſſit, quæ adhuc perdurant. Inſtituerat ille Ordinem Sacrum, ab Auctore ſuo *Cœleſtinorum* appellatum; jamque permulta tum in Apulia, tum in reliqua Italia erexerat Domicilia, ſub nomine *Congregationis Sancti Damiani*. Cùm verò intellexiſſet, in Lugdunenſi Civitate celebrari a Gregorio X. Pontifice Maximo Generale Concilium, illuc pedes profectus eſt, ut confirmationem Congregationis ſuæ obtineret; votique fui compos eſt factus: Nam quamvis Gregorius X. (ùt Pagius junior adnotavit) in eo Concilio plures Ordines recèns inſtitutos reprobaſſet, tamen cognitâ Petri de Murrone probitate ac ſanctimonia, ejuſdem precibus facillimè ſe exorari permiſit, & Ordini Sancti Benedicti eamdem Congregationem adſcripſit. Hanc verò multis etiam prærogativis auxit ipſemet Cœleſtinus, cùm in Pontificia Cathedra ſederet, ùt conſtat ex Diplomate hujus Summi Pontificis, expedito Anno MCCXCIV., quod legitur in Bullario Romano.

Cùm igitur ex Gallia in Italiam rediens Petrus Mediolano pertranſiret Anno MCCLXXIV., moram aliquam hìc duxit, ac Hoſpitium extra Orientalem Portam, ad excipiendos peregrinos conſtruxit, aliquem ex Sectatoribus ſuis ibidem relinquens, ad hoc pium Caritatis opus perficiendum, quemadmodum antiquus Lapis inciſus memorabat, quem in fruſta confractum ab oſcitantia Cœmentariorum (cùm Eccleſia Cœleſtinorum noſtrâ ætate in elegantiorem formam reficeretur) perlegit, non ſine animi indignatione Reverendiſs. Pater D. Joſeph Palatius Mediolanenſis, eo tempore Phi-

Philoſophiæ Lector, nunc ejuſdem Cœnobii Abbas, eruditione ac doctrinâ ornatiſſimus, nobiſque benevolè communicavit. Paucos hujus Ordinis Alumnos habuit Hoſpitium illud, donec Anno MCCCXVI. in regularis diſciplinæ Cœnobium evaſit; erepto enim e vivis Archiepiſcopo Mediolanenſi Caſſone Turriano, admiſſi fuere ad illud incolendum Cœleſtini Ordinis Sectatores, facultatem ultro præbente Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ Collegio. Teſtem hujus rei habemus antiquum Catalogum Archiepiſcoporum hujus Ambroſianæ Eccleſiæ, *Primicerii* appellatum, cujus Exemplar MStum in Bibliotheca Ambroſiana ſervatur; ibi enim hæc leguntur: *Iſtius Caſtoni morte, vacante Sede, Capitulum Eccleſiæ Mediolanenſis conceſſit Fratribus Cœleſtinis locum & Eccleſiam extra Portam Orientalem, ubi nunc eſt*. Porro a vero nos abludere non cenſemus, ſi dicamus, conſilium inducendi in Metropolim noſtram hujus Ordinis, captum fuiſſe Lugduni, cùm ipſomet tempore ibi morarentur Otto Archiepiſcopus & Petrus de Murrone, eodem Antiſtite libentiſſimè annuente.

Antequam Cœleſtini Ordinis Alumni in hac Urbis parte Cœnobium conſtruerent, Scriptores duo, qui univerſæ noſtræ Metropolis *Deſcriptionem* typis vulgaverunt, concordes affirmavere, ibidem reſediſſe olim Fratres *de Pœnitentia Jeſu Chriſti*, paſſim appellatos *de Sacco*, ſeu *Sacchetos*, ob veſtes aut ſaltem Scapulare ejus generis, quod gerebant. Quo Seculo, quove Auctore inſtitutus Ordo iſte fuerit, adhuc in tenebris latet: Quinimo alii prodiiſſe illum recentiori ætate tradunt, alii verò antiquæ eruditionis ſtudio celebres ejuſdem

dem originem duodecimo circiter Seculo ſecurè conſignant. Certè, cùm aſperrimam vitam ducerent, ſummamque paupertatem profiterentur ſub Regula Sancti Auguſtini, eos ex Italia Pariſios evocari curavit Anno MCCLVII. piiſſima Fœmina Blanca, Sancti Ludovici Regis Mater. Aloyſius Torellus *in Seculis Auguſtinianis*, ad Annum MCCLVI., num. LVIII., & Auctor Gallicæ *Hiſtoriæ Ordinum Regularium* Tom. III. Cap. XX. cenſent, Ordinem hunc extinctum fuiſſe unà cum aliis pluribus a Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, Anno MCCLXXIV. celebrato: Fatentur tamen, non ſtatim eumdem defeciſſe, ſed ſenſim; per aliquot namque annos etiam Seculi ſubſequentis, in Gallia, Hiſpania, Flandria, Anglia, atque alibi perduravere hi Fratres ſuis in Cœnobiis, priuſquam ob eleemoſynarum parcitatem cogerentur, ea religioſis aliis Ordinibus reſignare; ùt eruditè narrare proſequitur prælaudatus Gallicus Auctor, ſubjungens, eorumdem Monaſterium in Urbe Parmenſi non ceſſiſſe in jura Fratrum Servitarum, niſi Anno MCCCXXVI. Quod ad nos attinet, nullum in Hiſtoriis Patriæ veſtigium occurrit, ex quo arguere poſſimus, quandonam hic Ordo in Mediolanenſem Metropolim pedem intulerit. Supereſt in Muſæo Clariſſimi Equitis, & noſtrarum rerum antiquarum ſtudioſiſſimi Don Caroli Trivultii, hujus Ordinis ſigillum; ſed nimis ambiguum indicium hoc eſt, ut inde aliquid certi aſſeramus de fixa Mediolani ejuſdem Alumnorum ſtatione. Nihilominus pauca iſta adnotare placuit, ne quod a Civibus met noſtris in publicam lucem prolatum jam eſt, videamur aut per incuriam ignoraſſe, aut injurioſâ negligentiâ prorſus omi-

omiſiſſe; cùm minimè cenſendi ſint memorati Auctores ex proprio cerebro, ſed potiùs ex aliquo vel MSto, vel edito Codice, notitiam hanc ad Poſteros tranſmiſiſſe.

Verùm ut ad Archiepiſcopum noſtrum redeamus, digreſſus poſtmodum Otto Lugduno, Bugiellam, Vercellenſium Oppidum adiit, quò illum ſe recipere Gregorius Pontifex juſſerat, Langobardicos fines in reditu e Gallia attingens. Ibi degens Antiſtes Vicecomes fœdera inire ſtuduit cum Marchione Montisferrati, aliiſque Urbibus, Novarienſi videlicet ac Papienſi. Nobilium quoque Mediolanenſium agmen, qui exilio multati hinc atque illinc diſperſi vagabantur, collegit, ſeque illorum Ducem conſtituit; ut quod precibus non valuerat conſequi, armis obtineret. Ac primò præſidiis hiſce auctus Seprii Caſtrum in poteſtatem ſuam redegit: Subinde Aronam Angleriamque ingreſſus eſt, frementibus licèt Turrianis, qui validis copiis eumdem inde expellere nitebantur. Initæ poſtmodum variæ pugnæ fuerunt, quæ modò felices, modò improſperæ Ottoni accidêre. Denique cùm ad Decium Oppidum perveniſſet, Turrianos qui non procul caſtra fixerant, noctu adortus illorum exercitum fregit, multiſque eorumdem captis, ac ceteris turmis in fugam compulſis, integram victoriam retulit Anno MCCLXXVII., die Sanctæ Agneti ſacro; quem etiam Sedi reſtitutus ſervari voluit Communi Decreto vacuum a ſervilibus operibus, recurrente quolibet anno, in memoriam recepti a Deo beneficii tam illuſtris. Quod admirari in tanto Viro juſtè poſſumus, id eſt, eâ moderatione Ottonem proceſſiſſe in hac fortunæ arridentis amplitudine, ut ad Nobiles comites ſuos converſus, hiſ-

ce verbis, quæ Galvaneus loco laudato refert, eos fuerit allocutus: *Iſta victoria non eſt noſtra, ſed eſt Dei beneficium. Nullus nudet enſem, nullus ſpoliet pauperem nec divitem, nullus recordetur injuriarum aut vulnerum. Non enim decet Archiepiſcopum ad ſuam Sedem reverti cum gaudio, & alios plorare exſpoliatos, vel vulneribus rubricatos: Sed omnes cantantes & laudes Deo referentes intremus Civitatem noſtram.* Narratur etiam inſigne compoſiti ad virtutem animi exemplum: Cùm enim fervente pugnâ, equo dejectus Napus Turrianus hoſtilis exercitus Ductor, jaceret in pingui cœno, jamque gregarius miles nudato gladio, illius jugulo immineret, ſuperveniens opportunè Otto hunc a cæde prohibuit, porrectâque manu Napum humaniſſimè erigens, eumdem ſummè commendatum copiis ſuis, ad deſignatum cuſtodiæ locum perduci incolumem juſſit.

Pervulgato extremæ Turrianorum cladis per hanc Metropolim nuncio, inter ſpem & metum Civitas fluctuabat, ignara ſortis ſuæ, recepto intra mœnia victore Archiepiſcopo. Tamdem conſilium captum eſt mittendi ex Urbis Primoribus Oratores ad Ottonem, nomine omnium gratulaturos de profligatis hoſtibus, & inſigni ab ipſo relata victoria; ſimulque veniam imploraturos Populo, multis calamitatibus afflicto, & qui non tam ſponte ſua, quàm paucorum contumaciâ in eum peccaſſet. Excepit illos ſerenâ fronte Otto, & pauca locutus bono animo eoſdem eſſe juſſit; ſeque Mediolanum adventare ait non ùt hoſtem, ſed ùt Paſtorem & Patrem: Sacerdotis eſſe, non injurias acceptas ulciſci, ſed obliviſci. Reverſi ad ſua Oratores, pacata omnia ac proſ-

proſpera eſſe nunciantes, univerſam Civitatem gaudio replevêre. Miſſa ſubinde ſunt Epiſcopalia indumenta, ut pro Dignitatis ſuæ reverentia atque honore Archipræſul Metropolim Eccleſiamque ſuam ingrederetur. Paratis omnibus quæ tantum Antiſtitem decebant, ſeſe in occurſum effudit Sacerdotum cohors, Hymnos & Pſalmos decantans; plebſque omnis vix lætitiæ ſuæ capax, olivarum ramos & paciferam frondem geſtans obviam incedebat, ſtratâ etiam fragrantibus herbis viâ venientem Paſtorem, humi procumbens voce hilari ſalutabat. Ambroſianam Ædem primò adiit Archiepiſcopus, Deo exercituum, ac victoriarum largitori gratias acturus, thureque plurimo in aris fumante, vota quæ conceperat, flexo poplite Numini perſolvit. Dein populum allocutus, affulſiſſe jam diem inquit, quo ærumnis & cædibus finis imponeretur; hyemem tot calamitatum, quibus univerſa Civitas obruebatur, Dei ope jam eſſe depulſam; nec aliud ſupereſſe, niſi ut expunctâ e mentibus præteritorum malorum memoriâ, quam illis pepererat recens victoria, quietâ pace fruerentur, Deoque bonorum datori ſeſe totos devoverent. Poſtmodum in Prætorium delatus, admiſſis Civium Magiſtratibus, idem qui Sacrorum Præſes erat, Urbis Dominus eſt conſtitutus.

Quandoquidem verò inter ceteras occaſio expellendi ab Urbe non tam Nobiles, quàm primarium Clerum Metropolitanæ Baſilicæ, ea fuerat, quòd nonniſi ex Illuſtribus Familiis deligendi eſſent, qui in Venerabili illo Collegio conſidêrent, Plebejis omnino rejectis; cura fuit præcipua Ottoni Archiepiſcopo, qui favore atque ope Nobilium exulum, in-

 greſ-

greſſum in hanc Urbem obtinuerat, morem gerere iiſdem, renovando inveteratam jamdiu conſuetudinem, ut Viris tantùm ſanguine claris patêret locus inter Templi Maximi Ordinarios Canonicos. Quocirca, poſtquam Archiepiſcopale Solium conſcendit, abrogatis Legibus ac Statutis omnibus, quibus aperiebatur via etiam Plebejis, honorem hujuſmodi conſequendi, Elenchum Familiarum conſcribi juſſit (quem nunc *Matriculam* vocant) quibus ſolummodo acceſſus ad primarium eum Ordinem recluderetur; quemadmodum etiam in hunc uſque diem inviolato uſu ſervatur, niſi Pontificia auctoritas interſit, quæ ab hac Lege eos abſolvat, qui in memorato Familiarum Elencho non deſcripti, ad illud Collegium aſſumuntur.

Non deſtitêre tamen ab infeſtationibus Turriani, qui ab accepta clade ſuperfuerant; refectis namque copiis, conductoque Theutonicorum agmine, ac ſuperveniente Raymundo Turriano Patriarcha Aquilejenſi cum CCC. lanceis & ſagittariis, validiores facti, poſt varias excurſiones in Urbe Laudæ conſtitêre. Otto, qui ad novi belli ſtrepitum accurrerat copioſâ ſuorum militiâ ſtipatus, in Oppido Gorgonzolæ caſtra fixerat. Sed derepente irruentibus in eadem per noctem Turrianis, multâ jam cæde Mediolanenſium factâ, gloriabantur ſe vicem rependiſſe Præſuli Vicecomiti, cùm pugnatum eſt prope Decii Oppidum. Is tamen, ex quo optimè comperiſſet, imparem ſe viribus eſſe hoſti jam de victoria ſuperbienti, nemine advertente elapſus eſt de pugna, atque in agreſti Domuncula, quæ a Turrianis, utpote deſtituta præſidiis, contemnebatur, aliis omnibus incendio crematis,

tis, ſe abdidit. Jacet adhuc in Vico, nuncupato *Lurate*, juris nunc Abbatis & Monachorum Sancti Simpliciani Mediolani, Congregationis Caſinenſis, infixus in fronte januæ Lapis, qui ſculpta refert hæc carmina:

ANGUIGENÆ GENTI IMPERIUM QUI NOBILE FIXIT,
MAGNANIMUS PRÆSUL, DUX GENEROSUS OTHO;
EFFUGIENS QUONDAM VICTUS TELA INTER ET HOSTES,
HOSTES UT TAMDEM VINCERET, HIC LATUIT.

Cùm tamen Chronicis notis Lapis hic careat, ignoramus, an ante ingreſſum in Urbem, an poſt, latibuli felicis loco Ædes illa inſervierit.

Recedentibus poſtmodum Turrianis ad alia invadenda Oppida, Mediolanum reverſus eſt Otto; & ne impoſterum vitæ ſuæ aut libertatis periculum ſubiret, a Ducis officio abſtinuit, Amicumque ſuum Gulielmum Montisferrati Marchionem in hanc Metropolim accivit, atque eumdem, accedente etiam communi Magiſtratuum Placito, per decennium conſtituit Dominum Urbis, itaut quæ meliora exiſtimaret pro Reipublicæ bono, arbitratu ſuo decerneret.

Exſolutus itaque Archiepiſcopus a tricis bellorum, ſeſe totum Eccleſiæ ſuæ in priſtinum ſplendorem reſtituendæ addixit. Neque tamen etiam in exilio poſitus, Paſtoralis ſui officii oblitus fuerat Otto; cùm namque in Ditione Derthonenſi moraretur, & Patres Eremitæ Ordinis Sancti Auguſtini ad illum confugiſſent ſubſidium imploraturi, ut incœptum ab ipſis ædificium Eccleſiæ in eadem Derthonenſi Urbe abſolve-

re

re valerent, Archiepiſcopus noſter Diploma expedivit ad univerſos Provinciæ ſuæ Chriſtifideles, eos ſuccenſurus ad liberalem ſtipem erogandam in Dei cultum, quam ipſe implicitus bellis, & extorris a ſua Sede præſtare non poterat. Meretur hoc loco referri memoratum Diploma, extractum ab archetypo Cœnobii eorumdem Patrum, & impreſſum a Torello *in Seculis Auguſtinianis* Tomo IV. Siquidem ex eo elucet eximia ſolicitudo & cura, qua Otto promovere in ſua Provincia rem Divinam pro viribus contendebat. Ita autem ſe habet:

„ Otho Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediola„ nenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Univerſis Chriſtifidelibus per „ Mediolanenſem Provinciam conſtitutis ſalutem in Domino „ ſempiternam. Quoniam, ùt ait Apoſtolus, omnes ſtabimus „ ante Tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, „ ſive bonum fuerit, ſive malum, oportet nos diem meſ„ ſionis extremæ, miſericordiæ operibus prævenire, & æter„ norum intuitu ſeminare in terris, quod, reddente Domino „ cum multiplicato fructu, recolligere debeamus in Cœlis, „ firmam ſpem fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè ſemi„ nat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, „ de benedictionibus & metet vitam æternam. Cùm igitur „ Religioſi Viri Prior & Conventus Derthonenſis Eremita„ rum Ordinis Sancti Auguſtini, Eccleſiam ad honorem „ Sanctæ Trinitatis ædificare cœperint opere ſumptuoſo, & „ ad conſummationem ipſius operis propriæ non ſuppetant „ facultates; Univerſitatem veſtram rogamus & hortamur „ in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungen-

„ tes,

„ tes, quatenus de bonis a Deo vobis collatis, pias elee-
„ moſynas eis & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per
„ ſubventionem veſtram dictum Opus valeat conſummari; &
„ vos per hæc & alia bona, quæ Domino inſpirante fece-
„ ritis, ad æternæ poſſitis felicitatis gaudia pervenire. Nos
„ enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Sancti Am-
„ broſii Confeſſoris & Patroni noſtri meritis confidentes,
„ omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad conſum-
„ mationem hujuſmodi Operis manum porrexerint adjutri-
„ cem, quadraginta dies de injuncta omnibus pœnitentia
„ miſericorditer relaxamus. Datum Viqueriæ, Diœceſis Der-
„ thonenſis XIII. Junii, Anno Domini MCCLXXI. Indictio-
„ ne XIV.

Subinde verò Diœceſi ſuæ ſacris Inſtitutis excolendæ manum adjecit Archiepiſcopus Otto, ubique promovens Dei gloriam, atque ad Chriſtianæ caritatis opera exercenda piorum hominum corda ſuccendens. Captum fuerat conſilium in Canobii pago ad oram Verbani Lacus, aperiendi Hoſpitalem Domum ægrotis peregriniſque: Utque canonica ejuſdem erectio fieret, quæſitum eſt Mediolanenſis Antiſtitis patrocinium & facultas. Lubenti animo preces haſce excepit Præſul Vicecomes, Literaſque dedit ad eos Fratres, qui advocati fuerant ad illius Domûs curam gerendam. In iis verò facultatem omnem largitur conſtruendi ædificii, aptandique omnia, quæ ad ægrorum ſalutem procurandam neceſſaria videbantur. Regulam quoque Sancti Auguſtini ab ipſis ſervandam præſcribit, jubetque ut Magiſtrum ſibi præficiant, cui obedientiam præſtent, Jure viſitationis aliorumque

que

que Archiepiſcopalium munerum ſibi & Succeſſoribus reſervato. Quinimo, ut in perpetuum conſtaret de hujus Hoſpitalis Domûs ſubjectione Ambroſianæ Eccleſiæ, iiſdem injungit, ut ceræ libram unam, in Feſto Sancti Ambroſii, Archiepiſcopali Menſæ ſingulis annis perſolvant. Data eſt iſta Conceſſionis Charta, die XIV. Februarii, Anni MCCLXXXVII., ejuſque exemplum, quod nos in lucem proferimus, cuſtoditur in Archivo Curiæ Archiepiſcopalis, inter Collectanea Joannis Baptiſtæ Cornei, Primicerii Lectorum, Tom. XV.

„ Otto Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Mediolanenſis „ Eccleſiæ Archiepiſcopus, Religioſis Viris, Fratribus Petro, Martino, & Thomæ Converſis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ de Canobio Mediolanenſis Diœceſis, in vero omnium „ Salvatore ſalutem. Solitæ Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ „ benignitatis officium, ſed & noſtrûm, qui, licèt imme„ riti, eidem Eccleſiæ præſidemus, depoſcit conditio, ut „ volentibus & optantibus Domino famulari, favorabile præ„ beamus obſequium, ac proſequamur eos ad omne, quod „ poſſumus & debemus, gratæ commodum libertatis. Hinc „ eſt, quòd vobis & aliis, quos de cetero recipere vos „ continget, in eodem loco Deo ſervientibus, & Sancti „ Auguſtini regulam devotè ſervantibus, nos tamquam Pa„ trem, ùt tenemur, exhibentes, favorabiles & benignos „ nos communibus veſtris bonis quæ habetis, & impoſterum „ juſtè poteritis adipiſci, ſub noſtra & Mediolanenſis Ec„ cleſiæ protectione ſuſcipiamus, & Sancti Auguſtini vobis „ obſervandam damus Regulam, & perpetuo confirmamus,

„ ut

„ ut de cetero ſecundùm ipſam Regulam vivere debeatis, „ habendo Magiſtrum, cui teneamini obedire in ipſius Regulæ Inſtituto; jure Viſitationis & correctionis, & quolibet alio jure & juriſdictione Archiepiſcopali ſeu Epiſcopali in vos & Succeſſores veſtros, ac Hoſpitale prædictum in nobis & Archiepiſcopatu Mediolanenſi plenè & integrè reſervatis; & vobis etiam præſtantibus nobis & Archiepiſcopatui Mediolanenſi Cenſum, ad honoris, viſitationis, & ſubjectionis, & omnium jurium ſupradictorum ſignum, in Feſto Beati Ambroſii, ceræ annis ſingulis libram unam. Vos ergo tamquam Viri providæ probitatis, vos ipſos diligenter conſpicite, ſicque vos Deo ac Sanctæ Eccleſiæ, ac veſtri Ordinis honori & utilitati competentes & convenientes proficite, ut Deus vos inde meritò proſequi, ac nos poſſimus & debeamus ſemper in omnibus & per omnia, prout jus & ordo popoſcerit, ad dona ſublimia promerenda. Nulli ergo omnino hominum ditioni noſtræ ſubjectorum liceat hanc paginam noſtræ Conceſſionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beati Ambroſii Confeſſoris Patroni noſtri, & noſtram ſe noverit incurſurum. Dat. Mediolani, die XIV. Februarii, Anno „ Domini currente MCCLXXXVII., XV. Indictione..

Ut autem ea attingamus, quæ in noſtra Metropoli ſedens, pro munere ſuo laudanda peregit, hæc ſubjungenda occurrunt. Exciderat non parùm Eccleſiaſtica diſciplina, temporum iniquitate & civilium diſſidiorum frequentiâ, quæ

amplum corruptelis aditum aperuerat. In primis verè renovare ipſi placuit Conſtitutionem illam, quam Deceſſor ſuus Leo de Perego ediderat, noſque ſuperiùs memoravimus. Aſſervatur in Archivo Inſignis Baſilicæ Collegiatæ Sancti Georgii in Palatio Mediolani Charta, hoc Ottonis Decretum referens, quam nunc primò vulgamus.

„ In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Anno a Na-
„ tivitate ejuſdem milleſimo ducenteſimo octuageſimo, die
„ Veneris duodecimo Januarii, Indictione octava, in Pala-
„ tio veteri Archiepiſcopatus Mediolani, in præſentia mei
„ Notarii & Teſtium infraſcriptorum. Congregatis ibi Ca-
„ pitulo Mediolanenſis Eccleſie, & Clero Mediolani, pro
„ hoc & aliis negotiis ſolemniter convocatis, Venerabilis
„ Pater Dominus Otto, Dei gratia Sancte Mediolanenſis Ec-
„ cleſie Archiepiſcopus: Cùm in Conſtitutione ſeu Statuto
„ bone memorie Domini Fratris Leonis, olim Archiepiſcopi
„ Mediolani contineatur, quòd quilibet Clericus beneficiatus
„ ad Eccleſiam ſuam habitet, deſerviat, & qui alibi habi-
„ tant, ad Eccleſias ſuas redeant infra menſem, ibidem re-
„ ſidentiam & debitum ſervitium impenſuri, ita quòd ibi
„ jaceant & comedant, nec eis in locis aliis de communi
„ alicui miniſtrent, in tranſgreſſores excommunicationis ſen-
„ tentiâ promulgatâ, niſi fuerint in Scholis, vel aliàs ex
„ juſta & neceſſaria cauſa abſentes, vel ita fuerint impube-
„ res garciones, quòd potius eos ſub diſciplina & cura pa-
„ rentum expediat educari; interpretando declaravit, preſen-
„ tibus & aſſiſtentibus eidem . . . . . . Archipresbytero &
„ Capitulo dicte Mediolanenſis Eccleſie, quòd quilibet Cle-
„ ricus

„ ricus Beneficia cum cura & ſine cura obtinens, in Bene-
„ ficio cum cura reſidere perſonaliter teneatur; alioquin pen-
„ nam dicte Conſtitutionis ipſius Domini Fratris Leonis, olim
„ Archiepiſcopi Mediolani incurrit. Et conſiderans & atten-
„ dens idem Dominus Archiepiſcopus utilitatem & commo-
„ dum Eccleſiarum Civitatis & Dioceſis Mediolan, & ani-
„ marum ſalutem, caſſavit & revocavit, & caſſat & revo-
„ cat omnes diſpenſationes & indulgentias & licentias, cu-
„ juſcumque tenoris exiſtant, per ipſum Dominum Archiepi-
„ ſcopum, ſeu per Vicarios ſuos datas & conceſſas quibuſ-
„ cumque - - - - Prelatis, Rectoribus, Canonicis & Capel-
„ lanis, ſeu alliis Clericis Civitatis & Dioceſis Mediolan.,
„ de reſidentia non facienda in Eccleſiis, ſive Beneficiis ſuis,
„ contra Conſtitutionem predictam, & contra Conſtitutionem
„ felicis recordationis Domini Gregorii Pape Decimi, editam
„ in Concilio Lugdonenſi, in qua inter cetera continetur,
„ quòd in hiis, que ad regimen Parochialis Eccleſie perti-
„ nent, ut gregis ſibi crediti diligentius gerere curam poſ-
„ ſit, in Parochiali Eccleſia, cujus Rector exiſtit, reſidere
„ perſonaliter teneatur. Quas quidem Conſtitutiones, inter-
„ pretationem, & declarationem, & omnia ſupradicta, pre-
„ cepit & precipit dictus Dominus Archiepiſcopus inviolabi-
„ liter obſervari.

„ Interfuerunt ibi Teſtes rogati Angleria de Angleria,
„ Laurentius de Liſcate, & Ubertus de Gorla - - - - - -
„ Archiepiſcopatus.

Ne autem pia ſolicitudo, qua conſulere ſtuduerat æter-
næ animarum ſaluti & Eccleſiarum cultui (coactis Rectori-

 bus

bus earumdem ad moram aſſiduè trahendam in ſacris iis Locis, quorum cura ipſis incumbebat) ſuo fine fruſtraretur, ad componendos quoque mores tum Eccleſiaſticos, tum Civiles, non tantùm in univerſa hac Metropoli, quàm in Diœceſi ac Provincia ſuæ juriſdictionis, diligentiam extendit. Quapropter Anno MCCLXXXVII. Concilium Provinciale indixit. Celebratum illud eſt in Templo Æſtivo Metropolitano Sanctæ Theclæ, pridie Idus Septembris, ùt Corius tradit; ad quod convocati fuere Epiſcopi Suffraganei, & Procuratores Collegiorum Cathedralium Eccleſiarum Provinciæ. Edita eſt hæc Synodus Tom. VIII. *Scriptorum Italiæ* a Clariſs. Muratorio. Cùm tamen moles illa Librorum minimè omnibus obvia eſſe poſſit, non abſonum ab Inſtituto noſtro eſt, aliqua in eàdem ſtatuta ſaltem per compendium hoc loco referre.

Aperuit illam Archipræſul noſter brevi hac Paſtorali Oratione: *Otto Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus* &c. *Quia hominum malitiâ prævalente caritas refrigeſcit, fides ſubtrahitur, attenuatur Eccleſiæ devotio, & libertas Eccleſiaſtica uſurpatur, nos ad honorem Dei Patris Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, & Sancti Ambroſii Confeſſoris Patroni noſtri, & animarum ſalutem, & ſubditorum noſtrorum ædificationem, & immunitatem Eccleſiæ conſervandam, & reprimendam malitiam perverſorum, præſentibus & aſſiſtentibus nobis in Provinciali Concilio Venerabilibus Fratribus & Suffraganeis noſtris* &c. Enumerantur ibi Epiſcopi omnes, & Cathedralium Eccleſiarum ſuæ Provinciæ Procuratores, & Monaſteriorum Abbates,

tes, qui Concilio interfuere; ac tamdem Orationem ſuam claudit in hunc modum: *Conſtitutiones & Statuta in hac Eccleſia Sanctæ Teglæ Mediolanenſis hoc Sacro Concilio approbante facimus, & ſolemniter promulgamus; ac promulgamus, auctoritate, mandato, & privilegiis Sedis Apoſtolicæ, & Legatorum ejus in omnibus ſemper ſalvis.*

Conſtitutiones verò & Statuta edita, XXIX. Capitibus comprehenduntur. Exorditur ab indicenda obſervantia eorum, quæ Statuta Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Decretales Romanorum Pontificum præſcripſere: Item quæ a Sanctis Patribus, Summiſque Pontificibus, necnon a quondam Federico Imperatore promulgata fuerant contra Hæreticam pravitatem, & pro Eccleſiaſtica libertate, necnon a Legatis Sedis Apoſtolicæ tam ſuper cultu Divino, quàm ſuper vita & honeſtate Clericorum: quæ omnia a Prælatis & Clericis inviolabiliter obſervanda decernit.

Progreditur ad Abbates & Monachos Sancti Benedicti, Priores, Præpoſitos & Canonicos Sancti Auguſtini, quos omnes Regulis ſuorum Inſtitutorum ſe conformare adamuſſim jubet; ſique in aliquo deficiant, per Diœceſanos Locorum, ad prædicta fideliter obſervanda compellendos ſtatuit. Præcipit inſuper, ne Clerici vel Moniales aleis vel taxillis ludant, nec choreas ducant, ſub pœna excommunicationis. Prohibet, ne venationibus clamoroſis utantur cujuſvis Ordinis Clerici, etiam Regulares; ſique admoniti per proprium Diœceſanum abſtinere noluerint, auctoritate hujuſmodi Conſtitutionis ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant; quam ſi per menſem ſuſtinuerint, pœnis gravioribus puniantur.

Vetat

Vetat Civilibus Magiſtratibus, ne ſe Clericorum Cauſis miſceant, aut immunitatem Eccleſiaſticam lædant; alioquin excommunicationis ſententiam incurrant, a qua nemo illos abſolvere poſſit, niſi & damna reſarciant, & expenſas compenſent.

Item ſub eadem excommunicationis pœna prohibet, ne ullus in Concionibus audeat aliquid proferre in Fidei detrimentum, aut Eccleſiaſticam libertatem.

Vetat pariter, ne bona Eccleſiaſtica cujuſcumque generis alienentur ſine ſpeciali Diœceſani licentia, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, ab Officio, & Beneficio; contractus autem hujuſmodi, irritos ipſo jure declarat.

Item contra eos, qui fraudolenter Eccleſiaſtica Feuda, vel alia bona celant, ſtatuit, quòd ſi infra duos menſes ab hujuſmodi publicatione, ea non manifeſtaverint, auctoritate præſentis Concilii ſententiam excommunicationis incurrant: Et hanc Conſtitutionem per ſingulas Parœcias Diœceſis ſemel in annum promulgandam præcipit.

Item jubet, ne per dolum aut fraudem privetur Parochus portione Canonica, quæ debetur tum per ſepulturam in alia Eccleſia, tum per Legata, quæ Teſtator aliquis pro anima ſua reliquerit; prohibens etiam, ne quis inducat, ſeu induci faciat eum qui ultimas Tabulas condit, ut ſepulturam eligat alibi, quàm in Eccleſia ſua: Et qui contrafecerit, ipſo jure ſententiam excommunicationis incurriſſe declarat.

Cetera non vacat in hunc locum transferre, cùm fortaſſe neceſſaria illi ætati admodum infelici ſolummodo

do viderentur, nec peculiaria ſint Eccleſiaſticæ eruditionis monumenta.

In hac Synodo exorta eſt controverſia non levis inter Brixienſem, & Vercellenſem Epiſcopos, cùm uterque ſibi deberi Sedem, ad dexteram Archiepiſcopi contenderet. Curavere Venerabiles Patres illius Conſeſſus Cauſam hanc ad juris apices expendere, atque ad exitum eamdem perducere. Verùm, cùm Vercellenſis Antiſtes ad Sedem Apoſtolicam provocaſſet, atque a Concilio receſſiſſet, in irritum abiere ſtudia ad eam definiendam adhibita.

Id etiam magnopere in hoc noſtro Archiepiſcopo commendandum eſt, adoptatos ab ipſo fuiſſe novos Colonos, qui agrum Domini, ejuſdem vigilantiæ ac diligentiæ commiſſum excolerent, atque vitæ ſanctioris exemplis & Divini Verbi prædicatione, in uberiorem meſſem frugiferum redderent. Florebat eo tempore celebri ſanctimoniæ laude Ordo Carmelitarum: Quamvis verò ejuſdem Alumni circa mœnia Urbis noſtræ hoſpitium fixiſſent, nondum tamen in Mediolanenſem Metropolim pedem intulerant. Itaque Otto, ut dilectis Ovibus ſuis pinguius pabulum pararet, iiſdem Domicilium aperuit intra Septa Portæ, qua Comum itur, atque ideo *Comenſis* appellatæ, Anno MCCLXVIII., menſe Februario, ut refert Corius ad eum annum. Die autem XXV. Martii jacta ſunt fundamenta Eccleſiæ, nuncupatæ *Sanctæ Mariæ de Carmine*. In memoriam verò accepti hujus ab Archiepiſcopo noſtro beneficii, conceſſæque facultatis extruendi tum Cœnobium, tum adjacens Templum, ſtatuit Otto, ut Ceræ libram, & alteram thuris in Pervigilio Natalis Domini

ni quotannis memorati Fratres perſolverent ſibi & Succeſſoribus ſuis. Legitur Reſcriptum hoc *in Chronicis* illius Monaſterii, vulgatis a Patre Joſeph Maria Fornari, ejuſdem Cœnobii contubernali.

Contigit eidem Antiſtiti Ottoni propitia ſors ditandi Ambroſianam Eccleſiam novis aliis Dominicæ vineæ Cultoribus, *Servis* nempe Beatiſſimæ Virginis doloribus confixæ, eo in Sacello Orientalis Portæ, quod priùs appellabatur *Sanctæ Mariæ de Sacco*. Conſtiterant per aliquot annos Religioſi hujuſmodi Dei Miniſtri in Oppido Gorgonzolæ, quod nunc jacet ad ripam Foſſæ navigabilis, a Fluvio Abdua derivatæ, ac Mediolanum uſque deductæ, eoſque ſingulari ope & favoribus omnibus proſecuta fuerat Familia Mozzanica. Vergente in ſenium Archiepiſcopi Vicecomitis vitâ, circa Annum videlicet MCCLXXX. hanc Urbem ingreſſi ſunt, ùt proximè diximus, eoque ſanctimoniæ ac religionis erga Deiparam Virginem ſuavi odore Civitatem univerſam implevere, qui nunc etiam viget, auctus nobilibus exemplis Beati Joannis Angeli Porri Mediolanenſis, qui ibidem immaculatam vitam tranſegit, inviolatoque adhùc Corpore, in Ara elegantiſſimè ſtructa & ſuo nomini dicata, Civium & Exterorum cultum frequentiſſimum recipit. Archangelus Gianni *in Annalibus Sacri Ordinis Fratrum Servorum* de hoc Cœnobio loquens Tom. I. pag. CLXI., antiquis Chartis deſtitutus, adventum Servorum Dei & Beatiſſimæ Virginis in hanc Metropolim circa Annum MCCXC. affixit. Multò tamen ante, Domicilium in memorato Loco darum ipſis fuiſſe diſcimus ex Paricello *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. C.

num.

num. XIV., qui Calendarii Ambroſiani in pergamena conſcripti Anno MCCLXXXI. verba referens, ad diem II. Februarii iſta legi aſſeverat: *Purificatio Beatæ Virginis Mariæ. Habet vigiliam per conſuetudinem. Fit Feſtum in Eccleſia Fratrum Servorum Sanctæ Mariæ* &c. Aderat igitur in Mediolanenſi Urbe jam tum, fixa Sede donatus Deiparæ Virginis Servorum Ordo, cùm moneri Cives debuerint de peragenda in eorumdem Eccleſia hujus feſtivi diei Celebritate, Anno ſuperiùs indicato.

Alteram quoque Synodum Provincialem Otto celebravit Anno MCCXCI., die XXVII. Novembris, quæ triduum abſumpſit. Occaſio hujus convocandæ oblata ipſi eſt a Nicolao IV. Pontifice Maximo, qui magnanimo corde votum conceperat redimendi a Barbarorum tyrannide ſacroſanctum Domini Noſtri Sepulcrum, quod ſemel ab eorum jugo ereptum armis Gotifredi Bullionii magnâ nobiliſſimi ſanguinis effuſione, iterum in Saracenorum manus inciderat: Ideoque ad omnes Eccleſiarum Præſules Literas dederat, ut populos incenderent ad intrepidè arripiendum hoc digniſſimum Crucifixi Sectatoribus Opus, largiſſimo etiam Indulgentiarum præmio ſolicitatos. Acceptis hiſce Summi Pontificis mandatis paruit Archiepiſcopus Vicecomes, accitiſque Mediolanum Suffraganeis Epiſcopis, in Æde Sanctæ Virginis & Martyris Theclæ, memorato die ſuggeſtum conſcendit, perlectiſque Nicolai Literis, quantâ pollebat eloquentia peroravit, ut quiſque in ſua Diœceſi, in frequenti populorum Concione illos hortaretur urgeretque ad præſtandam Pontifici Maximo obedientiam, capiendamque Crucem, ut hanc gratiam repen-

derent benigniſſimo Redemptori, qui ſanguinem & vitam devoverat pro reparanda univerſorum ſalute. Acta hujus Concilii refert Bernardinus Corius ad Annum prædictum.

Curam etiam habuit Archiepiſcopus Vicecomes recti ordinis inſtituendi in omnibus noſtræ Metropolis Eccleſiis, non tam ut cultus Dei augeretur, ſed ut Gregi quoque ſuo commodiorem viam aperiret ad ampliora beneficia promerenda. Quamobrem Conſtitutionem edidit Anno MCCLXXXIV., die XXVII. Februarii, in qua habetur *Ordo Stationum Quadrageſimæ in Urbe Mediolani*. Servatur hujus Conſtitutionis Exemplar apud Clariſs. Nicolaum Sormanum Collegam noſtrum, inſertum Diplomaticæ Hiſtoriæ Eccleſiæ Mediolanenſis, ſuo tempore evulgandæ. Sanctus Carolus Borromeus, ut acriores ſtimulos Civibus Mediolanenſibus adderet ad amplectendam religioſam hanc Stationum in Templis conſuetudinem, quæ etiam primis Eccleſiæ Seculis vigebat apud Chriſtifideles, gratias omnes atque Indulgentias pro hac noſtra Urbe a Gregorio XIII. Pontifice Maximo impetravit, quibus ditatæ ſunt Eccleſiæ Stationales Almæ Urbis, ut conſtat ex Epiſtolis ipſius Gregorii impreſſis inter *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ*.

Ad ornamentum Metropolitanæ hujus Baſilicæ Archipræſul noſter addidit Collegio Canonicorum Theologiæ Doctorem, cujus onus eſſet, hanc ſcientiam legere atque explicare, aſſignatis ex ſuo patrimonio annuis reditibus, ut fidem facit Galvaneus Flamma *in Manipulo Florum*, Cap. CCCXXXI., & conſtat ex ultimis illius Tabulis, conditis Anno MCCXCII., quarum Exemplar legitur in Serie Diplomatica

matica Nicolai Sormani jam laudati. Sanctus Carolus Borromeus in eadem Sede Succeſſor, & Sacrarum antiquitatum diligentiſſimus Cuſtos, ut proficuum iſtud Eccleſiaſticis Viris Inſtitutum perennaret, omni ſtudio curavit, ut in quibuslibet Collegiis Canonicorum Theologalis Præbenda erigeretur. Conſtrui quoque propriis impenſis Vicecomes Antiſtes juſſit in eadem Majori Baſilica Sacellum, in honorem Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris, illudque paternis etiam prædiis dotavit, ut eſſet perpetuum grati animi ſui monumentum, ob relatam ejuſdem patrocinio (ùt credere par eſt) inſignem victoriam in pugna, ad Oppidum Decii cum Turrianis commiſſa, die memoratæ Virgini dicato; Galvaneo, & prædictis Tabulis hoc referentibus. Præter iſta ad Eccleſiæ & Sanctorum cultum ſtatuta, publico etiam commodo conſulere voluit, præcipiens, ut unus ex Medicinæ ac Chirurgiæ inſtitutoribus deligeretur, qui pauperes gratìs curaret, relicto ex ſuis cenſibus ſtipendio, ùt idem Galvaneus teſtatur.

Poſtremis vitæ ſuæ annis, relicto Urbis imperio Matthæo Vicecomiti, Nepoti ſuo ex Fratre, ad Carævallenſe Cœnobium conceſſit, ibidem dies, qui ſupererant, pacificos tranquilloſque acturus, poſt tot ærumnas, exilia, & bellicas contentiones per plurimam annorum ſeriem toleratas; eòque libentiùs ad hoc privatæ quietis domicilium ſe recepit, quòd jam nullus in noſtra Metropoli excitandus infauſtus rumor novi belli aut ſeditionis timeretur. Siquidem ab Anno uſque MCCLXXXVI., adnitentibus amicis Principibus ſancita pax fuerat cum Turrianis, aliiſque qui invicem odia fove-

bant, publico Tubicine primùm per compita promulgata, ſubinde ab ipſomet Archiepiſcopo Ottone, qui ab alto pegmate Orationem habuit coram univerſo populo & Optimatibus, illam exordiens his verbis: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*; plaudentibus cunctis, ac præ gaudii amplitudine in feſtivas voces ſeſe effundentibus, quemadmodum fuſe narrat Bernardinus Corius ad eumdem Annum.

Obiit in eo Cœnobio, non autem Mediolani, ùt falsò tradidit Galeſinius, gravi octuaginta octo annorum ſenectâ confectus Anno MCCXCV., VI. Idus Auguſti, Vir meritò *Magni* cognomine inſignitus, ob magnanimam in utraque fortuna ſervatam conſtantiam, Actaque inſignia, edita tum in bello gerendo, tum in adminiſtrando Paſtorali ſuo munere, non cum laude tantùm, ſed etiam cum admiratione recolenda. Pervulgatâ hujus obitûs famâ, perſonuere in compitis afflictorum Civium clamores & gemitus, cùm ſingulis notum eſſet, quantâ animi moderatione etiam cum hoſtibus ſe geſſiſſet Otto, nec quiſquam jurè dolere poſſet de irrogata ſibi injuria, ſed potiùs laudari ab omnibus mereretur, pro effuſa in quoslibet magnanimi ejus cordis beneficentia. Relatum inde fuit Archiepiſcopale Cadaver in hanc Metropolim ſolemni magnificâ pompâ, comitantibus Nobilibus & Optimatibus Civitatis; ac demum peractis funebribus Officiis juxta Ambroſianæ Eccleſiæ ritum, tumulatum eſt in Templo Maximo, in Arca marmorea, adjecto hoc ſepulcrali Elogio.

IN-

INCLYTUS ILLE PATER PATRIÆ, LUX, GLORIA PATRUM,
FULGOR JUSTITIÆ, FIDEI BASIS, ARCA SOPHIÆ,
LARGITOR VENIÆ, PORTUS PIETATIS EGENIS,
INTREPIDUS PASTOR, QUEM MOLES NULLA LABORUM
ARDUA DEVICIT, POPULO LATURA QUIETEM;
ILLE PIUS PRINCEPS ET PRÆSUL AMABILIS, IN QUEM
ALTUS VIRTUTUM SPLENDOR CONVENERAT OMNIS,
QUO MEDIOLANUM RADIABAT LAMPADE TANTA,
TOTAQUE FULGEBAT REGIO, NUNC PALLET ADEMPTO;
CLARA VICECOMITUM PROLES, VENERABILIS OTHO.
O DOLOR! O VULNUS! CINIS EST HOC MARMORE FACTUS;
CHRISTE PATER VITÆ, REQUIESCAT SPIRITUS IN TE.
ANNIS UNDENIS, TER SENIS, TERQUE DIEBUS
PRÆFUIT ECCLESIÆ PASTOR BONUS AMBROSIANÆ;
MILLE DUCENTENO QUINTO NOVIESQUE DECENO
QUARTO HIC AUGUSTI BIS, LIQUIT GAUDIA MUNDI.

Auctor hujus funebris Inſcriptionis, XXIX. annos, & tres dies regiminis Ottoni attribuit; fortaſſe enim numerandi initium duxit ab eo tempore, quo, delatâ Romam causâ, ante Pontificem & Cardinales peroravere Turrianorum Legati, ut abrogatâ electione Vicecomitis ob varias eidem impictas criminationes, confirmaretur electio Raymundi Turriani, Mediolani habita a pluribus Baſilicæ Metropolitanæ Canonicis; Pontifex tamen Maximus Clemens IV. Anno MCC-LXVII.

LXVII. conſtans perſtitit in confirmanda deſignatione Ottonis in Archiepiſcopum, facta a Deceſſore ſuo Urbano IV. Ceterùm ſi ab Anno MCCLXIII., quo electus a Summo hoc Pontifice & conſecratus fuit Otto, ad Annum MCCXCV., quo obiit, computus annorum fiat, dicendus eſt præfuiſſe huic Eccleſiæ ſpatio annorum XXXII.

RUFINUS FRIXETUS.

VAcante Ambroſiana Sede per obitum Ottonis Vicecomitis, Rufinus Patriâ Lucenſis, cùm Archidiaconus foret Eccleſiæ Remenſis, creatus eſt a Bonifacio VIII. Summo Pontifice Archiepiſcopus Mediolanenſis, Anno MCCXCV., XII. Calendas Novembris. Inſueta hujuſmodi electio Metropolis noſtræ Cives admiratione ſimul atque indignatione complevit; promotum enim Præſulem videbant ad Ambroſianam Infulam, extra Mediolanenſium Cardinalium Ordinem, quod numquam ferè antea acciderat: Præcipuè cùm Ambroſianis Ritibus minimè enutritus fuiſſet, ùt tradit Triſtanus Calchus ad Annum MCCXCV.; ſubdit tamen, ignotum noſtris Civibus fuiſſe id, quod Cardinalis Petrogroſſus clam cum Pontifice egerat, ut Rufinus deligeretur. Quis eſſet Cardinalis iſte, paulò ſuperiùs Auctor idem narraverat. Ait enim, Patriâ eumdem Mediolanenſem fuiſſe; cùmque animadverteret, Ottonem Archiepiſcopum extremâ jam ſenectâ confectum, ad tumulum properare, precibus inſtitiſſe apud Amicos, ut ea Dignitate ſuus ex Fratre Nepos inſigniretur. Verùm, *cùm plurimi refragarentur, expectandumque tempus legitimum, & arbitrium eorum, penes quos eligendi poteſtas eſſet, cenſerent*, ſpe ſua fruſtratus Cardinalis memoratus, curavit, ut Romanus Pontifex eligendi Archiepiſcopi auctoritatem ad ſe unum avocaret, quemadmodum teſtatur laudatus Calchus. Citò ta-

men

men e vivis abreptus eſt Petrogroſſus, menſe nempe Junii, Anni MCCXCV. antequam Ecclesia Mediolanenſis vacaret, Ottone quidem Præſule adhuc vivente, quamvis & ipſe ſub initium ſequentis Auguſti vitâ deceſſerit. Oldoinus in Purpuratis Patribus a Nicolao IV. creatis, loquens de hoc Cardinali tradidit, eumdem morte abſumptum fuiſſe Romæ; potior nihilominus fides habenda eſt Calcho, qui obitum illius Mediolani contigiſſe affirmans, menſem etiam deſignat.

Ceterùm parùm ſuperfuit etiam Rufinus; vix enim expleto anno, & menſe uno antequam in hanc Sedem pedem inferret, longè a noſtra Metropoli mortales exuvias depoſuit, die VII. Decembris Anno MCCXCVI. Ex hoc autem clarè elicitur, tempus quo præfuit Ambroſianæ Eccleſiæ fuiſſe menſium XIII, & dierum XVI.; neque enim Galeſinio attendendum eſt, qui ſediſſe illum menſibus tantùm X. affirmavit.

Ubi ſepulcrum habuerit, ignoramus.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS I.

RUfino Lucenſi ſuffectus eſt Franciſcus Parmenſis, aliis Franchinus, ab eodem Bonifacio VIII. Summo Pontifice. Geſſerat iſte Infulam Meſſanenſis Eccleſiæ; ſed enatis inter Cives illos diſſidiis, quæ plurimum moleſtiæ eidem ingerebant, miſſus a Pontifice Maximo fuit Nolam, ad regendam Adminiſtratoris nomine & auctoritate illam Eccleſiam. Vacante poſtmodum Archiepiſcopali Sede Mediolanenſi tranſlatus eſt ad Pontificium hujus Metropolis Solium Anno MCCXCVI.

Mediolanum delatus, Paſtoralibus ſuis curis initium dedit, Dei cultum promovendo: Siquidem, ùt Triſtanus Calchus teſtatum facit, primum lapidem poſuit ſolemnibus cæremoniis in Æde Sancto Spiritui dicata, quam Humiliati a fundamentis erexerunt extra Urbis Portam, a nobis appellatam *Vercellenſem* Anno MCCXCVII., non autem præcedenti, ùt malè in Ughello legitur. Amplificatâ verò Urbe, conſtructoque a ſubſequentibus Mediolani Dominis Caſtro Jovis, Templum hoc ſolo æquatum fuit ob nimiam proximitatem Arcis illius munimentis, atque excitatum eſt in Regione Nova Urbis, ſub eodem nomine *Spiritus Sancti*.

Favorabiles Pontificias Literas evulgaverat Bonifacius VIII., quibus Moniales incluſas, ſub Sancti Franciſci Aſſiſiatis vexillo militantes exemerat a Civilibus omnibus oneribus aut exactioni-

bus; datis etiam ad univerſos Epiſcopos Reſcriptis, ut hoc Privilegium, quod memoratis Monialibus indulſerat, ſtrenuè tutarentur. Vota Summi Pontificis implevit Franciſcus Archiantiſtes noſter, ac Diploma expedivit ad preces Abbatiſſæ Monaſterii Sancti Apollinaris Mediolani, in quo anathematis pœnam infligit iis omnibus, qui mandatis Pontificiis contraire præſumpſerint, & immunitatem prædicti Cœnobii violare tentaverint. Extat in Archivo earumdem Monialium Charta, quam hìc proferimus:

„ Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Me-„ diolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Univerſis & ſingulis „ Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archipresbyteris, Preſ-„ byteris, Canonicis, & Capitulis, & Conventibus, & aliis „ Eccleſiarum ſeu Domorum Rectoribus, & Prælatis Secu-„ laribus & Regularibus, necnon Rectoribus, Judicibus, „ Officialibus, Communibus, & hominibus ac perſonis cujuſ-„ cumque conditionis, dignitatis, & ſtatus exiſtant, ad quos „ præſentes pervenerint, ſalutem in eo qui eſt omnium ve-„ ra ſalus. Diſcretionem veſtram volumus non latêre, quòd „ Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Bo-„ nifacius Divina providentia PP. Octavus reputans pium & „ congruum, ut univerſas Abbatiſſas & Conventus Monia-„ lium incluſarum, ſive Ordinis Sanctæ Claræ, ſive Sancti „ Damiani, ſive Minoriſſæ dicantur, illâ proſequeretur gra-„ tiâ, quam ſuis neceſſitatibus fore perſpiceret opportunam, „ eiſdem univerſis & ſingulis, quod ad præſtationem Deci-„ marum de quibuſcumque poſſeſſionibus & aliis omnibus „ bonis ſuis, quæ tunc temporis habebant, & juſtis modis

„ acqui-

„ acquirerent in futurum, ut ad contribuendum in procura-
„ tionibus quorumlibet Ordinariorum, & etiam Legatorum,
„ & Nunciorum Sedis Apoſtolicæ, & quibuslibet taleis &
„ collectis, ac ad exhibendum pedagia, telonea, & alias
„ exactiones quibuſcumque Regibus, Principibus, ſeu aliis per-
„ ſonis Secularibus minimè teneantur, & ad id compelli non
„ valeant; duxit per ſuas ſpeciales Literas indulgendum,
„ ſicut in eiſdem Literis ipſius Domini Papæ verâ bullâ
„ bullatis vidimus contineri. Quare cùm pro parte Abbatiſ-
„ ſæ & Conventus Monialium incluſarum Sancti Apollina-
„ ris Mediolan., & aliarum Abbatiſſarum & Conventuum
„ dicti Ordinis Sanctæ Claræ nobis fuerit humiliter ſuppli-
„ catum, ut ſuper prædictis, ad quæ juxta formam dicti
„ Privilegii non tenentur, non permitteremus eas a noſtris
„ Subditis moleſtari, Vobis univerſis & ſingulis, præſentium
„ tenore, ſub excommunicationis pœna mandamus, ſuper hoc
„ primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè vos & quemlibet ve-
„ ſtrûm admonentes, quatenus ab eiſdem Abbatiſſis, Monia-
„ libus, & Conventibus, vel earum Maſſariis, ſeu poſſeſ-
„ ſionum ſuarum Cultoribus, de poſſeſſionibus & aliis om-
„ nibus bonis ſuis, quæ habent & acquirere poterunt in
„ futurum, Decimas exigere, vel eas ad contribuendum in
„ aliquibus Taleis & Collectis, ac ad exhibendum pedagia
„ vel exactiones alias, compellere per vos vel alios modo
„ aliquo vel ingenio nullatenus præſumatis; nos enim in
„ quemlibet mandatorum noſtrorum contemptorem ex nunc,
„ prout ex tunc, excommunicationis ſententiam ferimus in
„ his Scriptis. In cujus rei teſtimonium præſentes Literas

„ fieri fecimus, & noſtri ſigilli munimine roborari. Datum „ Mediolani in noſtro Archiepiſcopali Palatio, Anno Domi„ ni milleſimo tricenteſimo ſecundo, Indictione XV., die „ Jovis XXII. Februarii, Pontificatus Domini Bonifacii Papæ „ octavi, anno octavo.

Quo tempore Franciſcus Archiepiſcopus Eccleſiæ Ambroſianæ præſidebat, ingens conſpiratio finitimorum Principum & Civitatum, necnon etiam Civium Mediolanenſium conflata eſt contra Matthæum Vicecomitem, cujus regiæ propemodum Dominationis pertæſi erant, atque inſuper ob graves ab ipſo acceptas injurias ultionem parare nitebantur. Cùm autem hujus conſpirationis Caput, eſſet Albertus Scottus Placentinus, ad pacis conditiones flecti ſe paſſus eſt idem Vicecomes, inter quas præcipua erat, ut imperio ſe abdicaret, & Turriani exules in Urbem admitterentur. Acquievit Matthæus propoſitis ineundi fœderis pactis, quamvis aſpera eidem viderentur (utpote aſſueto mandata præſcribere, non aliis obtemperare) ne in deteriora prolaberetur, ob incidam bellorum ſortem. Verùm admiſſi in hanc Metropolim Turriani, id tamdem obtinuere, ut Matthæus ejuſque Filii Mediolano expellerentur. Hujus conſpirationis in Vicecomites, ſi non Auctorem, ſaltem Socium facit Ughellus Archiepiſcopum noſtrum: Merula tamen, & Triſtanus Calchus ex eo, ſicut etiam Bernardinus Corius, dum Hiſtoriam hanc accuratè deſcribunt, nihil de Franciſco Archipræſule memorant. Triſtanus Calchus ad finem Libri XVIII. id tantùm refert, nempe, expulſo Matthæo, inſtitutum fuiſſe alterum Magiſtratuum Ordinem, legemque; Cùmque Gulielmus Bruſatus

ſatus conſtitutus eſſet Capitaneus populi in proximas Calendas Martias, fuiſſe eumdem a Franciſco Archiepiſcopo militaribus ornamentis donatum. Itaque non inficiamur, potuiſſe Antiſtitem noſtrum manus dare ejectioni ab hac Metropoli ſupradicti Matthæi, cùm inter Proceres Mediolanenſes ſummâ polleret auctoritate; verùm ſeſe immiſcuiſſe Civilibus hiſce tumultibus non facilè opinamur. Præſertim quia deſtituti ſumus Scriptorum veterum teſtimoniis; nec ipſe Patriâ longinquus ullo affinitatis vel ſanguinis vinculo cum Turrianis obſtringeretur; ſique Vicecomites Rei extitiſſent violatæ Eccleſiaſticæ juriſdictionis, ſacris telis ſatis ſuperque muniebatur, ad eos arcendos a ſacrilegis hiſce auſibus, quin Auctor fieret aut ſaltem promotor conſpirationis, quæ Cives noſtros, externoſque populos bellorum periculis ac calamitatibus exponeret.

Id certè nobis conſtat, in ea temporum perturbatione, plebiſque inconſtantiâ novum ſemper regimen appetentis, cùm animadverteret, minimè ſe poſſe ſanctè ac tranquillè ad Paſtorale munus ſuum exercendum incumbere, Præſulem noſtrum ſeſe proripuiſſe ab hac Metropoli, atque in Angleriæ Arcem juris ſui conceſſiſſe. Inde verò non deſtitit Eccleſiis Mediolani proſpicere, ut floreret in iis religioſior Dei cultus, & etiam uberiori cenſu alerentur Sacri illarum Miniſtri. Servatur in Tabulario Canonicorum Baſilicæ Sancti Georgii, dicti *in Palatio* Charta Commutationis, expedita Anno MCCCVII, qua illis facultatem impertitur, ut mutuam pecuniam accipere valeant, qua in meliorem ſortem redigant memoratæ Eccleſiæ patrimonium. Eam verò, cùm adhuc

lucem

lucem non viderit, omnium oculis exponere opportunum cenſemus:

„ Franciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Sanctæ Me-
„ diolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Venerabilibus Fratribus
„ Dominis Franciſco de Medicis, & Jacobo Moræ, ejuſdem
„ Eccleſiæ Ordinariis ſalutem in Domino ſempiternam. Di-
„ lectorum nobis in Chriſto Præpoſiti, Canonicorum, &
„ Capituli Eccleſiæ Sancti Georgii in Palatio Mediolanenſis
„ inſinuacio patefecit, quòd ipſa Eccleſia Sancti Georgii
„ terras & poſſeſſiones in locis & territoriis de Boyſio,
„ de Bolate, de Solario, de Zibidi, de Vimorono, de
„ Viliano, de Baſilio, de Locate, de Borea & partibus
„ circumſtantibus, de Quinto de Stampis, de Merignano,
„ de Bolzano, de Payrana, de Arcagnano & partibus
„ circumſtantibus, de Albarate, de Dudimano, de Sedria-
„ no, de Virmicio, & de Salvano Dioceſis Mediolanenſis
„ necnon in locis & territoriis de Lavanìa, & de Cere-
„ gallo ipſorumque pertinenciis Dioceſis Laudenſis, ad præ-
„ ſens & ab antiquo dinoſcitur obtinere: Et quòd longe
„ melior comoditas & utilitas ipſis Capitulo & Eccleſiæ
„ provenirent, eo quòd poſſeſſiones ipſæ in diverſis & lo-
„ cis pluribus, & ad invicem diſtantibus ſunt diſperſæ, &
„ non magnæ quantitatis in aliquo eorumdem; ſi terras ip-
„ ſas & poſſeſſiones, in terras alias per juſtum titulum per-
„ mutarent, vel ſi vendentes eaſdem, ex illarum pretio
„ terras alias magis accomodas, & non ſic diſperſas in
„ pluribus locis acquirerent, ad uſum & utilitatem Eccle-
„ ſiæ prælibatæ; ſibi provideri per nos ſuper hoc de op-

„ portuno

„ portuno remedio poſtulantes. Eapropter comoditatibus & „ profectibus ipſius Eccleſiæ intendentes ſalubriter providere „ Vobis tenore præſentium committimus & mandamus, qua- „ tenus ſuper hiis per vos deliberacione vel examinacione, „ ſeu inquiſicione ſufficienti præmiſſa, ſi ejuſdem Eccleſiæ „ & Capituli utilitati vel neceſſitati, aut comoditati videri- „ tis expedire, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus, „ eiſdem Præpoſito, Canonicis, & Capitulo, auctoritate „ noſtra licenciam concedatis & plenariam facultatem alienan- „ di perpetuo, diſtrahendi, & permutandi, & in aliis „ (alios) alienacionis cujuſvis titulo perpetuo transferendi, „ prout pro meliori vel comodiori videritis expedire, in per- „ ſonam aliquam vel perſonas, terras & poſſeſſiones eaſdem „ totaliter & particulariter, cum quibus condicionem ejuſdem „ Eccleſiæ fieri crediderint meliorem. Necnon cauciones, „ promiſſiones, obligaciones, renunciaciones & ſtipulaciones „ opportunas in ipſarum alienacionum, ſeu alienacionis con- „ tractibus apponendi. Non obſtantibus aliquibus Juris Co- „ munis, Sinodalis Provincialiſve Concilii Mediolanenſis Præ- „ deceſſorum noſtrorum, & quorumcumque aliorum, ac no- „ ſtris Conſtitucionibus, monicionibus, & inhibicionibus, „ etiam cum adjectione penarum in contrarium promulga- „ tis; proviſo tamen, quòd precium illarum terrarum, „ quas vendi contingerit ex præmiſſis, in poſſeſſiones alias „ ad uſum & profectum ipſius Eccleſiæ & Capituli acqui- „ rendas ſine diminucione aliqua convertatur. In præmiſſis „ omnibus & ea contingentibus Vobis harum ſerie commit- „ timus vices noſtras. Vobis in virtute obedientiæ injungen-

„ tes

„ tes, quòd Scripturæ ſuper hiis coram Vobis vel auctoritate veſtra conficiendæ, per aliquem, ſeu aliquos ex Scribis & Notariis noſtræ ſuperioris Curiæ, & non per alios conſcribantur: Propterea verò noſtro ſigillo pendenti roborari juſſimus in teſtimonium præmiſſorum. Datum in Archiepiſcopali Arce de Angleriâ, milleſimo trecenteſimo ſeptimo, Indictione quinta, die primo menſis Aprilis.

Modico poſtmodum tempore in vivis fuit Franciſcus Archiepiſcopus; ſequenti namque Anno MCCCVIII. in eadem Angleriæ Arce dies ſuos clauſit. Deportatum inde illius Cadaver Mediolanum, in Metropolitana Baſilica ſepulcrum recepit; poſtquam fermè per XII. annos Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtraſſet.

CAS-

Digitized by Google

CASSONUS TURRIANUS.

ORtus e celeberrima Turriana Gente Caſſonus, aliis Caſtonus, Collegio Canonicorum Metropolitanæ Baſilicæ primò adſcriptus eſt, dein Decani Dignitate in Aquilejenſi Eccleſia inſignitus ab aliquo ex duobus Turriani ſanguinis Patriarchis, qui eo tempore Aquilejenſem Sedem occupaverant: Qua in re corrigendus eſt Galeſinius, qui falsò tradit, Caſſonum primò Aquilejenſem Patriarcham fuiſſe, poſtea Mediolani Archiepiſcopum; atque ideo Hiſtoriam hanc omnem ſubvertit, ùt infra videbimus. Vacante ob Franciſci Parmenſis obitum Sede Mediolanenſi, ad eam implendam delectus eſt Ordinariorum omnium ſuffragiis; adnitente etiam Guidone Turriano, rerum Mediolanenſium Domino, ut Archiepiſcopali Infulâ Caſſonus donaretur, ſub initium Anni MCCCVIII.

Regebat eo anno Romanam Eccleſiam Clemens V., antea Burdegalenſis Archiepiſcopus. Cùm autem in Galliis moraretur, Cardinalem Legatum in Italiam direxit, ut nomine ſuo eidem præſideret. Itaque Caſſonus, ut Pontificiam confirmationem obtineret, Cortonam profectus eſt, ubi tunc Legatus degebat, atque ab iſto eximiis honoribus exceptus fuit; eoque in itinere Martium & Aprilem menſes abſumpſit, teſte Caleho. Dein Mediolano reſtitutus, a Novarienſi Epiſcopo Uguccione de Borromeis, cui Clemens Pontifex Maximus hanc provinciam injunxerat, conſecrationem ſimulque confirmationem in Baſilica Metropolitana recepit, ùt tra-

dit Calchus ad eumdem Annum.

Veneti Ferrariam adorti eam obſidione cinxerant, & in poteſtatem ſuam redegerant Anno MCCCIX. Admonitus de hac re Clemens V., Legatum miſit in Italiam Arnaldum Pelagruam, Tituli Sanctæ Mariæ in Porticu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem; quem ad hanc Urbem delatum, Archiepiſcopus officiis omnibus venerationis obſequiique, pro dignitate ſua eſt proſecutus toto eo tempore, quo in noſtra Metropoli moram duxit. Ut igitur Legationem ſuam impleret memoratus Cardinalis Venetis præcepit, ut Ferrarienſi ſolo decederent; cùmque minimè parêre vellent præcepto Legati, illos anathemate perculit: Summus autem Pontifex etiam Crucem contra ipſos indixit. Profectus inde Parmam ac Bononiam Legatus, Clementis V. mandatis obſequuturus, Epiſcopos omnes admonuit, ut quantâ poterant militum manu hanc expeditionem aggrederentur. Inter ceteros præſtò fuit etiam Archipræſul noſter Caſſonus, qui copiis ſuis ſtipatus Ferrariam ſe contulit. Adfuit quoque Legatus, qui admotis machinis adeò conterruit Ferrarienſes Cives, ut ſeſe ſtatim dediderint, Venetis quò ſe tuerentur in Arcem receptis. Fatigati autem longa obſidione, pactis conditionibus etiam ab Arce exceſſerunt. Atque hic obiter liceat nobis refellere Ughellum, qui parum de rebus noſtris edoctus, obſidione ſolutam fuiſſe tradit a Caſſono Ferrarienſem Urbem, cùm revera non ad ſolvendam, ſed ad inferendam obſidionem Ferrariam adierit.

Dum præclaro huic Operi perficiendo inſudaret Caſſonus, in ſuſpicionem adactus Guido Turrianus, quòd aliquid etiam con-

contra ſeipſum molitus fuiſſet Archiepiſcopus noſter, poſtquam iſte Mediolanum repetiit, in ipſo Archiepiſcopali Palatio eumdem cum Fratribus ſuis ſiſti per milites juſſit Calendis Octobris, Anni MCCCIX., ac ſubinde in carcerem detrudi, Fratribus ad Arcem Angleriæ in cuſtodiam tranſmiſſis. Pervulgatâ hujus indigni facinoris famâ, advenêre quamplures proximarum Civitatum Proceres, necnon Legati Comenſium & Bergomenſium, ut Guidonis animum flecterent, ad ſolvendum a vinculis Archiepiſcopum Mediolanenſem. Compoſita res eſt IV. Calendas Novembris, carceris anguſtiis, in exilium extra fines ditionis Mediolanenſis commutatis; adjectâ conditione, ne Eccleſiaſticas exſecrationes contra ipſum armaret. Parêre debuit iniquo huic mandato Caſſonus, peſſimè læſus. Attamen a vinculis relaxatus, Laudem primò, dein Bononiam ſe conferens, ad Legatum confûgit, expoſitâque facti indignitate, eidem remiſit peſſumdatæ Dignitatis ſuæ capeſſendam ultionem: Cardinalis autem pro munere ſuo, ſtatim excommunicationis telum in Guidonem & Filios ejus, omneſque hujus ſceleris participes evibravit, atque Epiſcopis Suffraganeis injunxit, ut in frequenti populorum Concione repulſum ab Aris Sacriſque omnibus, atque a Fidelium communione ſemotum Guidonem ceteroſque denunciarent.

Opportuna affuit occaſio comprimendæ Guidonis inſolentiæ, nam ſequenti Anno MCCCX. miſſa fuit e Germania ad Principes Italos Legatio ab Henrico VII., electo Rege Romanorum, ut juxta antiquam conſuetudinem commeatus pararent ad eum excipiendum. Cùm enim IV. Idus No-

 vembris

vembris Italiam ingreſſus eſſet, ac in Aſtenſi Urbe conſidêret Henricus, atque in ejuſdem occurſum illuc profectus eſſet Matthæus Vicecomes, qui jamdiu extorris ad oras Benaci Lacus, animum ſuum ab exilio & ærumnis, piſcationis ſolatio recreaverat, illuc pariter acceſſit Caſſonus Archiepiſcopus, ut obſequia ſua Regi Henrico affunderet; ratuſque affulſiſſe diem, quo ulturus eſſet carcerem, ereptas opes, exilium, reliquaſque inſignes contumelias, quas a Guidone acceperat (ùt ad eundem Annum ait Calchus) amicitiam & fœdus cum Matthæo Vicecomite iniit, hiſce conditionibus Henrici conſenſu firmatis, ut nempe damna, ſi quæ interceſſêre, invicem condonarentur, injuriaſque præteritas oblivio deleret; ſique aliquid impoſterum inter Turrianos & Vicecomites diſcordiæ oboriretur, arbitrio Archiepiſcopi definiendum relinqueretur; demum nihil a Matthæo Vicecomite innovandum eſſe a præſenti rerum ſtatu, nec in finitimis Civitatibus, niſi conſulto & annuente Archiepiſcopo; ac ſi Antiſtitis Caſſoni Affines, aut Amici ad ipſum confluerent, eos Matthæus tueretur & coleret.

Interea movens ab Aſtenſi Urbe Rex Henricus Mediolanum versùs, occurrentem habuit Guidonem Turrianum, ingreſſuſque hanc Metropolim, pacem Turrianorum cum Vicecomitibus firmavit, petiitque, ut ſolito Italicæ Coronæ honore donaretur. Statuta dies eſt Sexta Januarii, Epiphaniæ Domini dicata, Anni MCCCXI. Adveniente igitur ea Feſtivitate proceſſit Henricus ad Baſilicam Ambroſianam unà cum Beatrice Regina Uxore, Principibus Epiſcopiſque ſtipatus. Ibi Caſſonus Archiepiſcopus Solemne Sacrum celebravit, quo

quo peracto, ac cæremoniis omnibus juxta ritum Mediolanenſis Eccleſiæ expletis, Ferream Coronam, Italici Regni Inſigne, Capiti Henrici impoſuit, necnon etiam ejuſdem Uxoris, quæ ſolutis crinibus vinculo aureo decora, adſtabat ad dexteram Regii Conjugis, plaudente univerſo populo, & fauſtiſſimæ felicitatis omina edente, ùt Calchus affirmat. In ea Celebritate munificum animum ſuum Cæſar oſtendit, creatis biſcentum Equitibus, Matthæo Vicecomite primo inter ceteros numerato, quos omnes ternis ſplendidis veſtibus, & equo donavit.

Compoſitis rebus cum Matthæo Vicecomite, aliiſque ejuſdem Stirpis Proceribus, videbantur ſereni dies Archipræſuli noſtro advenìſſe, quibus depulſo omni metu, Paſtorale officium in augmentum ſplendoris Eccleſiæ noſtræ, atque in animarum ſalutem tutò ac tranquillè exercere valeret. Verùm novis terris nubibus obductum eſt Cœlum, excitatis in hac Urbe tumultibus ac ſeditionibus, quæ coronatum Regem Henricum impetere, ejuſque animum ad indignationem concitare credebantur. Auctores harum Civilium turbarum fuere Vicecomites & Turriani, qui ægrè ferentes Germanorum imperium, ac ſuſpicantes, ne libertatis antiquæ Leges abolerentur, ipſique exciderent ab honore, quo hactenus frui fuerant, Dominationis hujus Metropolis, ſecretam conjurationem conflaverant, ut Germanos ex inopinato adorirentur, eoſque Urbe cedere cogerent. Armatorum Civium qui colligebantur rumor, ad aures militum ſtipantium Henrici Aulam pervênit: Quamobrem pridie Idus Februarii ejuſdem Anni MCCCXI. armis præcincti diſcurrere per compita cœpere, domoſque

que

que penetrantes Turrianorum & Vicecomitum, ſcrutaturi an ibi laterent turmæ conjuratorum, repertis in Palatio Turrianorum copiis ad prælium inſtructis, omnia direptionibus ac cædibus impleverunt. Delatum ad Cæſarem nuncium irâ vehementiori illum ſuccendit, qui ſtatim ſuis præcepit, ut Rei ubique ſeſe occultantes perquirerentur. Matthæus autem intrepidè in conſpectum Henrici ſeſe proferens, officioſis verbis immunem ſe a labe hujus criminis eſt profeſſus, quamvis revera illius particeps foret, & minimè promiſſis ſtetiſſet; imo infami proditione invidiam omnem hujus Seditionis in Turrianos revolviſſet, ut tradunt Ferretus Vicentinus illius ævi Scriptor, & Petrus Azarius pariter coævus & præſens iis quæ agebantur, editi Tom. IX., & XVI. *Rerum Italicarum*. Itaque furor omnis odiumque Germanorum in Turrianos converſa ſunt, eorumque Domus direptæ, ædificia verò ferro & igne ſolo æquata, relicto in hunc uſque diem infelici nomine *Domuum dirutarum* eo loci, ubi nunc ſurgit Templum dicatum Sancto Joanni Baptiſtæ decollato, ac cultum a Nobiliſſima Societate Equitum Mediolanenſium, & Mercatorum, quorum munus eſt, damnatos ad ſupplicium pia Supplicatione comitari, detractoſque a patibulis ſepulturâ donare.

In hac rerum Mediolanenſium ferali viciſſitudine, everſæque Turrianorum Familiæ, autumari facilè poſſumus, aliquam dubitationis umbram ſeſe offudiſſe menti Germanorum, quòd etiam Archiepiſcopus Caſſonus, ejuſdem ſanguinis ac ſtirpis, aut expreſsè aut ſaltem tacitè in conjurationem conſenſiſſet. Quocirca evocatus fuit ad Aulam Henrici,

ci, admiſſuſque ad colloquium Auguſti Principis, cùm reſpondiſſet interrogatus, quid aut unde hic tumultus excitatus foret, ſe prorſus ignorare, juſſus eſt in Palatio ſe ſiſtere; quod ille non invitus peregit. Recedente autem Mediolano Cæſare, Caſſonus quoque, ne aut Civium aut militum, qui ad cuſtodiam hujus Metropolis relicti fuerant, injuriis Dignitatem ſuam exponeret laceſſendam, conſilium cepit in alias terras commigrandi.

Revera modico illo tempore, quo poſt Henrici Imperatoris diſceſſum moram traxit Caſſonus in hac Metropoli, tot in ſeipſum illatas injurias a Vicecomitibus, ac ejuſdem factionis fœderatis Nobilibus pati debuit, ut, cùm ne quidem in conductitia Domo, in qua, veluti aſylo, ſeſe occultaverat, tutum ſe conſpiceret, direptâ per nocturnam aggreſſionem domo eâdem, ipſoque Archiepiſcopo vinculis lecto in quo jacebat, alligato, libertati reſtitutus a Familiari, ad Caſſanenſem Arcem juris Archiepiſcopalis profugerit; atque ibidem etiam obſidione armatorum cinctus, ſecretâ viâ Cremonenſem Urbem adierit, ubi auctoritate qua pollebat, Matthæum Vicecomitem alioſque ſcelerum participes æternis diris devovit. Horrorem ingerit animo ſententia, quam ad Principem Vicecomitem direxit Caſſonus; in ea namque occupatum Eccleſiæ Mediolanenſis Patrimonium, coactos Cœnobitas ad ſeſe multo ære redimendos a vexationibus, violata per vim Monialium Monaſteria, expulſaſque Virgines, ac quidquid ſacrum erat, peſſumdatum recenſet, Complices ipſos nominatim enumerans. Nos ea tantùm ex hac Sententia decerpemus, quæ ad Matthæum Vicecomitem ſpectant, cùm

cùm inde eluceat, quàm longè iuris ſui fines extenderet eo tempore Mediolanenſis Archiepiſcopus; his enim verbis eumdem alloquitur: *Tu Matthæe rem univerſam Anglerienſem, Leucenſem, Bellanenſem, Vallaſinenſem, Caſtanenſem, Travallienſem, Brebienſem, quæ Arces & Loca ſunt antiquitus Eccleſiaſtici noſtri juris, tenes. Eidem tibi Decumæ noſtræ Liſantinæ, reditus noſtri Variſienſes, portoria noſtra Mercuriòlana, noſtræ piſcationes ad Puſianum exiguntur*. Deinde converſus ad Luchinum Matthæi filium, & quoſdam alios, ſceleſtiſſima eorumdem Acta, expreſsâ vel tacitâ Matthæi conſenſione patrata condemnat, quòd nempe Coyranam, & Montes Derium, Geſſanum, Mugiaſcam, Varenam, & Falegium invaſiſſent. Poſtmodum acerbè conqueritur, quòd monumenta Privilegiorum, immunitatum, jurium Eccleſiæ Mediolanenſis, quæ adſervabantur in Sanctæ Radegundæ Monaſterio, per vim ablata fuiſſent. Claudit demum ferale Scriptum in hunc modum: *Quamobrem decrevi ego Caſſonus Archiepiſcopus Eccleſiæ Mediolanenſis arborem exſcindere, quæ fructus bonos non facit, & auctoritate quæ mihi conceſſa eſt, ferire anathemate vos omnes, & arcere communione Sacrorum, ea lege, ut ſi contumaces & inemendatos ultima dies oppreſſerit, intra ſacratos fines veſtra corpora ſepeliri non debeant; idque anathema nunc a me vobis infligitur. Te verò Matthæe tantò magis ferimus, quia fueras cœleſtibus diris addictus jam inde ab eo tempore, quo ſuperioris Archiepiſcopi Vicarium Generalem ex Civitate præcipitem ejeciſti*. Integram hanc Sententiam recitat Ripamontius Libr. VIII. *Hiſtor. Eccleſ. Mediol.* pag. CDXCII., & ſeqq.

Ne tamen deſtitutam omnino opportunis adjumentis Mediolanenſem Eccleſiam relinqueret Caſſonus, utque paternum amorem oſtenderet erga dilectiſſimas Oves ſuas, quas ad rectum æternæ ſalutis tramitem traducere ſummopere optabat, decrevit Synodum Provincialem Suffraganeorum Antiſtitum in Bergomenſi Urbe colligere, cùm illa tunc per Leodriſium Vicecomitem, ab Henrico Imperatore Vicarium conſtitutum, regeretur. Coacta eſt hæc Synodus, III. Nonas Julias Anni MCCCXI., in Eccleſia Sancti Bartholomæi. In eo Concilio condita ſunt XXXIV. Statuta, quibus indicta caſtigatior Clericorum vita, reſtitutus Eccleſiis cultus, vindicata denique fuit a Laicorum rapinis probriſque, bonorum ac perſonarum Deo addictarum immunitas. Quod tamen peculiari adnotatione dignum videtur, id eſt, colligi ex his Canonibus, quòd intactus adhuc in noſtra Metropoli Mediolanenſi mos ille priſcus vigeret, ut Regulares Familiæ Ordinario jure Epiſcopis ſubjicerentur; Clariſs. enim Thomaſſinus in aureo Opere *de antiqua & nova Eccleſ. diſciplina* Part. I. Libr. III. Cap. XXVIII. teſtimonia congerens ad hanc firmandam ſuperiorum temporum praxim, non ultra Seculum XIII. progreditur. At in Mediolanenſi Provincia, ſubſequente etiam Seculo illam perduraſſe docet hæc Synodus, in qua non modò de celebrando Conventuali Sacro, Divinis peragendis Officiis, honeſtoque habitu gerendo *in Regularium* æque *ac Secularium Collegialibus Eccleſiis*; de inviolato ſervando Monaſteriorum, ac reliqui Cleri patrimonio prædiiſque, indiſcriminatim ſtatutis pœnis decernitur; ſed ea etiam indicuntur, quæ interiorem Clauſtri diſciplinam

Vuu ſpe-

Digitized by Google

ſpectant. Præcipitur enim peculiari rubricâ, ut *cujuslibet Monaſterii domûs, & Eccleſiæ Regularis Collegiatæ Prælatus perſonaliter per ſeipſum, aut per alium cum ſuis Fratribus, & Conventus cum eo, & qualibet Abbatiſſa, Prioriſſa, vel Miniſtra Loci Religioſi, ubi Abbatiſſa non fuerit, cum ſuis Monialibus & Sororibus, bis ad minus in ſeptimana, tempore Quadrageſimæ & Adventus, reliquo verò tempore ſaltem ſemel in hebdomada, pro culpis & exceſſibus Capitulum in loco debito celebrare ſtudeant conventualiter*. In Prælatos verò, ſeu Prælatas Provinciæ id negligentes, aut ſubditos contumaces, per Antiſtitem vel ejus Curiam fore acriter procedendum jubet, atque interim voces eorum dormitare declarat. Setiùs itaque in Eccleſia noſtra inoleviſſe privilegia exemptionis Regularium, cenſendum eſt. Edita fuit hæc Synodus primò Bergomi; ſed cùm rara admodum Exemplaria ejuſdem ad nos pervenerint, ne omnino periret hoc nobile antiquitatis monumentum, neceſſarium duximus, eam inferre in cenſum Literarium aliorum Opuſculorum, deſumptam ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ, Tom. IX. *Rerum Italicarum*.

His peractis, quoniam fervebant adhuc diſcordiæ Civiles, tentantibus Turrianis ſeſe iterum in priſtinam fortunam, qua fruebantur in hac Metropoli, reſtituere, cogitationem Caſſonus ſibi in mentem induxit, faſces Archiepiſcopalis regiminis ad pedes Romani Pontificis deponendi. Neque in irritum vota ſua cecidêre; nam Joannes XXII. Pontifex Maximus vacanti tunc Sedi Patriarchali Aquilejæ, raro dignationis exemplo, ipſum præfecit. Siquidem cùm jam ſuffragiis

fragiis omnium Aquilejenſium Electorum Gylo Archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ delectus fuiſſet Succeſſor demortui Patriarchæ, nec aliud ad capiendam Sedis poſſeſſionem expectaretur, quàm Pontificis Summi conſenſus, Joannes XXII., rejecto Gylone, Caſſonum hoc honore donavit, Anno exſpirante MCCCXVII.

Auctus hac Dignitate Caſſonus Præſul, Romam ſe contulit; ſed cùm exacto plurium menſium curriculo, a Romana Curia decedens ſeſe Florentiam contuliſſet, atque extra illius Urbis mœnia obequitaret, excuſſus ab equi dorſo, infauſtiſſimo lapſu mortem obiit Anno MCCCXIX., menſe Auguſti, quin Patriarchalem ſuam Sedem umquam attigerit; ſepultuſque eſt Florentiæ, in ampliſſima Sacra Æde Fratrum Minorum, poſtquam novem annos in Eccleſiæ Mediolanenſis regimine, inter carcerem, exilia, & ærumnas exegiſſet; ab Anno nempe MCCCVIII., uſque ad Annum MCCCXVII., quo Ambroſianam Infulam cum Aquilejenſi commutavit.

AYCARDUS ANTIMIANUS.

Miſſus fuerat Legatus Avenionem Aycardus Antimianus a Camodea Patricius Novarienſis, a Caſſono Mediolanenſi Archiepiſcopo ad Joannem XXII. Pontificem Maximum, fortaſſe ut abdicationem ſuam a Mediolanenſi Eccleſia eidem demiſſiſſimè exhiberet; quemadmodum Pontifex ille conſenſu ſuo benignè ratam fecit, eâque receptâ ſtatim Aycardum ipſum, virum doctrina ac probitate inſignem, in ejuſdem locum Archiepiſcopum declaravit.

Pervulgatâ abdicationis fâmâ, quam a Sede Mediolanenſi Caſſonus Turrianus ad Summum Pontificem miſerat, Primarius Mediolanenſis Clerus collectis ſuffragiis Joannem Vicecomitem in Archiepiſcopum ſibi delegit. Verùm Joannes XXII., illo repudiato, conſtans in propoſito fuit, atque Aycardum, ùt diximus, Succeſſorem dedit, eumque conſecrari in Urbe Avenionenſi curavit. Quam ob cauſam irati Vicecomites, numquam illum excipere in hac Metropoli voluerunt; atque interim Joannem memoratum Archiepiſcopatûs Mediolanenſis Œconomum & Conſervatorem conſtituerunt, quemadmodum tradit Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. CXVI. num. XIII.

Regularibus votis obſtrictus erat Aycardus; ſed cui Ordini, Minorum-ne, an Prædicatorum nomen ſuum dediſſet, diu in tenebris latuit, cùm utriuſque Alumni ſplendidum

hoc

Digitized by Google

hoc decus ſibi vindicare contenderent. Poſtremis hiſce temporibus nitidam ſecuramque ſeſe prodidit veritas. Galvaneus Flamma Scriptor illius ætatis, & Dominicano Ordini adſcriptus, in pergamenis ſuis MStis, nunc magnâ ex parte in lucem eductis, clarè teſtatum reliquit, Aycardum Archiepiſcopum Franciſcano Ordini vitam & libertatem ſuam conſecraviſſe. Lazarus autem Auguſtinus Cotta, *Novarienſis Muſæi* Auctor, ubi Aycardi memoriam inſerit num. CLII, errorem eorum emendare contendit, qui longè ab ejuſdem ætate ſcripſerunt, atque in ſuæ fidei teſtimonium affert Lapidem Sepulcralem adhuc ſuperſtitem in Porticu Monaſterii Sancti Franciſci Novariæ, ad latus Portæ Sacrarii, in quo hæc leguntur: HIC JACET DOMINA CARAVERA UXOR D. UBERTI DE CACCIA &c. ET MATER DOMINI FR. AYCARDI ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS, ORDINIS FRATRUM MINORUM: QUÆ OBIIT ANNO MCCCXVI Demum Wadingus *in Annalibus Ordinis Minorum* Tom. V. abſque ulla hæſitatione Aycardum enumerat inter illuſtriores Viros ac Præſules Seraphicæ Religionis. Extat apud ipſum Diploma, expeditum a Joanne XXII. Pontifice Maximo, quo Archipræſulem Mediolanenſem inſtituit Aycardum; cujus exemplar placet huc transferre, cùm vergat in plurimam hujus noſtri Antiſtitis commendationem:

„ Joannes XXII. Servus Servorum Dei, Venerabili Fra-
„ tri Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi. Superni diſpoſi-
„ tione conſilii, per quod in regno Mundi ordinationem
„ univerſa ſuſcipiunt, ſupremæ Dignitatis ſpeculâ, licèt im-
„ meriti præſidentes, ſuper gregem Dominicum noſtræ vigi-

„ lantiæ

„ lantiæ creditum, vigilis ſpeculatoris officium exercemus,
„ circa illa potiſſimùm intentum animum dirigendo, curam-
„ que impendendo ſolicitam, per quæ Divini cultûs aug-
„ mentum, exaltatio Catholicæ Fidei, & commoda ſalutis
„ proveniant animarum; & ut hæc, Auctore Domino, ſub-
„ ſequi faciliùs, & efficaciùs provenire valeant, attentiùs
„ cogitamus, ut Eccleſiis, ſuis Paſtoribus deſtitutis, Viros
„ præficiamus idoneos, per quorum prudentiam, ſcientiam,
„ & doctrinam Eccleſiæ ipſæ ſalubriter & utiliter guberna-
„ tæ, ſtatu proſpero floreant & accreſcant. Sanè vacante
„ pridem Eccleſia Mediolanenſi per translationem per nos
„ factam de Venerabili Fratre noſtro Caſtono Patriarcha
„ Aquilejenſi tunc Paſtoris ſolatio deſtitutam; Nos cupientes
„ regimini ejuſdem Eccleſiæ Mediolanenſis perſonam juxta cor
„ noſtrum idoneam præſidere, per quam ipſa Eccleſia Me-
„ diolanenſis poſſet ſalubriter & proſperè gubernari, provi-
„ ſionem dictæ Mediolanenſis Eccleſiæ, noſtræ diſpoſitioni ea
„ vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc
„ irritum & inane, ſi ſecus ſuper hoc a quoquam, quavis
„ auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari; ac
„ deinde ſuper proviſione hujuſmodi cœpimus ſolicitè cogi-
„ tare, & poſt deliberationem, quam de præficiendo ei-
„ dem Mediolanenſi Eccleſiæ perſonam utilem ac etiam fru-
„ ctuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; De-
„ mum in Te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in
„ Sacerdotio conſtitutum, cui de Literarum ſcientia, vitæ
„ munditia, morum elegantia, diſcretionis maturitate, cir-
„ cumſpectionis induſtria, ac aliarum virtutum inſignium do-

„ nis

„ nis tibi divinitus elargitis, fide digna teſtimonia ſuffra-
„ gantur, intuitum direximus noſtræ mentis, ac de perſo-
„ na tua nobis & eiſdem Fratribus ob præmiſſorum tuorum
„ excellentiam meritorum accepta, de Fratrum ipſorum con-
„ ſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis providimus Me-
„ diolanenſi Eccleſiæ memoratæ, teque præfecimus ipſi Ec-
„ cleſiæ in Archiepiſcopum & Paſtorem, curam & admini-
„ ſtrationem ipſius tam in ſpiritualibus quàm in temporali-
„ bus plenariè committendo; & ſubſequenter munus conſe-
„ crationis tibi per Venerabilem Fratrem Berengarium Epi-
„ ſcopum Portuenſem impendi, tibique deinde Pallium, de
„ Corpore Beati Petri ſumptum, plenitudinem videlicet Pon-
„ tificalis officii, a te cum ea qua decuit inſtantia poſtu-
„ latum, per dilectos Filios noſtros Neapoleonem Sancti
„ Adriani, & Guillelmum Sancti Nicolai in Carcere Tul-
„ liano, Jacobum Sancti Georgii ad Velum aureum, &
„ Arnaldum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconos Cardinales
„ fecimus exhiberi, firmâ ſpe fiduciâque conceptis, quod
„ præfatam Eccleſiam, velut Sponſam tibi divinitus copula-
„ tam ſincerè diliges, circumſpectè reges ac diriges, & in
„ ſtatu proſpero conſervabis, Gregem Dominicum in ea tuæ
„ curæ commiſſum doctrinâ verbi, ac evidentiâ operis ſalu-
„ briter informando. Oneris igitur ſarcinam tibi in hac parte
„ impoſitam ferens humiliter, in exequendis cura & admini-
„ ſtratione hujuſmodi ſic te geras induſtrium, ſolicitum, &
„ fidelem, quòd prælibeat Eccleſia Sponſo utili, & fructuo-
„ ſo adminiſtratori ſe copulatam gaudenter ſentiat & com-
„ miſſam; tuque tamquam fidelis ſervus, & prudens villi-

„ cus

„ cus dignam in extremo examine de villicatione tua poſſis „ reddere rationem, & nihilominus noſtram atque Sedis „ Apoſtolicæ benedictionem & gratiam conſequi uberiùs me- „ rearis, & poſt vitæ præſentis exilium, in dilecta Domi- „ ni tabernacula glorianter introëas, unà cum beatis agmi- „ nibus, felicitatis æternæ gaudiis potiturus. Datum Avenio- „ ne IV. Calendas Octobris Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Parùm amicæ Aycardo Archiepiſcopo fuere illorum temporum vices. Sublatus erat intempeſtiva morte Henricus Imperator, dum a Coronatione Romana diſcederet, ſeſe reſtituturus poſt peragratam iterum Italiam Germanicæ Imperii Sedi. Matthæus Vicecomes inſtitutus fuerat Vicarius Imperialis in Langobardica regione, ac ceteris Italiæ Provinciis; erepto autem e vivis Cæſare jus ſuum exercere proſequebatur. Inſurrexit Summus Pontifex Joannes XXII., qui ſibi deberi jus ac poteſtatem Vicarii Imperialis in Italia, Imperio vacante, aſſerebat; ac Matthæum ſæpiùs admonuit, ne aliena jura ſibi uſurpare contenderet. Renuit parêre Vicecomes, plura in defenſionem cauſæ ſuæ producens, quæ Galchus fusè narrat. Cùm verò aliæ etiam criminationes ad Apoſtolicam Sedem contra Matthæum delatæ fuiſſent, eidem præcepit, ut Avenionem ſeſe expurgaturus, ſtato die coram Summo Pontifice accederet. Minimè obtemperavit Pontificiis mandatis Vicecomes: Quare indignatus Joannes XXII. non tam ob hanc inobedientiæ culpam, ſed etiam quia hæreſis labe infectus eſſe a Catholicis tradebatur, ad Aycardum Mediolanenſem Archiepiſcopum, qui obſiſtente Matthæo pedem inferre in hanc Metropolim numquam potuerat, tunc au-

autem in Burgolii Oppido prope Alexandriam morabatur, Literas dedit, quibus præcepit, ut collectis in unum Præſidibus Patribus, contra hæreticam pravitatem ex inſtituto delectis, accurato examine expenſis ſceleribus atque hæreſis delicto, quod Matthæo impingebatur, judicium proferret. Implevit mandata Pontificis Aycardus; utque major huic Conſeſſui auctoritas adderetur, præter tres Inquiſitioni Præfectos e proximis Urbibus evocatos, adfuit etiam, teſte Caleho, Beltrandus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Pontificius Legatus. Abſolutis omnibus quæ ſacrum hoc munus exigebat, monitoque etiam Matthæo, ut præſcripto die ſeſe venerando huic Congreſſui ſiſteret ad diluenda, ſi quæ per invidiam aut calumniam contra ipſum delata fuiſſent, elapſoque ampliori etiam tempore, quin nec Avenionem ad Pontificem Maximum, nec Aſtam ad Legatum ſe conferret, imo armatis copiis circumire non dubitaſſet finitima Bergolio loca; Cardinalis Beltrandus ex alto pegmate, Decreta Summi Pontificis evulgavit, quibus Matthæum Sacris amovebat, eâdem pœnâ multatis etiam iis, qui opem aliquam ipſi præbuiſſent, aut cum eo communicaſſent. Legitur in Ughello ſeries omnis inſtituti hujus examinis, & Sententiæ in Vicecomitem prolatæ. Quæ inde proſecuta ſunt, fusè narrat Triſtanus Calchus *Hiſtoriæ Patriæ* Libr. XXII.

Mortuo Matthæo nondum patuit Aycardo ad Mediolanenſem Sedem acceſſus; diutiùs namque poſt illum viguêre factiones in hac Metropoli, quarum aliæ Imperio, aliæ Romanæ Eccleſiæ favebant, cui addictiſſimus erat Archiepiſcopus noſter. Galeatius, qui Matthæo Vicecomiti Patri in im-

perio ſucceſſerat, acerbiùs etiam, quàm ante, arma expedivit contra copias, quas ducebat Romanæ Eccleſiæ Legatus, quem Archipræſul Aycardus ſequebatur: Inito autem conflictu alternarum Partium in Modoëtienſi agro, victoria Pontificiis ſtetit, captumque eſt Oppidum ipſum Modoëtiæ; ac ibi Archiepiſcopus noſter Concionem habuit ad Sectatores Legati, ut eos hortaretur ad rem impigrè agendam pro Divinâ, Romanæque Eccleſiæ gloriâ'. Ripamontius verba eadem Aycardi adnotavit Libr. VIII. *Hiſtor. Eccleſ. Mediol.*, pag. DXXIII.; niſi fortè pro more ipſi familiari ea marte ſuo concinnaverit. Citò tamen inde excedere debuere Pontificii milites, quos Pars adverſa in nova pugna fregit, coëgitque longiùs ab hiſce finibus ſeſe recipere.

Ad Placentinam Urbem confugiſſe Aycardum diſcimus ex Diplomate ibidem dato ad Moniales Sancti Apollinaris Mediolani, quibus, ut gratum animum ſuum oſtenderet, fortaſſe ob aſſiduas ſinceraſque preces a Sacris iis Virginibus ad Deum effuſas pro celeri ac pacato ejuſdem in Archiepiſcopalem ſuam Eccleſiam ingreſſu, ſpirituales theſauros eſt elargitus. Extat hæc Charta in ſæpiùs memorato Archivo prædictarum Monialium, his verbis concepta:

„ Frater Aycardus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ
„ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Religioſis in Chriſto
„ Mulieribus Abbatiſſæ, Monialibus, & Conventui Monaſterii
„ Sancti Apollinaris Mediol., Ordinis Sanctæ Claræ, ſalutem
„ & incrementa continua gratiæ ſalutaris. Clara veſtræ reli-
„ gionis & honeſtatis merita, bonæque opinionis odorem,
„ quo redolere noſcimini attendentes, ac devotionem, quam
„ ad

„ ad nos gerere demonſtratis ſinceræ caritatis, acceptantes, „ dignum & congruum arbitramur, ut ſinceritatem veſtram „ ſpecialis benevolentiæ gratitudine proſequentes, ac Deo ac- „ ceptabile non immeritò fore credentes, devotam nobis af- „ fectionem veſtram ſpecialium beneficiorum viciſſitudinibus „ compenſari, vos & veſtrum Monaſterium, prout corde „ concepimus, diſponamus gratiis & honoribus, quantum „ nobis Deus conceſſerit, prævenire, vobiſque illa quæ ad „ ſalutis profectum, ac devotionis etiam incentivum, ve- „ ſtrique Monaſterii commodum cedere dignoſcuntur, beni- „ gniori animo largiamur. Hinc eſt, quòd nos volentes „ veſtræ dilectionis ſanctimoniam, juxta inſinuationem veſtri „ deſiderii, prærogativâ ſpiritualis muneris proſequi & fove- „ re, tenore præſentium vobis univerſis & ſingulis, quotiens „ pro dicti veſtri Ordinis ſeu Monaſterii utilitate honeſtâ „ ſimul conveneritis, necnon quandocumque Regula veſtra „ tempore ſtatuto ſeu conſueto legetur, ſi Lectioni ejuſdem „ interfueritis, & quotiens Miſſam in veſtro Monaſterio ce- „ lebrari feceritis, ſi præſentes ipſi Miſſæ devotè permanſe- „ ritis quouſque ipſa fuerit finita, necnon ſingulis diebus, „ quibus ad Horas Canonicas dicendas vel cantandas in Mo- „ naſterii veſtri Eccleſia ſive Oratorio vos congregabitis, & „ devotis mentibus, in Divinis Laudibus & Orationibus per- „ ſiſtetis, ac etiam quandocumque de Corpore communica- „ bitis Jeſu Chriſti; ſingulis etiam Chriſtifidelibus, qui vobis „ & Monaſterio veſtro de bonis ſibi a Deo collatis quicquam „ donaverint, vel legaverint, aut reliquerint in eorum ultima „ voluntate, vel in aliquibus veſtris neceſſitatibus communibus

„ vobis manum porrexerint adjutricem, ſive aliqua caritatis
„ ſubſidia miniſtraverint, verè dumtaxat pœnitentibus & con-
„ feſſis, nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beato-
„ rum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate, ac Beati
„ Ambroſii Confeſſoris & Doctoris egregii, cui permiſſione
„ Divina, licèt immeritò, ſucceſſimus in officio Paſtorali,
„ meritis & interceſſione confiſi, quadraginta dies de injun-
„ ctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, dum-
„ modo vobis, ut hujuſmodi remiſſionis indulgentia ſuum in
„ perſonis veſtris ſortiatur effectum, Superior vel Superiores
„ veſtri juriſdictionis in vobis auctoritatem habentes, duxerint
„ indulgendum. In cujus rei teſtimonium præſentes Literas,
„ quas uſque ad noſtræ voluntatis beneplacitum volumus perdu-
„ rare, noſtri Sigilli fecimus appenſione muniri. Datum Pla-
„ centiæ, Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo
„ trigeſimo quarto, Indictione ſecunda, die decimaquarta
„ menſis Maji.

Cùm verò ingraveſcente ſemper acriùs in ipſius repulſam odio Vicecomitum, præcluſam ſibi viam omnem, ad capiendam Solii ſui poſſeſſionem conſpiceret Aycardus, Placentiâ, ubi hactenus moram duxerat, ad Urbem Alexandrinam ſe contulit, atque in Cœnobio Fratrum Minorum domicilium fixit. Conſtat hoc ex binis Epiſtolis, quas illinc Mediolanum direxit. Prima eſt *Lanfranco Moſſetæ Præpoſito Eccleſiæ Sancti Ambroſii* inſcripta. Hoſpitale pauperum erigendum poſtremis tabulis mandaverat Civis quidam Mediolanenſis, ſub Titulo *Sanctæ Catharinæ* Virginis & Martyris, prope *Puſterlam Fabricam*, quam modo *Pontem Fabrorum* nuncupant.

cupant. Ut canonicâ auctoritate hoc erigeretur Hoſpitale, Curatores ad abſentem Archiepiſcopum preces dederunt; qui benignè annuit poſtulatis, reſervato tamen ſibi *annuo cenſu libræ unius ceræ, in ſignum ſubjectionis, Archiepiſcopali menſæ in Feſto Sancti Ambroſii perſolvendæ*; atque eadem Epiſtola *data eſt Alexandriæ, in Domo Fratrum Minorum, Anno a Nativitate Domini MCCCXXXVII., Indictione quinta, die vigeſimoſexto Martii*. Biennio poſt, alteram dedit ad Moniales Mediolanenſis Cœnobii Sanctæ Mariæ in Valle, appellati *de Montano*, facultatem indulgens nonnulla prædia commutandi, quæ utiliora ipſis credebantur. *Data* hæc etiam *eſt Alexandriæ, in Domo Fratrum Minorum, Anno a Nativitate Domini MCCCXXXIX., Indictione ſeptima, die decimonono menſis Aprilis*. Memorat has quoque Puricellus loco ſupra laudato.

Tamdem poſt tot incommoda diuturni exilii affulſit auſpicatiſſima dies Aycardo, convolandi in ſinum Eccleſiæ ſuæ Sponſæ, quam ne quidem de facie conſpicere umquam potuerat. Quænam fuerit fauſta occaſio hujus feliciſſimi eventûs, altiùs repetere oportet. Demandatum ipſi fuerat Anno MCCCXXII. (uti jam narravimus) a Summo Pontifice Joanne XXII. munus inquirendi unà cum aliis Sacræ Inquiſitionis Præſidibus in Acta Matthæi Vicecomitis, qui de hæreſi aliiſque graviſſimis criminibus paſſim accuſabatur; expletoque examine, in contumaciam prolata fuerat Sententia excommunicationis in eumdem. Quoniam verò Filii etiam Magni Matthæi eâdem hæreſis lue infecti aſſerebantur, alterum judicium inſtituit Aycardus ſimul cum iiſdem Patribus, quibus collata fue-

fuerat auctoritas inquirendi in pollutos hac labe: Cùmque vocati ad hunc Conventum Luchinus præſertim & Joannes Vicecomites fuiſſent, ac renuiſſent illuc accedere, tamquam contumaces ſacris exſecrationibus perculſi fuere, atque a Fidelium communione prorſus ſemoti. Non tulerunt pacato animo hoc novum infamiæ dedecus Fratres memorati; ſed ad Tribunal Benedicti XII., qui demortuo Joanni XXII. in ſupremo Pontificatu ſucceſſerat, querelas ſuas detulere; juſtiſque coram ipſo expoſitis cauſis, quare tum Pater Matthæus, tum ipſi abſtinuiſſent a præſtanda obedientia Patribus collectis in Oppido Bergolii, Pontifex Summus accuratè diſcuſſis eorumdem rationibus per nonnullos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac deinde relatâ hac Cauſâ in pleno Conſiſtorio, omnium Cardinalium conſenſu, collectiſque ſuffragiis, quæcumque contra Luchinum & Joannem, ab Aycardo Archiepiſcopo ceteriſque ejus Sociis peracta fuerant, Apoſtolica auctoritate nulla & irrita declaravit, Literaſque hac de re Avenione expedivit, quibus eoſdem Fratres ab omni Eccleſiaſtica cenſura abſolvebat. Eas e Regeſto Vaticano deſumptas recitat Ughellus in Vita Joannis II. Archiepiſcopi.

Reconciliatis itaque Eccleſiæ Romanæ, etiam per Catholicæ Fidei profeſſionem, Luchino & Joanne Vicecomitibus, ſublatus eſt omnis obex, quo arcebatur Aycardus ab adventu in Mediolanenſem Metropolim. Anno igitur MCCCXXXIX., die IV. Julii profectus eſt Archiepiſcopus ab antiquo ſuo Domicilio, ut Sedem Ambroſianam reciperet. Galvaneus Flamma, qui præſens erat, teſtis eſt ſolemnis Ingreſſus Aycardi Mediolanum, inquiens in Opuſculo *De vita*

Azo-

Azonis Vicecomitis, edito Tom. XII. *Rerum Italicarum*: *Frater Aycardus*, *Archiepiſcopus Mediolanenſis*, *tranſactis ſui Archiepiſcopatûs annis XXI.*, *primò ſuam Sedem viſitavit*, *& cum mirabili honore receptus fuit*. Quinimo narrat diſſidium tunc exortum inter Nobiles Advocatos (nunc Avogadros) & Confanonerios, quis eorum equum Archiepiſcopi deducere debuiſſet, eoque donari; & hanc interim controverſiam compoſitam fuiſſe ait a Joanne Vicecomite in hunc modum, ut videlicet *Advocati hunc deducerent per frænum uſque ad Eccleſiam Majorem*; *inde uſque ad Sanctum Ambroſium conducerent Confanonerii*, *& equus Archiepiſcopi pendente quæſtione deponeretur*, *donec juridicè*, *ad quos ſpectaret*, *definiretur*. Hinc autem dilucidè patet, quàm falsò retulerint Bernardinus Corius, Morigia, & Ripamontius, Joannem Vicecomitem cum Aycardo pactionem iniiſſe, ut iſte in Novarienſem Sedem, ille in Mediolanenſem concederet, approbante Summo Pontifice Joanne XXII., ſtatutâ penſione mille Florenorum, quotannis Aycardo perſolvenda. Anſam huic fabulæ ambabus manibus excipiendæ, atque in Hiſtorias ſuas inferendæ a memoratis Scriptoribus, fortaſſe dedit adminiſtratio patrimonii Eccleſiaſtici Menſæ Archiepiſcopalis, quam etiam Joannes XXII. ratam habuerat, hac adjecta conditione ſubſidii præſtandi annuatim mille & quinquecentum Florenorum a Joanne Vicecomite exuli Aycardo, teſte Galvaneo Flamma, loco laudato; adeòque, nullo habito examine, memoratum Epiſcopatuum commutationis Commentum Mediolanenſes enunciati Scriptores ſibi effinxere.

Fauſtis longævæ ducendæ vitæ ominibus inter feſtivas voces

ces a Mediolanenſi populo editis, votiſque juvandæ Eccleſiæ ſuæ ab Archiepiſcopo conceptis, cenſeri poterat, tamdiu exulem Aycardum, per diuturnum adhuc ævum, reparaturum fore morum corruptelas, quæ irrepſerant in Eccleſiaſticam diſciplinam. Verùm incaſſum hæc omnia cecidêre; ſiquidem vix elapſis diebus ſex ultra menſem ab Archiepiſcopi ingreſſu, repentinus morbus ſpem omnem, ac vitam Aycardi præcidit, cùm die X. ſequentis Auguſti deceſſerit, poſt annos XXII. regiminis, ſepultus in Eccleſia Fratrum Minorum Sancti Franciſci. Quocirca in aſſignando anno mortis Aycardi non ſatis cautè proceſſit Ughellus, qui dubius hæſit, an Ripamontio crederet figenti mortem Anno MCCCXLI., an aliis, qui Annum MCCCXXXIX. ſtatuunt, cùm certo certiùs conſtet ex coævo & præſenti teſte Galvaneo, Aycardum iſto verè anno obiiſſe. Imo idem Galvaneus ſubjungit, a XCIX. annis retrò neminem alium ex Archiepiſcopis noſtris intra mœnia hujus Metropolis interiiſſe. Multò abſurdiùs erravit Ricciolius Hiſtoriæ noſtræ parùm gnarus, qui *in Chronologia reformata* Aycardi mortem tradidit Romæ contigiſſe, eumque in Aræcœli Templo fuiſſe tumulatum: Id autem adnotare voluimus, ne Auctor iſte, apud Exteros notus, incautos decipiat.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES II. VICECOMES.

IN Collegium Canonicorum Ordinariorum Baſilicæ Metropolitanæ Mediolanenſis primò adoptatus eſt Joannes Matthæi Magni Vicecomitis filius, dein ad ſublimiorem gradum in Eccleſia Romana promotus fuit; ſed non modicâ propriæ famæ jacturâ, imo cum magno nominis ſui pudore, ùt mox dicemus. Res ita ſe habuit. Mortuo Henrico VII. Imperatore, duo ex primariis Germaniæ Principibus, Federicus Auſtriæ, & Ludovicus Bavariæ Duces de Imperio contendebant; cùmque moto invicem bello, in cruentiſſima pugna fractus fuiſſet Federici exercitus, atque ipſe etiam captus in manus Ludovici Bavari conceſſiſſet, pacta inita fuere ad eum in libertatem aſſerendum, quibus obſtringebatur Federicus ad moram in Germania trahendam illuſtri aliquo titulo; Ludovico autem remaneret jus omne Imperii in Italia exercendum, illamque adeundi (quæ tamen reſciſſa poſtmodum a Summo Pontifice fuerunt.) Itaque in Italicas oras deſcendit Ludovicus; cùmque ad Joannem XXII. Pontificem Maximum preces dediſſet, ut ejuſdem electioni aſſenſum præberet, illo prorſus renuente, in deteſtandam rebellionem ab obedientia Sedis Apoſtolicæ prolapſus fuit, ac Mediolanum verſùs iter divertit, ut Ferreâ Coronâ redimiretur, & Regnum Italicum obtineret, Anno MCCCXXVII. Primo autem die Junii (ùt ſcribit Bernardinus Corius) ſolemni pompâ in Æde Sancti Am-

broſii, ubi hoſpitabatur, per duos Epiſcopos Regienſem, & Brixienſem, ferreum Sertum recepit. Subinde verò Romam perrexit, atque illuc delatus, infami auſu alium Summum Pontificem induxit in Beati Petri Sedem, Petrum nempe de Corbaria, Ordinis Minorum, die XII. Maji Anni MCCCXXVIII., ſub nomine Nicolai V., ipſumque Ludovicus publicè approbavit, & coluit. Statim ac monſtrum hoc in Pontificio Solio conſedit, circumſtantes ſibi larvas Cardinalium adſcivit, ut glorioſiùs regnaret, ſeptemque in hoc fictitium Collegium adoptavit, quos enumerat Pagius junior *in Breviario Romanor. Pontificum*. Româ excedens Ludovicus, ut in Germaniam rediret, ſecum duxit Idôlum ſuum Nicolaum Pſeudo-Pontificem; cùmque Piſis moraretur, atque inde in Langobardiam profecturus brevì eſſet, Vicecomites Mediolanenſes, a quibus meditabatur exigere LX. mille aureos nummos, Piſas accivit, petiitque a Nicolao, ut purpureo Galero Joannem Vicecomitem decoraret, ac facillimè obtinuit, quemadmodum Corius ad Annum MCCCXXIX. teſtatur. Quinimo Pſeudo ille Pontifex Legatum in Langobardia eum declaravit in Conſiſtorio Piſis habito die XX. Januarii; Ludovicus verò Actium Vicecomitem, Mediolani Principem, Vicarium Imperialem inſtituit, ut eos ſibi arctiùs devinciret. Parùm tamen profecit: Accedens namque Modoëtiam, inde repulſus eſt, jubentibus Mediolanenſis Urbis Rectoribus; quod etiam multò magis iidem peregêre, cùm Mediolanum ingredi tentaret. Quapropter irâ exæſtuans Ludovicus, noſtram Metropolim obſidione cinxit; ſed fruſtra, coactus recedere, contemptus ab omnibus.

Joan-

Digitized by Google

Joannes XXII. Summus Pontifex accepto nuncio, quòd Actius Vicecomes & Mediolanenſes, clauſis poſtibus Civitatis, Ludovicum Bavarum longè propulſaſſent, conceptam animo indignationem ſedavit, atque in amicitiam cum Civibus noſtris rediit, eoſque abſolvit a Cenſuris & Interdicto, quo fuerant irretiti; Joannem verò Vicecomitem, adductum ad deponendum ad pedes legitimi univerſæ Eccleſiæ Paſtoris Cardinalitium amictum, abſterſâ ab ipſo turpi hac maculâ, Novarienſi Sede, mortuo Antiſtite tunc vacuâ, benignè donavit eodem Annò MCCCXXIX.

Ingreſſus Novariam Joannes, oculos ſtatim convertit in Cazinum de Torniellis, qui eidem Urbi tyrannicè dominabatur, eumque captum carceri mancipavit. Id autem gratiſſimum fuit Joanni XXII. Summo Hierarchæ, ùt refert Galvaneus Flamma *in Vita Azonis Vicecomitis*, impreſſâ Tom. XII. *Scriptor. Italiæ*, inquiens: *Joannes Papa, audito quòd Cazinus de Torniellis, hoſtis Eccleſiæ publicus, eſſet captus, & quòd Civitas inciperet obedire Eccleſiæ, multùm exultavit, & Joannem Epiſcopum Novarienſem, inſtituit Conſervatorem Archiepiſcopatûs Mediolanenſis* (exulante Aycardo Archiepiſcopo), *ut in temporalibus eſſet Dominus Archiepiſcopatûs* &c. Animum ſubinde adjecit Præſul Vicecomes ad illiùs Urbis munimenta extruenda, ne Civès Novarienſes injuriis atque incurſionibus Adverſariorum paterent: Quamobrem Caſtrum erexit, & jura Eccleſiæ diu conculcata inſtauravit. Imo Eccleſiam ipſam, quam deſtructam invênit, propriis opibus magnificè refecit, teſte eodem Flamma.

Quandoquidem verò non uni tantùm Eccleſiæ Novarienſi

addictus a Pontifice Maximo erat Joannes, ſed etiam Metropolitanæ Mediolanenſis Conſervator declaratus fuerat, magnificentiâ quam a principe Stirpe hauſerat, nobilia in hac ipſa Metropoli veſtigia imprimere, ac ad poſteros tranſmittere voluit. Siquidem Archiepiſcopales Ædes Aulaſque ſenio penè confectas de novo reædificavit, atque inſuper duo Palatia invicem ſe reſpicientia, in modum Clauſtri quadrati in eadem Curia Archiepiſcopali conſtruxit, ut docet Lapis, Vicecomitum Inſignia exprimens, adhuc ſuperſtes in latere Septentrionali Canonicæ Metropolitanæ, quam Sanctus Carolus Borromeus ibidem poſtmodum maximis ſumptibus, ad commodum Ordinariorum Domicilium, excitavit adornavitque.

Quoniam autem cuſtodiæ patrimonii Eccleſiaſtici Archiepiſcopalis Menſæ Joannes Vicecomes onus gerebat, jura Eccleſiæ Ambroſianæ, quæ in alienos cenſus injuſtè ceſſerant, & redditus quos aut bellorum iniquitas conſumpſerat, aut avaritia rapuerat, priſtinæ integritati reſtituit, atque amplificavit. Quinimo in Ditione Mediolanenſi Aulas, Ædes, & Palatia, magnificentiam & commodum referentia, condidit; quemadmodum teſtatur Flamma loco laudato, iis temporibus non tam æqualis, quàm præſens.

Ex hac vita deceſſerat improlis Actius Vicecomes Anno MCCCXXXIX., in quem, poſt Matthæum Magnum, ejuſdem Avum, confluxerat univerſum Mediolanenſe imperium. Quocirca, conſenſu omnium qui Civitatis regimini aſſidebant Populique totius, delecti fuere in Dominos Joannes Vicecomes, ac Luchinus Fratres, & Actii Patrui. Potiti hac plena dominatione Vicecomites Fratres, ad Summum Pontificem Benedi-

dictum XII. obſequia ſua, & ſubmiſſæ obedientiæ teſtimonia direxere; eaque adeò grata fuerunt Chriſti Vicario, ut Privilegia illa, quæ Ughellus ex Codicibus Vaticanis retulit in Vita Joannis, benigniſſimè indulſerit, noſque etiam a Galvaneo Flamma narrata videmus, in Opuſculo ſuperiùs memorato.

Inſtitutus jam fuerat Feſtus dies Sacratiſſimi Corporis Chriſti ab Urbano IV. Pontifice Maximo, Anno MCCLX., Joannes autem XXII., adjectâ etiam ſolemni Supplicatione, omnibus Occidentis Eccleſiis, ac Studiis Univerſitatum eamdem Feſtivitatem indixerat. Obtemperare huic Decreto minimè potuit Eccleſia Mediolanenſis, cùm Metropolis iſta ferventibus Civilibus ſimultatibus, ac ubique debaccantibus Guelphis & Gibellinis factionibus, in partes ſcinderetur, atque ob Vicecomitum contra Apoſtólicam Sedem contumaciam Interdicto jamdiu ſubjaceret. Exſoluta tamdem fuit a Joanne XXII. hiſce cenſurarum vinculis Civitas noſtra, & Stirps Vicecomitum, ùt ſuperiùs narravimus. Itaque Joannes Vicecomes Novarienſis Epiſcopus, ut reverentiam ſuam erga Apoſtolica mandata manifeſtiùs oſtenderet, hanc Celebritatem in Metropoli noſtra primus inſtituit Anno MCCCXXXVI. Galvaneus Flamma *in eâdem Azonis Vita*, ſacram omnem pompam, qua Supplicationem hanc peregit Joannes, fideli calamo deſcripſit, noſtriſque oculis relegendam conſervavit, his ferme verbis: *Joannes Epiſcopus Novarienſis, ac Eccleſiæ Mediolanenſis Conſervator, attendens Dei beneficia, facta Vicecomitibus, Feſtum de Corpore Chriſti celebrari ordinavit*. Accito autem altero Epiſcopo, Pontificalibus indumentis ornato, ſacram Pixidem ab

ipſo

ipſo deferri juſſit a Metropolitano Templo ad Ambroſianam Baſilicam, micantibus per compita copioſiſſimis cereis facibus, viiſque ſtipatis ultra centies millies Civibus Exteriſque. Cùm proxima eſſet Supplicatio Sancti Ambroſii Cœnobio, Joannes Vicecomes Pontificiis Inſigniis decoratus, Corpus Chriſti de manu Epiſcopi excepit, Ambroſianam Baſilicam adiit, atque ibidem in Ara Maxima illud depoſuit. Expletis inde omnibus cæremoniis, quas Ritus noſter præſcribit in tanti Myſterii obſequium cultumque, iterum alterius Epiſcopi manibus ſacram Pixidem tradidit, ad Majus Templum referendam, comitantibus Actio Civitatis Domino, ac primoribus omnibus Urbis Rectoribus, aliiſque illuſtrioris ſanguinis Viris.

Celebris eſt apud Metropolis hujus Cives pugna, conſerta cum copiis Leodriſii Vicecomitis, rebelli animo tentantis imperium Mediolanenſe ſibi uſurpare, & Victoria inde relata patrocinio Sancti Ambroſii, qui apparuiſſe dicitur equo inſidens, & ſcuticam manu gerens, dum prælium ferveret apud Oppidum Parabiagum, illâque inimicos contundens, ac in præcipitem fugam conjiciens, ùt Galvaneus Flamma teſtatur loco memorato. Ob inſignem hunc triumphum, inter cetera quæ decrevit Civitas noſtra, Actio Vicecomite ejuſdem Domino, in gratiarum actionem Deo & Sancto Patrono, illud fuit, ut Templum Sancto Ambroſio dicatum in eodem Parabiagi Oppido erigeretur, tamquam perpetuum grati animi Civitatis univerſæ teſtimonium. Primum hujus Templi lapidem poſuit Joannes Vicecomes Epiſcopus Novarienſis, Luchini Frater & Actii Patruus. Adjectum eſt etiam eidem publico ære Cœnobium Monachorum Caravallis, Ordinis Ciſtercienſium,

ut

Digitized by Google

ut religioſiùs coleretur; quemadmodum in hodiernum uſque diem perſeverat ibidem hoc Inſtitutum, in Divinis Officiis diu noctuque perſolvendis, ſummo cum populi illius proventu atque exemplo.

Statim ac autem, ùt diximus, conſtituti fuere poſt Actii obitum, plenis Civitatis noſtræ ſuffragiis, Mediolani Domini Luchinus & Joannes Vicecomites, ad moderandos opportunis Legibus mores Civium curam ſolicitam impenderunt. Refert illas memoratus Flamma loco ſæpè laudato. Recenſeri hìc meretur ea, quæ his verbis concepta eſt: *Sub magna pœna fuit Medicis impoſitum, ut ultra tres vices non viſitarent, niſi Infirmus priùs fuiſſet confeſſus*. Eamdem pro univerſæ Eccleſiæ bono renovavit Sanctus Pontifex Pius V., ſtatuens, ne Medicis liceret accedere ad curandos Infirmos, niſi intra tres dies ſacrâ Exomologeſi ægroti animam ſuam expiaſſent.

Obierat, quemadmodum ſuperiùs retulimus, Anno MCCCXXXIX. Aycardus Archiepiſcopus: Quamobrem collectus primarius Baſilicæ Metropolitanæ Clerus communibus ſuffragiis Joannem Vicecomitem, in Succeſſorem iterum delegit. Diu tamen in ſuſpenſo hæſit hujuſmodi electio, ut expectaretur Summi Pontificis conſenſus & approbatio. Siquidem cùm ille variis diſtentus foret negotiis Eccleſiæ univerſæ, nondum a Ludovici Bavari perturbationibus exemptæ; atque inſuper feſtina mors Benedictum XII. rapuiſſet e terris Anno MCCCXLII., & intra menſem ſuffectus fuiſſet in Beati Petri Cathedram Clemens VI., ad ipſum deferendæ fuerunt preces, ut vacua Mediolanenſis Sedes, conſentiente Summo Pontifice

im-

Digitized by Google

imp'eretur. Benignè annuit Clemens, ac deſignatum Joannem Vicec mitem voto ſuo confirmavit die VI. Auguſti, ejuſdem anni. Quinimo Archiepiſcopale Pallium ad eumdem miſit, delectis duobus Epiſcopis Cumano & Cremonenſi, qui illud ſolemni pompa novo Antiſtiti Mediolanenſi conferrent: Joannes verò Archiepiſcopus, captâ Eccleſiæ ſuæ poſſeſſione Feſto die Nativitatis Beatiſſimæ Virginis, VIII. Septembris, ad diem XVI. Octobris diſtulit recipiendi Pallii publicum in Eccleſia Majori Celebritatem. Poſtmodum autem die XX. ejuſdem menſis, qui in Dominicam incidebat, qua Dedicationis Metropolitanæ Baſilicæ memoria agebatur, ſolemnem Supplicationem inſtituit ad Templum Sancti Ambroſii; eaque peracta eſt, utroque Clero præeunte, tribuſque Epiſcopis comitantibus, ac eodem Archiepiſcopo Pallium Pontificalibus indumentis ſupereminens geſtante, atque equo inſidente, quem ſtipabat non tam Nobilium Civium, verùm etiam Exterorum Procerum caterva, quorum mille in equis procedentes numerati fuere, Galvaneo Flamma teſtante.

Conſtitutus in Archiepiſcopali Sede Joannes religionem eximiam erga Deum, & amorem erga pauperes, quem antea in Adminiſtratoris munere oſtenderat, ſplendidiùs patefecit. Siquidem, cùm nondum Paſtorali Ambroſianæ Eccleſiæ virgâ inſignitus, ingraveſcente ſemel fame, uſque ad XL. millia pauperum aluiſſet publici ærarii Dominus, hanc conſuetudinem renovare voluit Mediolanenſi Infulâ decoratus; narrat enim laudatus Flamma, in Archiepiſcopalibus Ædibus, LX. pauperibus cibos quotidie ab ipſo fuiſſe ſubminiſtratos: quin etiam eleemoſynarum copiam in eorumdem indigentia ſublevan-

vanda, incredibili largitate Joannem præſtitiſſe; Eccleſias verò, quæ fatiſcebant per hanc Metropolim, refeciſſe. Expurgare quoque contendit ab Hæreticorum lue Diœceſim, eos ubicumque degerent validè inſectatus; ſique caperentur, per Judices curans, ut meritis ſuppliciis multarenrur. Divinis autem Officiis celebrandis, magnâ pii animi ſignificatione incumbebat. Ambroſiani quoque Ritûs ſingularem cuſtodiam egit: Cùm enim a Caravallis Monachis in ejus Diœceſi commorantibus rogaretur, ut Romano Ritu Divina Officia & Sacra peragendi facultatem iiſdem impertiretur, annuit quidem ob juſtas allatas cauſas, verùm conditiones adjecit, ut nempe ad Miſſas tanrùm privatas conceſſa poteſtas extenderetur, eaque ad placitum ipſius revocari poſſet. Subjicimus hìc Exemplar ipſum hujuſmodi conceſſionis, ex MStis Miſcellaneis Jo. Petri Puricelli, in Bibliotheca Ambroſiana ſervatis exſcriptum:

„ Joannes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus: Religioſis Viris in Chriſto ſibi dilectis Abbati, Monachis, & Conventui Monaſterii Caravallis, Mediolanenſis Diœceſis, Ordinis Ciſtercienſis ſalutem & incrementa gratiæ ſalutaris. Exigentibus virtutum veſtrarum meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Cùm itaque, ſicut exhibita nobis veſtra peritio continebat, in manſione Monaſterii veſtri, ſita Mediolani, & in nonnullis Grantiis & manſionibus Monaſterii veſtri, in noſtra Mediolanenſi Diœceſi conſtitutis, quandoque Miſſam vos deceat, congruat, & expediat ce-

„ lebrare, & vobis Officio Romano ſecundùm veſtrum Or-
„ dinem aſſuetis, & ignorantibus Officium Ambroſianum, a
„ prædicto Romano Officio in multis varians, diſcrepans,
„ & diverſum, quod Eccleſia Mediolanenſis obſervat in Ho-
„ ris Canonicis, & Miſſarum ſolemniis celebrandis, multis
„ cedat difficile, cauſa celebrandi in dictis manſionibus &
„ Grantiis ſervare, imo veriùs addiſcere in hujuſmodi Di-
„ vinis Officiis atque Miſſis modum & ordinem Mediola-
„ nenſis Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, & dimittere modum & or-
„ dinem Romanæ Curiæ, quos a teneris annis veſtris ſecuti
„ fuiſtis, & ſequi neceſſariò vos oportet, cùm juxta Supe-
„ riorum veſtrorum diſpoſitionem etiam extra noſtram Me-
„ diolanenſem Provinciam ſæpe de Conventu transferamini ad
„ Conventum, & alii ad veſtrum transferantur Conventum,
„ & removeantur ab eo: Nos veſtris ſupplicationibus beni-
„ gnum impartientes aſſenſum, vobis in dictis veſtris man-
„ ſionibus & Grantiis Canonicas Horas dicendi, & celebran-
„ di Miſſam privatè, juxta modum & ordinem Romanæ Cu-
„ riæ, & veſtri Ordinis ſupraſcripti, licentiam uſque ad no-
„ ſtrum beneplacitum duraturam, concedimus per præſentes
„ noſtri ſigilli munimine roboratas. Datum Mediolani Anno
„ MCCCXLII., die quintodecimo Decembris, Indictione un-
„ decima.

Decretum inſuper evulgavit circa honeſtatem & modeſtiam veſtium Clericorum, ut dignitatem officii ſui publico exemplo teſtarentur, ultimo Aprilis die, Anni MCCCLII. expeditum. Sequenti verò anno tribus Sacerdotiis auxit Sacellum Sanctæ Agnetis in Templo Maximo, aſſignatis annuis

nuis

nuis redditibus, ut delecti Myſtæ Sacra quotidie celebrarent. Hinc dilucidè patet, quàm falsò, nec ſine aliqua imprudentiæ nota, Galeſinius *in Tabula Mediolanenſium Antiſtitum* adnotatum reliquerit, Joannem hunc Vicecomitem *bellica potiùs laude, quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ nomine fuiſſe illuſtrem*; cùm bella quidem geſſerit, utpote in Republica Mediolanenſi Princeps ac Dominus, cujus quieti conſervandæ opus illi erat gladium exerere; ſed minimè Paſtorali muneri ſuo defuerit, ùt hactenus adnotavimus.

Ambitione tamen non modicâ amplificandi imperii ſui inflatum ac contaminatum eum fuiſſe, fateri candidè cogimur, cùm plures ſparſim per Italiam Urbes per vim ſibi ſubjugaverit, & Anno MCCCL. ipſam etiam Bononiam, quæ Summo Pontifici tunc parebat, invaſerit. Ob violentum hoc Joannis Vicecomitis facinus, ad indignationem commotus Clemens VI. Pontifex Maximus ſacrum telum armavit, Interdicto ſubjiciens non tam Urbem Mediolanenſem, ſed etiam Terras omnes juris Vicecomitum. Imo ipſum Joannem Avenionem accivit, ut coram Summo Pontifice ſeſe ſiſteret, quemadmodum refert Jovius, *in* ejuſdem *Joannis Vicecomitis Vitâ*, ſubjungens, paruiſſe quidem in ſpeciem Archiepiſcopum noſtrum; verùm ad oſtentandam virium ſuarum amplitudinem, Aulæque ſuæ magnificentiam, præmiſiſſe anteſignanos quoſdam Miniſtros, qui victualia omnia in Apothecis venalia quovis pretio coëmerent, & ampliores omnes Domos profuſo ære per annum conducerent; cùmque Cives inſcii hujus eventûs de ciborum penuria quererentur, admonitum Pontificem Clementem quæſiviſſe, undenam orta eſſet tanta

publicæ annonæ tenuitas, eique reſponſum fuiſſe, alimenta omnia, quæ uſui Civium proſtabant, empta eſſe a Miniſtris Archiepiſcopi Mediolanenſis, qui cum ſeptem millibus equitum, ac totidem peditum Avenionem adibat; eoque audito Pontificem miſiſſe ad eumdem, qui illum a reliquo itinere, Pontificio nomine abſolveret, juberetque Mediolanum redire: Joannem verò Miniſtris ſuis præcepiſſe, ut quidquid coëmptum erat, in eleemoſynam partirentur. Hujus facti, cujus nulla in vetuſtis Coævorum ſcriptis mentio occurrit, cùm ſcænicum potiùs Inventum, quàm Hiſtoriam redoleat, fides ſit penes Jovium. Quoniam autem recentes Mediolanenſium rerum Scriptores, inter quos Bernardinus Corius & Ripamontius, ampliori etiam verborum apparatu Factum hoc enarrant ad Annum MCCCLI., inexploratis eorumdem fundamentis, nos antiquo omni teſtimonio quo fulciatur, deſtitutum illud animadvertentes, nutare plurimùm dicimus ac profitemur. Id certò novimus, per biennium viguiſſe hanc controverſiam, donec miſſis Mediolano Avenionem Legatis pro pace, compoſita cum Summo Pontifice res eſt, ut a Legato Abbate Maſſilienſi, miſſo Bononiam (qui poſtea Urbanus V. fuit) claves Urbis illius, in ejuſdem manibus depoſitas, Joannes iterum reciperet, & nomine Eccleſiæ Romanæ Bononiam regeret, ſoluto quotannis Cenſu XII. mille Florenorum Summo Pontifici: Atque ita Cenſuræ omnes abolitæ fuere, & Sacrorum uſus reſtitutus eſt huic Metropoli Anno MCCCLII., quemadmodum Joannes de Cornazano coævus refert *in Hiſtoria Parmenſi*, edita Tom. XII. *Rerum Italicarum*.

Nihilominus commendationem plurimam meretur Archipræſul

præſul iſte, ob propenſum in res Sacras ſtudium, quo ſemper effulſit. Notum eſt, a Theodolinda Langobardorum Regina inſtitutam fuiſſe Modoëtienſem Baſilicam, atque ab eadem pretioſiſſimis donariis eſſe locupletatam. Varias vices paſſus eſt hic Theſaurus, fœneratoribus primùm ob graves bellorum expenſas commiſſus in pignus, dein defoſſa tellure ſepultus ob metum rapinarum, denique Avenionem delatus, oblatuſque dono Joanni XXII. Pontifici Maximo, quem cùm reſpuiſſet Summus ille Hierarcha, atque juſſiſſet, ut ad Eccleſiam Modoëtienſem reportaretur, Joannes Vicecomes eodem accepto, Anno MCCCXLV. Modoëtiam petiit, ibique ſuper Altare Sancti Joannis Baptiſtæ Theſaurum omnem depoſuit, confectiſque publicis Tabulis, Archipresbytero & Canonicis illius Baſilicæ eumdem tradidit cuſtodiendum; atque inſuper, ut religioſum animum erga hunc Sanctum Patronum ſuum oſtenderet, Calicem magni ponderis & pretii, cryſtallinas amulas, & incenſi capſulam pariter cryſtallinam, auro fulgentes dono dedit die XX Martii, ejuſdem Anni. Narrat hæc fusè Bonincontrus Morigia *in Chronico Modoëtienſi*, Libr. IV. Cap. IX., edito inter *Scriptores Italiæ* Tom. XII. ſupradicto.

Neque minoris religionis Opus, fuit Translatio Corporis Sancti Petri Martyris, Ordinis Prædicatorum, quam ſolemni pompâ apparatuque peregit Joannes Vicecomes in Baſilica Euſtorgiana Mediolani, ab antiquo Sepulcro, in quo LXXXVII. annis jacuerat, in Urnam candidi marmoris affabrè ſculptam, miræque pulchritudinis; ſpectante ac Deum collaudante innumerâ populi multitudine, cùm inventum fuerit Caput,

put, barbâ & crinibus adhuc circumſeptum, intactiſque ceteris Corporis membris. Adfuere huic Celebritati condecorandæ ſex Epiſcopi, ac Primores Ordinis Prædicatorum Miniſtri, Patreſque, qui per id tempus ad generalia Comitia Mediolanum convenerant. Perſtitit marmorea hæc Urna octo columellis fulcita, e lateribus illius Templi uſque ad noſtram ætatem, qua delata eſt in aliud interius Sacellum magnificè exornatum, ad commodiorem cultum Civium, ubi etiam in argentea thecâ ſervatur Caput, adhuc vulnus tolerati Martyrii oſtentans, venerationi ſimul atque admirationi confluentium Chriſtifidelium expoſitum. Primævam Translationem a Vicecomite peractam fuſiùs deſcribit memoratus Flamma, ejuſdem Ordinis Prædicatorum Scriptor, loco ſæpiùs indicato.

Nobilius, & in ævum omne perennaturum monumentum religioſiſſimi obſequii amoriſque, quo erga Deum, Deiparam Virginem, & Sanctos Cœlites hujus Archiepiſcopi animus ſuccendebatur, eſt Chartuſia, ab ipſo condita, tertio ab hac Metropoli lapide, ad Vicum Carignanum. Floret adhuc Cœnobium iſtud, odoremque purioris ſanctimoniæ undique ſpargit, cùm Eremicolæ plures ibidem degentes in ſolitariis hoſpitiolis, longè ab hominum conſortio angelicam vitam ducant, eorumque converſatio in Cœlis ſit. Templum quoque eidem adjacens regio pene ſumptu conſtruxit, ad Chartuſianos ritus omnimodè accommodatum, mirique artificii ornamentis intus foriſque refulgens, adeò ut confluentium omnium oculos in ſui contemplationem rapiat; præſertim cùm poſtmodum recentiori ætate auctum ſit pretioſiſſimis Danielis Criſpi picturis, quæ vivas propemodum Sanctorum imagines referunt.

Cre-

Crevit hujus Cœnobii fama tantâ integerrimæ vitæ exiſtimatione, ut, cùm Joannes Galeatius Vicecomes, iſtius Antiſtitis ex Fratre Pronepos, magnificentiſſimo opere alteram Chartuſiam in agro Ticinenſi a fundamentis erexerit, ex hoc Cœnobitico Cœtu Aſcetas eos delegerit, qui prima Chartuſianæ integerrimæ Profeſſionis rudimenta venientes Sancti Brunonis alumnos illic edocerent. Ne autem aliquando rei domeſticæ penuriâ laborarent incluſi Cellulis Carignanæ Domûs fideles iſti Dei Servi, Archiepiſcopus Vicecomes amplâ dote e patrimonio ſuo detractâ, atque in perpetuum iiſdem aſſignatâ tum ad vitam alendam, tum ad Templi cultum quovis tempore conſervandum, abundè illos locupletavit.

Peculiari memoriâ dignus eſt modus, quo ampliſſimam hanc Dotem publicis Tabulis conſignavit Antiſtes noſter; depoſitis namque omnibus imperii Mediolanenſis, atque Archiepiſcopalis Dignitatis, quibus ille ornabatur, Inſigniis, ante Vicarii ſui Generalis pro tribunali ſedentis conſpectum ſe conſtituit, tamquam privata perſona, donationem inter vivos rerum omnium, quæ longo ordine enumerantur in confecto Diplomate, favore Chartuſienſis Cœnobii peragens Anno MCCCXLIX., memorati Vicarii ſui auctoritate firmandam. Præſtat initium prædicti Diplomatis, ex Archivo ejuſdem Chartuſiæ depromptum, hoc loco referre:

„ In Nomine Domini. Anno a Nativitate ejuſdem mil-
„ leſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, Indictione tertia,
„ die Sabbati decimonono menſis Septembris. Reverendiſſimus
„ in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Johannes Viceco-
„ mes Dei gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſco-

„ pus,

„ pus, ac Civitatum Mediolani &c., Dominus Generalis,
„ filius quondam bone memorie Magnifici & Excellentis Do-
„ mini, Domini Matthei Vicecomitis &c. tamquam ſingula-
„ ris & privata perſona in hac parte, & non tamquam
„ Archiepiſcopus ac Dominus, & nomine & intuitu ſue per-
„ ſone proprie tantùm, & non nomine & intuitu alicujus
„ Dignitatis Eccleſiaſtice, vel Dominationis, habens infradi-
„ cta Bona res & jura perſone ejuſdem Domini Johannis
„ tantùm propria, & non patrimonialia nec Eccleſiaſtica,
„ nec ratione ſeu occaſione alicujus Dignitatis Eccleſiaſtice vel
„ Dominationis, ſed de ſuo peculio proprio acquiſita, Spi-
„ ritu Sancto afflatus, ex devotione quam habet ad Fratres
„ & Ordinem Chartuſienſem, preſente, & coram Domino
„ Morroello de Benedictis Decretorum Doctore, Canonico
„ Parmenſi, & in ſpiritualibus Generali Vicario prefati in
„ Chriſto Patris, & Domini Domini Archiepiſcopi, eo Do-
„ mino Morroello pro tribunali ſedente, in Camera Audien-
„ tie ſue in hac parte, ſita in Palatio novorum magnorum
„ edificiorum prefati Patris & Domini, cujus juriſdictioni
„ & auctoritati, quantum eſt in hac parte, idem Dominus
„ Johannes Vicecomes, tamquam privata, ſingularis, ac ſpe-
„ cialis perſona, ſponte & ex certa ſcientia ſe ſubmittit,
„ & cum ipſius Domini Morroelli Vicarii Generalis, ut ſu-
„ pra, auctoritate, conſenſu, & decreto, ſuam auctoritatem
„ & conſenſum, & decretum interponentis, datis & pre-
„ ſtatis cum magna cauſe cognitione, deliberatione, & exa-
„ minatione, fecit & facit donationem inter vivos puram,
„ meram, & irrevocabilem, remittens ſingulas cauſas ingra-
„ titu-

„ titudinis, liberam & abſolutam ab omni ficto, cenſu, „ preſtatione, onere & ſervitute, & etiam a preſtatione „ Decime &c.

Tradita fuit hæc Charta per ***Lanzarotum filium qu. Domini*** *Medii Nigroni*, *Civitatis Mediolani*, *Portæ Ticinenſis Imperiali auctoritate Notarium*.

Nondum tamen ſatis liberali amori ſuo erga Chartuſianam eam Familiam factum exiſtimavit Archiepiſcopus Vicecomes, niſi bonorum omnium, quæ in illam contulerat, exemptionem a publicis quibuſcumque oneribus atque exactionibus elargiretur. Itaque ſequente Anno MCCCL., Indictione quarta, die XII. Decembris, tamquam Mediolani Dominus Decretum edidit, quo jubebantur Rectores Civitatis, ut non tam ab oneribus omnibus immunia quocumque tempore ſervarent Chartuſianorum prædia eorumque colonos; ſed etiam Patroni fierent, ne ullâ umquam moleſtiâ, quavis urgente publica neceſſitate, afficerentur. Extat hoc Decretum clauſulis omnibus munitum, ne impoſterum violaretur, in Archivo ſuperiùs dicto, ad perpetuum ibidem degentium Monachorum levamen ac tutamentum.

Perfunctus demum egregiè Eccleſiaſticis muneribus, & amplificato Mediolanenſi Imperio extremum diem clauſit Joannes Mediolani, Anno MCCCLIV., die V. Octobris, poſt adminiſtratam per annos XII., & duos circiter menſes Eccleſiam Mediolanenſem; ab Anno nempe MCCCXLII., die VI. Auguſti, quo a Clemente VI. in Archiepiſcopum confirmatus fuit, ad diem V. Octobris, quo obiit, Anni MCCCLIV. Malè computum iniit Galeſinius, qui unum ſupra viginti annum

Sedis eidem liberaliter adſcribit; licèt enim Epocham numerare cœpiſſet ab Anno MCCCXXXIX., quo electus fuit Mediolani in Archipræſulem, adhuc annorum numerus ab eo aſſignatus non modicè a veritate recedit.

Sepultus eſt in Eccleſia Majori, in Arca marmorea, inſculptis hiſce carminibus, quæ in præſentem uſque diem ibidem leguntur.

QUAM FASTUS, QUAM POMPA LEVIS, QUAM GLORIA MUNDI
SIT BREVIS, ET FRAGILIS HUMANA POTENTIA QUAM SIT,
COLLIGE AB EXEMPLO, QUI TRANSIS PERLEGE, DISCE.
IN SPECULO SPECULARE MEO LACRYMABILE CARMEN:
QUI SIM, QUI FUERIM DICET: QUI MARMORE CLAUDOR
SANGUINE CLARUS ERAM, VICECOMES STIRPE, JOANNES
NOMINE. NULLUS OPES POSSEDIT LATIUS ORBE.
PRÆSUL ENIM PASTORQUE FUI, BACULUMQUE TENEBAT
DEXTERA PASTORIS, GLADIUMQUE SINISTRA GEREBAT
FELICIS DOMINI, MAGNUSQUE POTENSQUE TYRANNUS
IPSE FUI VIVENS. METUERUNT NOMINA NOSTRA
ÆTHERA, TERRA, MARE, SUBERANT URBESQUE POTENTES
IMPERIO TITULOQUE MEO. MIHI MEDIOLANI
URBS SUBJECTA FUIT, LAUDENSE SOLUM, PLACENTIA GRATA,

Digitized by Google

AUREA PARMA, BONA BONONIA, PULCHRA CREMONA,
BERGAMA MAGNA SATIS LAPIDOSIS MONTIBUS AUCTA,
BRIXIA MAGNIPOTENS, BOBIENSIS TERRA, TRIBUSQUE
EXIMIIS DOTATA BONIS DERTHONA VOCATA,
CUMARUM TELLUS, NOVAQUE ALEXANDRIA PINGUIS;
ET VERCELLARUM TELLUS, ATQUE NOVARIA, ET ALBA,
AST QUOQUE CUM CASTRIS PEDEMONTIS JUSSA SUBIBANT,
JANUAQUE AB ANTIQUO QUONDAM JAM CONDITA JANO
DICITUR, ET VASTI NARRATUR JANUA MUNDI,
ET SAVONENSIS URBS, ET LOCA PLURIMA, QUÆ NUNC
DIFFICILE EST NARRARE MIHI, MEA JUSSA SUBIBANT.
TUSCIA TOTA MEUM METUEBAT LANGUIDA NOMEN.
PER ME OBSESSA FUIT POPULO FLORENTIA PLENA;
BELLAQUE SUSTINUIT TELLUS PERUSINA SUPERBA;
ET PISÆ, ET SENÆ TIMIDUM REVERENTER HONOREM
PRÆSTABANT. ME METUEBAT MARCHIA TOTA,
ITALIÆ PARTES OMNES TIMUERE JOANNEM.
NUNC ME PETRA TENET, SAXOQUE INCLUDOR IN ISTO;
ET LACERANT VERMES, LANIANT MIHI DENIQUE CORPUS.

Digitized by Google

QUID MIHI DIVITIÆ, QUID LATA PALATIA PROSUNT?
CUM MIHI SUFFICIAT, QUOD PARVO MARMORE CLAUDOR.

(ET CLAUSI DIEM MEUM MCCCLIV., DIE V. OCTOBRIS.
ANNI 1354. GRASSANTE PESTE * D. GABRIUS DE ZAMOREIS DE PARMA, DOCTOR COMPOSUIT
HÆC CARMINA)

RO-

* Peſtis hæc quæ tunc graſſabatur; referente Petro Azario Synchrono, abſumpſit in hac Metropoli ſeptuaginta quinque millia virorum.

Digitized by Google

ROBERTUS VICECOMES.

EX Archipresbytero Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ datus eſt Robertus Vicecomes Succeſſor Joanni demortuo , Anno MCCCLIV , Innocentio VI. Pontifice Maximo approbante . Non eadem tamen ſors eidem obtigit , quæ Deceſſorem ſuum utriuſque Fori Dominum pacificâ juris omnis Archiepiſcopalis poſſeſſione donaverat . Siquidem cùm Joannes Vicecomes ultimis Tabulis Nepotes ſuos hæredes inſtituiſſet , iiſque etiam partitus eſſet imperium , cœpêre invicem illi impotenti ambitione amplioris acceptæ dominationis fines affectare ac protendere. Inde verò inter Fratres Vicecomites ferales diſcordiæ emerſere , quarum causâ ardens in ipſis deſiderium occupandi Arces & Caſtra , uſque ad ſpolianda reditibus patrimonia , quæ ad Ambroſianam Eccleſiam ſpectabant , miſerrimè pervênit , teſte Petro Azario ſuperiùs memorato . Coarctatus brevibus terminis Cenſus novi Archipræſulis , & inopia auxilii , quo jus ſuum vindicare poſſet Robertus , illum ſilere patienter coëgerunt , ac pati injuriam , donec pacatis inter Fratres rebus , opportunior occaſio ſeſe præberet , qua Archiepiſcopalem juriſdictionem tutari poſſet , ac repetere quæ per vim direpta fuerant atque obalienata .

Affuit quidem ſequenti Anno MCCCLV., die IV. Januarii Carolus IV., Joannis Regis Boëmiæ filius , Imperator electus, quem Robertus ipſe & univerſa hæc Metropolis magni-

ficè

ficè excepit; biduoque vix interpoſito, nempe Solemni die Epiphaniæ Domini, poſt Divinum Sacrum peractum ad Aram Sancti Ambroſii, Robertus idem Archiepiſcopus, omnium plauſu & lætitiâ, ferreâ Italici Regni Coronâ præcinxit. Verùm cùm paucorum dierum mora ejuſdem Regis apud nos fuerit, Romam ad Auguſtale accipiendum diadema proficiſcentis, Cauſæ ſuæ apud Cæſarem agitandæ tutandæque ſpes omnis evanuit. Itaque qua meliore viâ conſulere Eccleſiæ ſuæ potuit, Archiepiſcopale munus exercuit. Aſſervatur in Tabulario Baſilicæ Sancti Georgii, appellati *in Palatio*, Charta Commutationis, Sigillo prægrandi adhuc pendente, & imaginem referente Sancti Ambroſii, duobus adſtantibus Sanctis Martyribus Protaſio & Gervaſio, circumſeptam hiſce verbis: *Robertus Dei & Apoſtolice Sedis gratia Mediolanenſis Eccleſie Archiepiſcopus*. Ea verò Charta nos docet, quantâ ſolicitudine Antiſtes iſte noſter curaret, ne quidquam detrimenti Eccleſiarum patrimonia paterentur.

„ Robertus Dei & Apoſtolice Sedis gratia, Sancte Me-
„ diolanenſis Eccleſie Archiepiſcopus. Dilecto nobis in Chri-
„ ſto Presbytero Andree de Habiate, Beneficiali Altaris San-
„ ctorum Nicolay & Catherine, ſiti in noſtra Mediolanenſi Ec-
„ cleſia, Capellano noſtro ſalutem in Domino. Cùm a no-
„ bis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor equi-
„ tatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per noſtre ſoli-
„ citudinis ſtudium ad effectum debitum perducatur. Ex parte
„ igitur . . . Prepoſiti & Capituli Eccleſie Sancti Georgii in
„ Pallatio Mediolañ., necnon Presbyteri Beltrami de Carcha-
„ no Rectoris Curati Eccleſie Sancti Michaëlis ad Cluſam Me-

„ dio-

„ diolaſi. fuit expoſitum coram nobis, quòd ipſi inter ſe,
„ & demum cum nonnullis prudentibus & peritis delibera-
„ tione habitis ſepiùs & tractatu de quadam infraſcriptorum
„ prediorum dictarum Eccleſiarum permutatione ſeu cambio
„ ad invicem faciendis, videlicet de dando, & quòd darent
„ ipſi . . . Prepoſitus & Capitulum dicto Presbytero Beltra-
„ mo, & ipſi Eccleſie Sancti Michaëlis domum unam, cum
„ hedifitiis, Caſſiis duobus domus in terra, Sollariis, & ſta-
„ tiona a platea, jacentem in Civitate Mediolani, in Porta
„ Ticinenſi, in Parochia dicte Eccleſie Sancti Michaëlis: Cui
„ coheret a mane Guilloli Squaſſi, a meridie & a ſero ſtra-
„ ta, a monte tenetur per Girardolum Machaneum: Item
„ fictum Libellarium ſoldorum quadraginta tertiollorum, &
„ unius Caponi, quod preſtatur & preſtari debet omni anno
„ . . . Prepoſito & Capitulo ſupraſcriptis per Lantelmolum
„ de Lampugniano ſuper quadam domo cum hedifitiis & Cur-
„ te, jacente in Porta Ticinenſi, in Parochia Sancti Petri in
„ Campo Laudenſi; Cui coheret a mane Jacobini dicti raffe
„ de Soma, a meridie ſtrata, a ſero heredum quondam Oto-
„ nis de Corbetta, a monte Fratrum de Bernate, juris &
„ proprietatis dicte Eccleſie Sancti Georgii. Quòdque dictus
„ Presbyter Beltramus daret & dare deberet dictis . . . Pre-
„ poſito & Capitulo & ipſi Eccleſie Sancti Georgii in per-
„ mutationem ſeu cambium quamdam petiam terre, que eſt
„ campus, juris & proprietatis dicte Eccleſie Sancti Michaë-
„ lis, jacentem extra Portam Ticinenſem, in Contrata de
„ Scarpognia, prope Caſſinas dicte Eccleſie Sancti Georgii:
„ Cui coheret a mane & a meridie via, ſive acceſſium me-
„ diante

„ diante Ruzia, a ſero & a monte dicte Eccleſie Sancti
„ Georgii, & eſt pertice vigintiſex, vel idcirca: Invenerunt
„ & inveniunt ex permutatione hujuſmodi, ſi procedat, utra-
„ rumque Eccleſiarum conditionem manifeſtè reddi & effici
„ melliorem, majoremque utilitatem & commoditatem tam di-
„ ctis Eccleſiis, quàm perſonis earum proculdubio provenire.
„ Propter quod pro parte . . . Prepoſiti & Capituli, ac Pres-
„ byteri Beltrami predictorum fuit nobis humiliter ſupplica-
„ tum, quatenus ipſis permutationem ſeu cambium hujuſmodi
„ faciendi deberemus licentiam ellargiri, ipſiſque permutationi
„ ſeu cambio faciendis noſtrî auctoritatem interponere ſolen-
„ niter & Decretum. Nos verò qui Eccleſiarum Locorum-
„ que piorum, & Subditorum noſtrorum utilitates & com-
„ moda deſiderabiliter promovemus; quia de premiſſis plenam
„ & congruam notitiam non habemus, Diſcretioni tue, de
„ qua plene confidimus & ſperamus, tenore preſentium com-
„ mittimus & mandamus, quatenus de predictis omnibus &
„ ſingulis diligentiùs te informes; & ſi tibi conſtiterit pre-
„ miſſa, ut premittitur, enarrata veritate fulciri, & aliquod
„ canonicum non obſiſtat, tuam ſuper hoc conſcientiam one-
„ rantes, & noſtram exonerantes, omnino eiſdem . . . Pre-
„ poſito & Capitulo, ac predicto Presbytero Beltramo, per-
„ mutationem ſeu cambium hujuſmodi faciendi, ipſiuſque per-
„ mutationis ſeu cambii contractum, cum promiſſionibus,
„ ſtipulationibus, obligationibus, renunciationibus & clauſulis,
„ in talibus opportunis, non obſtantibus aliquibus noſtris, vel
„ Predeceſſorum noſtrorum Archiepiſcoporum Mediolanenſium
„ Conſtitutionibus in contrarium editis, cellebrandi licentiam
„ vice

„ vice & auctoritate noſtra concedas, ac eidem permuta-
„ tioni ſeu cambio interponas auctoritatem ſolenniter & De-
„ cretum, & cetera facias, que in premiſſis & quelibet
„ premiſſorum fuerint opportuna, & videris expedire. Su-
„ per quibus omnibus & ſingulis, & eis dependentibus, in-
„ cidentibus, & conexis tibi plenariè comittimus vices no-
„ ſtras, & plenariam poteſtatem. In quorum omnium te-
„ ſtimonium preſentes Literas fieri juſſimus, & noſtri Sigilli
„ munimine roborari. Datum Mediolani, milleſimo trecen-
„ teſimo quinquageſimo quinto, die ultimo Junii, octava
„ Indictione.

Silent Hiſtoriæ reliquas Roberti Archiepiſcopi res geſtas, obitum ejuſdem tantummodo deſignantes, qui contigit Anno MCCCLXI., die VIII. menſis Auguſti, ut tradunt Bernardinus Corius, aliique. Quamobrem emendandus eſt Ughellus, qui mortem Roberti figit Anno præcedenti. Sicuti etiam erravit, deceptus a Galeſinio, aſſerendo, Celebritatem impoſitæ Carolo IV. Imperatori Coronæ peractam fuiſſe Modoëtiæ in Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ; cùm memorati omnes antiqui Scriptores apertè affirment, Cæſarem illum regio Serto fuiſſe redimitum a Roberto in Baſilica Sancti Ambroſii Mediolani. Peculiare eſt, quod legitur adnotatum *in Manipulo Florum* Galvanei Flammæ, Cap. CCCLXXXI., videlicet Robertum Archiepiſcopum ex hac vita migraſſe *die VIII. Auguſti in Oppido Lignani*: Potior tamen fides habenda eſt Petro Azario tunc viventi, qui Tom. XVI. *Rerum Italicar.* colum. CCCXCVII. de Roberto hæc habet: *Qui Dominus Archiepiſcopus cum maximis laboribus vixit uſque*

Bbbb *ad*

ad finem, videlicet Anno MCCCLXI., quo anno in pace Mediolani quievit. Porro eo tempore e vivis jam exceſſerat Flamma, mortuus circa Annum MCCCXLIII.; proinde credendum eſt, addita hæc fuiſſe *Manipulo Florum* ab aliquo indiligenti Continuatore.

Sedit Robertus annis VII., ſepultus, ùt credere fas eſt, in Eccleſia Majori, Tumuli memoriam omittentibus illius ævi Scriptoribus.

GUI-

GUILIELMUS PUSTERLA.

PRomotus eſt poſt Robertum Vicecomitem ad Archiepiſcopalem Ambroſianæ Eccleſiæ Sedem Guilielmus de Puſterla, e nobiliſſima Mediolanenſi Familia progenitus, Anno MCCCLXI., ùt Corius teſtatur. Quapropter perperam ſcripſit Galeſinius *in Tabula Mediolanenſium Antiſtitum*, qui ab Urbano V. Pontifice Maximo creatum Guilielmum affirmat, cùm iſte Sancti Petri Cathedram minimè conſcenderit, niſi Septembri menſe anni ſequentis. Subjungit etiam, fuiſſe Guilielmum Modoëtienſis Eccleſiæ Archipresbyterum; qua in re non multùm hæremus. Quòd verò ſubinde Patriarchatu Conſtantinopolitano inſignitus fuerit, quemadmodum ille tradit, non ita facilè admittimus; præſertim cùm *Annales Mediolanenſes*, editi Tom. XVI. *Scriptorum Italiæ*, clarè enuncient, Guilielmum hunc *per annos quindecim* adminiſtraſſe Patriarchatum Aquilejenſem, antequam Mediolanenſi Infulâ donaretur: quamvis revera de hac Dignitate eidem collata, in gemino Patriarcharum Aquilejenſium Catalogo, vulgato in proximè enunciato Volumine *Rerum Italicarum*, nulla mentio Guilielmi de Puſterla reperitur. Donec igitur ſolidiora occurrant fundamenta, fidem hujuſmodi honorum, qui Guilielmo tribuuntur, in Galeſinium & Annales noſtros rejicimus.

Nihil de actis in noſtra Eccleſia rebus ab iſto Archiepiſcopo Hiſtoriæ Mediolanenſes referunt, hujuſque inopiæ ratio-

Digitized by Google

tionem reddit Petrus Azarius coævus, *in Chronico Mediolanenſi*, ad Annum MCCCLXI., inquiens: *Dominus Guilielmus de Puſterla, de Mediolano, valens Clericus, dicitur fuiſſe electus in Archiepiſcopum. Tamen nihil gaudet, ſed Avenione reſidet de præſenti*. Porro memorati Antiſtitis nomen neque in Archivis hujus Metropolis, neque a Bernardino Corio aliiſque antiquis Scriptoribus noſtris reliquo ejuſdem regiminis tempore adnotatum uſpiam legitur. Id tantùm referre nobis licet, quod ex Tabulario Cœnobii Sancti Victoris Mediolani eruit ac benignè communicavit ſumma cum laude memorandus Pater D. Cherubim Beſutius, ejuſdem Monaſterii Abbas. Cùm enim mortuo Ambroſio Cœnobii illius Præſide, communibus Monachorum Ordinis Sancti Benedicti ſuffragiis ſubſtitutus fuiſſet Paganus Monachus, Urbanus V. Pontifex Maximus eumdem in ea Dignitate confirmavit, Breveſque Literas ad Guilielmum Puſterlam Mediolani Archiepiſcopum dedit, in quibus hæc verba leguntur: „ Cùm igi-
„ tur, ut idem Paganus Abbas in commiſſa prædicti Mona-
„ ſterii ſibi cura faciliùs proficere valeat, tuus favor ſibi eſſe
„ noſcatur plurimùm opportunus, Fraternitatem tuam roga-
„ mus, & hortamur attentè, per Apoſtolica tibi ſcripta man-
„ dantes, quatenus eumdem Abbatem & commiſſum ſibi Mo-
„ naſterium, Ordinario jure tibi ſubjectum, habeas, pro no-
„ ſtra & dictæ Sedis reverentia, propenſiùs commendatos in
„ ampliandis & conſervandis juribus ſuis: Sic enim tui fa-
„ voris præſidio conſequêris, quòd ipſe per tuæ auxilium
„ gratiæ in commiſſo ſibi ejuſdem Monaſterii regimine ſe
„ poſſit utiliùs exercere, tuque Divinam miſericordiam, &

„ be-

„ benevolentiam dictæ Sedis exinde valeas uberiùs promere-
„ ri . Datum apud Montem-Flaſconem III. Nonas Julii , Pon-
„ tificatus noſtri anno ſexto , ideſt Anno MCCCLXVIII. Hinc verò compertum ſit , reducem ab Avenionenſi Urbe in Archiepiſcopali Mediolanenſi Solio jam reſediſſe Guilielmum Archiantiſtitem noſtrum , fortaſſe Summum Pontificem comitatum in Italico itinere , ac poſtmodum cum ipſo Avenionem ſecundò profectum .

Sedis annos enumerant *Annales Mediolanenſes* ſupradicti , nempe IX., & menſes IV., ab Anno videlicet MCCCLXI., ad Annum MCCCLXX., menſe Decembri , quo obiit , ùt ex calculo , ab octavo die Auguſti , quo Robertus deceſſit , dilucidè apparet .

Sepultus dicitur Avenione , in Eccleſia Patrum Ordinis Prædicatorum .

ROMA

MA-1535

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google